L. IV. 167

Petrik I. 401 koll. 1.
Pöttich V. 177 koll. 2.

v. C. Szegediensis.

CYPRIANI SOARII

E SOCIETATE JESU
ARTIS RHETORICÆ

LIBRI III.

IN
TABULAS REDACTI,

ITEM

Rhetoricæ ejusdem explicatio, seu Notæ uberrimæ ad singula propè Capita.

Orationes Ciceronis majores, ac Virgilii, Horatii, Juvenalis &c. Selecta, quæ in Gymnasiis Soc. JESU prælegi solent

IN SCHOLA RHETORICÆ.



CASSOVIÆ,
Typis Academicis Soc. JESU, Annô 175[illegible]lo.

Hæc Rhetorica est Joannes Kaboczij

Conventus Szelnodiensis pro Usu Reperentiae.

1797.

Liszt Ferenc Könyvtári Központ
Nem adható el!
szeged raktárából

Jószef Attila Tudományegyetem Központi Könyvtára
SZEGED

TABULÆ RHETORICÆ,
SIVE
TOTIUS ARTIS RHETORICÆ
CYPRIANI SOARII è S. J.
ABSOLUTISSIMUM COMPENDIUM.

LIBER I.

Quid est Rhetorica, quod ejus officium, & finis.

CAPUT I.

Rhetoricæ
- Definitio: *est Ars, vel doctrina bene dicendi.*
- *Quid sit ars.* — *Ars est, quæ constat quibusdam rebus id est, præceptis cognitis, quæ unum finem spectant, & nunquam fallunt.*
- *Quomodo facta sit ars.* — *Cùm alii temerè, alii callidiùs dicant, potuerunt notari ea, quibus alii meliùs dicunt, ex quibus ars fieri potuit.*
- *Quid sit benedicere* — *Est optimis sententiis, verbisque lectissimis dicere.*

Officium, est appositè dicere ad persuadendum.
Finis persuadere dictione.

CAPUT II.

De Dignitate, & Utilitate Eloquentiæ.

Digna
- *Quia semper floruit, & dominata est in omni libero populo.*
- *Quia nihil est jucundiùs auditu, oratione ornata verbis, & sententiis.*
- *Quia nihil est tam magnificum, ac potens, quàm animos hominum oratione convertere.*

Eloquentia eſt.
- Utilis quia.
  - *Conſilia maximis de rebus explicat.*
  - *Languentes animos excitat.*
  - *Effrænatos coërcet, & cupiditatem frangit.*
  - *Hortatur ad virtutem, revocat à vitiis.*
  - *Laudat bonos, vituperat malos, & conſolatur mœſtos.*

Et quò major eſt ejus vis, ne quis eâ abutatur, eò magìs eſt cum probitate conjungenda.

CAPUT III.
De Materia Rhetoricæ.

Artis materia.
- *Eſt ea, in qua omnis ars verſatur, ùt medicinæ, morbi, & vulnera.*
- *Quæ in omni arte eſt terminata, exceptâ Dialecticâ & Rhetoricâ, quæ nullis terminis ſeptæ tenentur.*
- *Quare, materia Rhetoricæ ſunt omnia, quæ in diſputationem cadere poſſunt, & quævis quæſtio ad dicendum propoſita.*

CAPUT IV.
De Quæſtione.

Quæſtio.
- Propoſiti duo ſunt genera.
  - Eſt duplex.
    - *Altera, quæ dicitur Infinita, Propoſitum, græcè Theſis, cùm aliquid generatim quæritur, ùt: an Philoſophia ſit perdiſcenda.*
    - *Altera Finita, quæ Controverſia, latinè dicitur: græcè Hypotheſis, cùm quæſtio contrahitur ad*
      - *Perſonas, loca, tempora, negotia, ùt:*
      - *An Socrates fuerit jure damnatus ab Athenienſibus.*
  - *Alterum Cognitionis, cujus finis eſt ſcientia, ùt: an Sol ſit major terrâ.*
  - *Alterum Actionis, quod refertur ad aliquid efficiendum, ùt: quibus officiis amicitia ſit colenda.*

Cauſa-

Causarum tria sunt genera. { Quæ transferuntur etiam ad Causas, Judicii
Deliberationis,
Exornationis, seu laudationis.

CAPUT V.

De Exornatione, Deliberatione, & Judicio.

Partes { Exornationis. { Laus, & vituperatio. Tempus. { Præsens, Præteritum. Finis. { Honestas, Turpitudo. Motus. { Delectatio.
Deliberationis. { Suasio. Dissuasio. Tempus. { Futurum. Finis. { Utilitas, Detrimentum. Motus. { Spes, Reformidatio,
Judicii. { Accusatio Defensio. Tempus. { Præteritum. Finis. { Punitio, Impunitas. Motus. { Sævitia, Clementia.

CAPUT VI.

Quomodo Hypothesis ad Thesin revocanda sit.

Consultatio, id est, quæstio infinita quasi pars Causæ, id est, quæstionis finitæ; quia in ea continetur.

Quò fit, ut quæstio universa totas Causas sæpè contineat.

Ut ecce Quæstio hæc finita. { *An Aristotelis Philosophia sit perdiscenda, continet hanc:*
An Philosophia sit perdiscenda, quæ est infinita.

Unde id, de quo est tota quæstio, traducendum est ad perpetuam, seu infinitam quæstionem:

Nisi cùm de vero ambigitur, quod conjectura quæri solet.

Finita revocatur ad infinitam: quia { *Orationes, quæ latissimè vagantur, sunt ornatiores:*
Et quæ de universo genere dicuntur, valent ad judicium ferendum de singulis:
Et quæ de universo genere probantur, de parte etiam probari necesse est.
Unde excellens Orator semper, cùm potest, controversiam à personis, & temporibus avocat.

CAPUT VII.

De Partibus Rhetoricæ.

Eloquentiæ partes sunt quinque:

- *Inventio, quæ est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ quæstionem probabilem reddant.*
- *Dispositio, est rerum inventarum in ordinem distributio.*
- *Elocutio, est idoneorum verborum, & sententiarum ad inventionem accommodatio.*
- *Memoria est firma animi, rerum, ac verborum ad inventionem perceptio.*
- *Pronunciatio est ex rerum, & verborum dignitate, corporis, & vocis moderatio.*
- *Judicium non est sexta pars, sed tribus primis est permixtum: quia non invenit, qui non judicat.*
  - *Invenire,*
  - *Disponere,*
  - *Eloqui,*
  - *Memoria complecti,*
  - *Pronunciare.*
- *Sunt ergo quinque Oratoris opera.*

CAPUT VIII.

Quibus rebus Eloquentia comparetur.

Eloquentia comparatur.

- *Quatuor rebus:*
  - *Naturâ, id est, donis à natura tributis.*
  - *Arte, id est, præceptis.*
  - *Exercitatione.*
  - *Imitatione.*
- *Natura præstat. Ex parte.*
  - *Animi, celeres motus ad*
    - *Inveniendum,*
    - *Explicandum,*
    - *Exornandum, & memoriæ mandandum aptos.*
  - *Corporis,*
    - *Latera firma,*
    - *Canoram vocem,*
    - *Solutam linguam,*
    - *Oris & totius corporis conformationem.*

Quæ naturæ dona arte perfici, ac limari possunt.

Unde, si quis his donis non sit ità instructus; tamen dicendi

cendi ſtudium non ſpernat, cùm etiam in re præſtantiſſima mediocritas honori ſit.

CAPUT IX.
De Arte.

Unde orta ſit ars, & quid efficiat.

Ars orta eſt ex animadverſione naturæ, ideſt, eloquentiæ naturalis. Quare non eloquentia ex arte, ſed ex eloquentia ars orta eſt.

Ars ſola non efficit eloquentem: quia cùm omnes artem habere poſſint, omnes poſſent eſſe eloquentes, quod non ità eſt.

Ars ergo perficit, quæ ſunt à natura, dum

- *Monet, quò omnia ſint referenda, quæ ad finem faciunt.*
- *Indicat, an recta ſint quæ habentur à* — *Naturâ, Studio, Exercitatione.*
- *Efficit, nè fortuitò dicamus, & ut ſemper parati ſimus.*

Eſt itaque certior dux, quàm natura.

CAPUT X.
De Exercitatione.

Exercitationis.

Effectus perficit, & conſervat, quæ ars expolivit in natura.

Utilitas; ſinè ea nihil eſt egregium, nihil perfectum, ſinè qua nemo eloquentiam aſſequetur.

Ratio, ſive modus.

1. *Sumatur cauſa tractanda ſimilis earum, quæ ad Oratorem deferuntur.*
2. *Non dicatur exemplò: quia perversè dicendo, diſcitur perversè dicere.*
3. *Sumitur igitur ſpatium ad cogitandum, ut accuratiùs dicatur.*
4. *Sed præſtat ſcribere, cùm ſtylus ſit optimus dicendi effector.*

Eſt autem Exercitatio triplex.
- *Alia Orationis,*
- *Alia Actionis,*
- *Alia Memoriæ.*

CAPUT XI.

De Imitatione.

Utilitas, quia ſinè ea nemo ſatìs proficere poteſt.

Imitationis.
- *Ratio, ſive modus*
  - *Proponatur aliquis ſummus in arte imitandus, quem tota mente intueamur.*
  - *Quæ ſunt in eo ſumma, diligenter perſequamur.*
  - *Qui hanc ſimilitudinem eſſe volunt, crebrò de magnis rebus ſcribant, & dicant.*
- *Imitatio eſt duplex.*
  - *Altera Orationis, de qua dictum eſt.*
  - *Altera Actionis, quâ omnis deformitas in agendo removetur.*

CAPUT XII.

De Inventione.

Orationis munera ſunt duo:
- *Primum, invenire ea, quæ valent ad fidem faciendam: quod ſpeciatim fit in propoſito.*
- *Alterum movere amplificando, quod fit in cauſis: Motûs autem quatuor ſpecies.*
  - *Moleſtia* (de malo) — *Præſenti.*
  - *Metus* (de malo) — *Imminenti.*
  - *Voluptas* (de bono) — *Præſenti.*
  - *Cupiditas* (de bono) — *Venturo.*

Eſt itaque
- *Moleſtia, opinio recens præſentis mali.*
- *Voluptas, opinio recens præſentis boni.*
- *Metus, opinio impendentis mali.*
- *Cupiditas, opinio venturi boni.*
- *Opinio autem, imbecilla aſſenſio.*

CA-

CAPUT XIII.

Quid Inventio, Argumentum, & Argumentatio.

Quid sit
- *Inventio, est excogitatio argumenti.*
- *Argumentum, est probabile inventum ad faciendam fidem.*
- *Fides, est firma opinio, quæ argumentatione gignitur.*
- *Argumentum, est argumenti explicatio, quæ apud Oratores est fusior, quàm apud Dialecticos.*
- *Argumenta sumuntur ex locis.*
- *Locus, est argumenti sedes: seu nota, quâ indicatur, quid in rebus perveſtigare debeamus.*

CAPUT XIV.

Quotuplicia sint Argumenta.

Argumenta alia sunt.
- *In eo ipso, de quo agitur, & ideo insita dicuntur: ut si probes Eloquentiam esse expetendam, quia ars est benedicendi.*
- *Extrinsecus assumuntur, quæ remotæ vocantur: ut si idem probes, quia Aristot. id dixit.*

CAPUT XV.

De Numero Locorum.

Loci.

Intrinseci sunt. — *sedecim.*
- *A Definitione,*
- *Partium Enumeratione,*
- *Notatione,*
- *Conjugatis,*
- *Genere & Forma,*
- *Similitudine, &*
- *Dissimilitudine,*
- *A Contrariis,*
- *Adjunctis,*
- *Antecedentibus,*
- *Consequentibus,*
- *Repugnantibus,*
- *Causis, & Effectis,*
- *A Comparatione* — *Majorum,* *Minorum,* *Parium,*

Extrinseci sunt.
- *Præjudicia,*
- *Fama,*
- *Tormenta,*
- *Tabulæ,*
- *Jusjurandum,*
- *Testes.*

CAPUT VI.
De Definitione.

Definitio.

- *Quid sit*
  - *Eſt oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid ſit: ùt iſta oratio.*
  - *Doctrina benè dicendi, quæ explicat, quid ſit Rhetorica.*
- *Quomodo fiat.*
  1. *Invenitur aliquid commune rei, quæ definienda eſt, & aliis rebus: ùt doctrina, vel ars in definitione Rhetoricæ.*
  2. *Invenitur aliquid, quò id, quod definitur, ab aliis differt, ùt eſt: bene dicere, in allata definitione.*
  3. *Latiùs definit Orator, quàm Dialecticus; & verbis non ſolùm propriis, ſed etiam translatis.*

Eſt autem Definitio Oratori neceſſaria: quia ſæpè explicanda eſt res, de qua quæritur.

- *Argumentum à Definitione hoc modo ducitur.*
  - *Si vis probare jus civile eſſe utile, ipſum definias hoc modo:*
  - *Jus civile eſt cognitio æquitatis.*
  - *At cognitio æquitatis eſt utilis: igitur & jus civile.*

CAPUT XVII.
De Partium Diſtributione.

Partium Diſtributio eſt, cùm aliquod genus, ſive totum in ſuas partes diſtribuitur; ùt Virtus, ſive honeſtum: in quatuor partes, id eſt, in Juſtitiam, Prudentiam, Fortitudinem, & Temperantiam.

In argumento à Partium Diſtributione ſumendæ ſunt omnes partes, ità ut nulla relinquatur.

Ut ſi velles probare calliditatem non eſſe virtutem, diceres: Calliditas non eſt Juſtitia, nec Prudentia, nec Fortitudo, nec Temperantia, igitur nec virtus.

CAPUT XVIII.
De Notatione.

Notatio, ſeu Etymologia verborum originem inquirit.

Eſt

Eâ ſæpè Oratores, & Poëtæ utuntur, hoc modo: Conſul eſt, qui conſulit patriæ; non igitur Piſo Conſul, qui eam evertit.

CAPUT XIX.
De Conjugatis.

Conjugata dicuntur, quæ ſunt ex verbis generis ejusdem, ùt ſunt, quæ orta ab uno variè commutantur; ùt: ſapiens, ſapienter, ſapientia.

Argumentum deducitur hoc modo: Cùm eſſet cauſa Conſularis, & Senatoria, opus erat auxiliô Conſulis, & Senatûs.

Item: Pietas laudanda, igitur, & qui piè agit.

CAPUT XX.
De Genere, & Forma.

Quid ſit

Genus eſt, quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes, duas, aut plures continet partes.

Partes, quas genus amplectitur, formæ dicuntur; ùt: Virtus eſt genus, partes ſunt, Prudentia, &c. unde

Forma, eſt pars generi ſubjecta.

A genere ſic ſumitur argumentum: Virtutis laus in actione conſiſtit: igitur & Prudentiæ laus in actione conſiſtit.

A forma, quod Juſtitia eſt, utique Virtus eſt.

CAPUT XXI.
De Similitudine, & Diſſimilitudine.

Similitudo.

Eſt, quæ traducit ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile.

Ab ea ſumitur argumentum hoc modo: ùt morbô affecti cibi ſuavitatem non ſentiunt; ità avari guſtum laudis non habent.

Ex Diſſimilitudine, ſeu differentia, hoc modo: ſi barbarorum eſt in diem vivere, noſtra conſilia ſempiternum ſpectare debent.

CAPUT XXII.

De Contrariis.

Contrariorum quatuor sunt genera.

- *Adversa, quæ inter se maximè distant, ùt: Privantia sunt habitus, & ejus privatio: ùt*
  - *Bellum.* — *Pax.* — Argum. — *Bellum est perniciosum, igitur pax expetenda:*
  - *Virtus, Vitium.* — Argum. — *Virtus sequenda, igitur vitium fugiendum.*
  - *Vita & Mors.* — *Lux & tenebræ.* — Argum. — *Non sunt ultores mortis, qui vitam non restituunt, si possint.*
- *Quæ inter se conferuntur seu Relata: ùt*
  - *Datum, acceptum.* — Argum. — *Si in accepto est laus, erit etiam in dato.*
  - *Dux, miles.* — Argum. — *Si discere est honestum, ergo & docere.*
- *Negantia, quorum unum negat alterum:*
  - *Hoc est, Hoc non est.* — Argum. — *Est probus, quare non est improbus.*

CAPUT XXIII.

De Adjunctis.

Adjuncta.

- *Sunt ea, quæ cum re sunt conjuncta; ùt:* — *Tempus, locus, apparatus, collacquia, robur, pallor, &c.*
- *Latissimè patent, quæ sumuntur ab* — *Animô, ùt virtus, vitia.* — *Corpore, ùt pulchritudo, deformitas, &c.*

Argumentum. *Vesperi visus est cum gladio stipatus, &c. ergo occidit. Est incredibili virtute, constantiâ, & gravitate præditus, igitur fœdera non rupit.*

CAPUT XXIV.

De Antecedentibus, & Consequentibus.

Antecedentia sunt ea, quæ sic antecedunt consequentia, ùt cum ipsis necessariò cohæreant, in quo ab Adjunctis distinguuntur.

Argum.

Argum. *Ortus eſt Sol, igitur dies eſt.*

Conſequentia ſunt, quæ rem neceſſariò conſequuntur, ùt: Dies eſt, igitur ortus eſt Sol. Luculentam accepiſſe plagam declarat cicatrix.

CAPUT XXV.

De Repugnantibus.

Repugnantia, neque certa lege, neque numerò inter ſe diſſident; qua ratione à Contrariis, & Diſſimilibus diſcernuntur; ùt: amare, nocere, & lædere repugnant.

Argum. *Amat illum, igitur non inſectatur convitiis, non lædit.*

CAPUT XXVI.

De Cauſis.

- *Eſt, quæ ſua vi efficit id, cujus eſt cauſa; ùt: ignis, ardoris, cruditas, morbi.*
- Cauſa
  - *Eſt quadruplex.*
    - *Finalis, cujus gratia fit aliquid; ùt: hominis beata vita.*
      - Arg. *Homo eſt factus ad contemplandum, ergo non ad paſtum.*
    - *Efficiens, à qua aliquid eſt: Sol diem efficit.*
      - Arg. *Senectus caret poculis, quare & temulentia.*
    - *Forma eſt ratio rei, & nota, per quam res eſt id, quod eſt, & ab aliis diſtinguitur.*
      - Arg. *Animus hominis eſt immortalis, igitur ad æternitatem beatæ vitæ aſpiret.*
    - *Materia eſt, ex qua, & in qua res ſunt, ùt: ſtatuæ, æs.* Arg. *Corpus eſt mortale, ergo ab eo animus eſt ſevocandus.*

CAPUT XXVII.

De Effectis.

- *Sunt ea, quæ orta ſunt de cauſis, ùt: dies à Sole.*
- *Sunt Numero totidem, quot cauſarum genera, cùm quævis cauſa ſuum habeat effectum.*
- *Cognoſcuntur per ſuas cauſas, quoniam quæli-*

Effecta. *causa ſuum oſtendit effectum, ùt: Bellum eſt effectus pacis, quæ eſt finis belli: dies Solis; homo, corporis, & animi.*

Argumentum ſumitur hoc modo: Virtus parit laudem, ergo ſequenda; voluptas infamiam gignit, igitur fugienda.

CAPUT XXVIII.

De Comparatione.

A Comparatione majorum: Si non convenit majus, neque minus conveniet, ùt: Clari cives Saturnini, & aliorum ſanguine non ſe contaminârunt, imò honeſtârunt; igitur ne is, qui Catilinam, qui fuit civium interfector, occiderit.

Hic locus tractatur tripliciter.

Minorum: Si quod minus videtur convenire, convenit etiam id quod magìs, ùt: Surgunt de nocte latrones, ut homines jugulent, tu, ut teipſum ſerves, non expergiſceris?

Parium, qui locus nec elationem, nec ſubmiſſionem habet; ùt: Non licuit Mamertinis fœderatis imperare navim, ergo nec Tauromenitanis fœderatis imperare licebit.

CAPUT XXIX.

De Argumentis remotis.

Remota, ſive Aſſumpta dicuntur ſinè arte, non quòd ſinè arte tractentur, ſed quòd ea non parit Oratoris ars.

Quæ Cicero nomine Teſtimonii complectitur, ſed Quintil. diviſit in Præjudicia, Teſtes, &c.

Argumenta. *Quæ ut ex ſe arte carent, ità eloquentiæ viribus ſæpè allevanda, & refellenda ſunt.*

Olim Oratores cùm cauſas in judiciis agebant, quæ ad hoc genus rerum pertinebant, meditata habebant; nunc judiciis ad Jure-conſultos translatis, cognoſcenda ſunt, ad Oratorum ſcripta intelligenda.

CAPUT XXX.

De Præjudiciis, & Teſtibus.

Præjudiciorum vis omnis tribus generibus continetur.

Rebus, quæ aliquando ex paribus cauſis ſunt judicatæ, quæ exempla rectiùs dicuntur.

Judiciis ad ipſam cauſam pertinentibus, unde etiam nomen ductum eſt ùt in Miloniana.

Aut, cùm de eadem cauſa eſt pronuntiatùm.

De Teſtibus

Olim Oratores multa pro teſtibus, & contra teſtes dicebant, ùt patet in orat. pro Flac.

Nunc judiciorum mutata ratio facit, ut ne is labor ſit neceſſarius.

CAPUT XXXI.

De Uſu, & Utilitate Locorum.

Qui vult in dicendo excellere, habeat locos paratos, & expeditos.

Ubi res ad dicendum proponitur, inſpiciendi ſunt diligenter omnes loci, unde argumenta ſumuntur.

Quæ ei facilè occurrent, qui locus cogitatione ſepſerit, & ſtudium, ac diligentiam adhibuerit.

CAPUT XXXII.

Qui modus in Argumentis adhibendus.

Hâc argumentorum copiâ non eſt imprudenter utendum, & non ſolùm invenienda, ſed etiam judicanda ſunt.

Siquidem non ſemper, nec in omnibus cauſis, eadem argumentorum momenta ſunt.

Unde levia, aliena, & inutilia reſecanda ſunt; habeatur igitur cum judicio ſelectus.

Et quia iidem loci valent ad faciendam fidem, & motum; & non faciè, quæ ad movendum affectus conferunt, cognoſcuntur, de affectibus movendis dicendum eſt.

CA-

CAPUT XXXIII.

De Affectibus.

Maxima vis exiſtit Oratoris in hominum mentibus permouendis, quod amplificatione fit.

Amplificatio eſt gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.

Quæ verborum, & rerum genere fit; de verbis dicetur, cùm de elocutione agetur.

Rerum amplificatio ſumitur ex Locis, qui valent ad fidem faciendam: Definitionibus conglobatis, à Conſequentium frequentatione, &c.

à Capite XXXIV. ad LX.

De Locis unde ſumuntur amplificationes.

Amplificationes ſumuntur

A Definitionibus conglobatis, cùm aliquid variis modis definitur; ùt: Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ.

A Conſequentium frequentatione, cùm plura conſequentia conglobantur.

A Contrariarum rerum conflictione, ùt: Inertes homines fortiſſimis inſidiari, ſtultiſſimos prudentiſſimis, ebrioſos ſobriis, dormientes vigilantibus.

A Diſſimilium, & inter ſe pugnantium rerum conflictione, ùt in 2. Phil. O tecta ipſa miſera! &c. Eundem lædere, & laudares, & virum optimum, & hominem improbum eſſe diceres.

A Cauſis conglobatis, & his, quæ ſunt orta de cauſis, cùm multæ cauſæ, & multa effecta conglobantur.

A Similitudine, & Exemplo, cùm multa ſimilia frequentantur, & exempla conglobantur.

CAPUT XL.

Quæ ſint ad amplificandum adhibenda.

Naturâ { *Divina, cœleſtia.*
ùt: { *Quæ habent cauſas occultas.*
{ *Quæ ſunt admirabilia in terris.*

Si

Si cauſa patiatur, adhibenda magna: quorum alia ſunt magna.

- *Uſu hominum:* *Proſunt* — *hominibus*, †
- *ùt ſunt ea, quæ vel multùm.* *Obſunt* — *hominibus*, †
- † *Horum tria ſunt genera; nam homines moventur aut*
  - *Charitate erga* *Deum, Patriam, Parentes, Fratres, Conjuges, Liberos* — *Dicitur pro his.* — *Retinendis, Amiſſis, Periculo Admittendi.*
  - *Amore erga* (*Honeſtate virtutis & maximè*) — *Juſtitiæ, Liberalitatis.*

CAPUT XLI.

Quid in Amplificatione ſervandum.

In amplificatione nihil nimis enucleandum eſt: minuta eſt enim, omnis diligentia; hic autem locus grandia requirit:

Unde judiciò eſt opus, ut videamus quo genere, quaque in cauſa utamur agendi †

Unde †

- *In Exornatione tractantur loci, qui*
  - *Admirationem, Expectationem, & voluptatem, Bonorum & malorum.* — *moveant, enumerationis.*
  - *In Deliberatione* — *Ubi exempla plurimum valent.*
- *In Judiciis ab*
  - *Accuſare, quæ ad iracundiam.*
  - *Reo, quæ ad miſerationem pertinent.*
  - *Sed interdum ille ad miſericordiam, hic ad iracundiam movet.*

CAPUT XLII.

Cur quædam inventionis præcepta ad cauſarum genera dentur accomodata, & de dignitate exornationis.

Etſi ex ſupradictis locis omnis ad omnem orationem manat inventio.

Tamen

Genus Exornationis.

Tamen facilitatis causâ seorsim præcepta de singulis generibus dantur.

Est latum, & spatioſum, quòd non ſolùm ad homines laudandos, ſed etiam animalia, & animâ carentia adhibeatur.

Nullum eſt genus hoc uberius ad dicendum, aut quod utilius civitatibus eſſe poſſit.

Conficitur hoc genus magis ad motus animi leniter tractandos, quàm ad fidem faciendam. Proprium enim laudis eſt res amplificare, & ornare.

Ante vitam à	*Patria*		*Reſpondit eorum virtuti.*
	Parentibus		*Nobilitavit genus ſuis factis.*
	Majoribus		
	Hac pertinent oracula, reſponſa, & ſigna, quæ futuram claritatem indicârunt.		
ca. 43.	*Externis, ùt ſunt:*	*Educatio, Opes, divitiæ,*	*Habuit, bene uſus eſt, non ſuperbè, &c.*
		Potentia, ſi propinqui, Gratia &c.	*Non habuit, patienter tulit, aut amiſit.*
In vita à bonis	*Corporis, ùt:*	*Forma, quæ præcipuè laudatur, cum ſit virtutis ſignum.*	
		Viribus, Valetudine, &c.	*ſed horum levior eſt laus, quàm quæ à virtute proficiſcitur.*
ca. 44.	*Animi, ſeu à virtute quæ vel eſt*	*Virtus Cognitionis, ùt:*	*Prudentia, quæ eſt rerum expetendarum, & fugiendarum ſcientia.*
			Sapientia, quæ eſt rerum, divinarumque humanarum ſcientia, cujus comites ſunt. — *Dialectica. Eloquentia.*
ca. 45.			

Huc

Laudationis Loci.

- *Hùc pertinent ſtudia omnium bonarum artium.*
- *Actionis, cujus partes ſunt*
  - *Juſtitia, quæ dat cuique ſuum, cujus partes ſunt*
    - *Religio in Deum.*
    - *Pietas in parentes.*
    - *Fides in rebus creditis.*
    - *Lenitas.*
    - *Amicitia.*
  - *Fortitudo, quæ*
    - *Cap. 46.* *labores, & pericula cum ratione ſuſcipit.*
    - *Temperantia, quæ libidines frænat.*
    - *Verecundia, quæ eſt virtutum cuſtos.*
- *Sumitur laus à loca virtutis,*
  - *Si cuique virtuti propria laus à proprio officio, & munere ſumpta tribuatur.*
  - *Si res geſtæ laborioſæ, cum periculo, ſinè ſpe præmii, & aliorum causâ ſumptæ laudentur.*
  - *Si adverſi caſus patienter, & ſapienter tolerati.*
- *Cap. 47.* *Si ſumantur laudanda, quæ ſint.*
  - *Novitate magna,*
  - *Magnitudine præſtantia,*
  - *Genere ipſo ſingularia.*
  - *Si cum aliis præſtantibus viris fiat comparatio.*
- *Cap. 48. Atempore poſt vitam conſideratur*
  - *Genus ipſum mortis, &*
  - *Quæ mortem conſecuta ſunt, ùt:*
    - *Habiti honores.*
    - *Decreta virtutis.*
    - *Res geſtæ, hominum judicio comprobatæ.*
    - *Filiorum inſtitutio, artium inventio, & inſtituta.*

CAPUT XLIX.

De Laude urbium.

Laudantur urbes, à { Conditoribus, Venustate, Viris illustribus, & eorum gestis, Asitu, & munitione.

CAPUT L.

De Deliberatione.

Præcepta de Exornatione tradita conferunt etiam ad sententiam dicendam, quia, quæ laudantur, suaderi solent.

In Deliberando finis est dignitas, ad quam omnia referuntur in consilio dando.

In suadendo, & dissuadendo tria spectanda sunt { Quia sit, de quo deliberetur. Qui sint, qui deliberent. Quis sit, qui suadeat.

CAPUT LI.

De re, de qua deliberatur.

De re { Aut certum est posse fieri: & tunc potest esse dubium de { Tempore, & Modo. Aut incertum, & tunc solemus, priùs ostendere. { Etiam si fieri possit, non deberе. Deinde non posse fieri.

In suadendo tres sunt partes { 1. Fieri posse, & facilè: quia difficilia sunt perinde, acsi fieri non possent. 2. Esse honestum. 3. Esse utile. ubi etiam magnitudo demonstratur, in qua etiam necessitas apparet.

CAPUT LII.

De his, qui deliberant.

Diversi sunt deliberantium animi, sive plures, sive singuli deliberent: quia

in { Pluribus multum interest, an { Senatus. Populus, Singulis, an { Cato, Cicero, Cæsar: ideo { Romani, an Galli deliberent.

Sunt

†Intuēda sunt	*Sexus, Dignitas, Ætas, & maximè mores.*	*Duo enim sunt hominum genera;*	*Alterum agreste. quod antefert utilitatem honestati. Alterum expolitum. Quod rebus omnibus dignitatem anteponit.*

CAPUT LIII.

De Prima parte suadendi.

Honestas

Mirabiles sui amores excitaret, si oculis cerneretur; sed ob vitiatam naturam cohortatione opus.

Honestatem apud	*Homines honestos facilè est persuadere: at apud turpes non ità: unde non sunt apertè objurgandi sed moveri possunt:*	*A laude, & Utilitate*	*futura.*
		Vulgi opinione.	
		Objiciendo metum, quo homines levissimi facile terrentur,	
	Officium, quod scientia, & cognitione continetur, postponitur.		
Interdum quæritur, quid sit honestius.	*Officio, quo hominum societas, & conjunctio conservatur; cujus partes sunt. officium erga*		*Deum, Patriam, Parentes, & sic deinceps.*

CAPUT LIV.

De Utilitate.

Utilitatis partes pro	*Eo, qui suadet, sunt*	*Facilè, Magnum, jucundum, Sinè periculo,*	*Solet etiam quæri, utrum utilius †*
	Eo, qui dissuadet, sunt	*Difficile, Parvum, Injucundum. Periculosum,*	

Cùm utilitatis ſpecies cum honeſtate certat, qui

- *Utilitatem defendit, enumerabit*
  - *Commoda pacis, opum, potentiæ, & res, quarum fructum utilitate metimur.*
  - *Item, quæ incommoda contrariorum.*
- *Honeſtatem tuebitur, enumerabit.*
  - *Majorum exempla, cum periculo glorioſa.*
  - *Poſteritatis memoriam augebit.*
  - *Utilitatem ex laudenaſci oſtendet, & cum dignitate eſſe conjunctam.*

Exercitatio defendendi utilitatem contra honeſtatem eſt utilis in ſcholis, quia iniquorum ratio cognoſcenda eſt, ut meliùs æqua tueamur.

CAPUT LV.

De eo, qui ſuadet.

Suadere, & diſſuadere, eſt viri

- *Sapientis, Honeſti, & Diſerti, qui poſſit*
  - *Mente providere, Authoritate probare.*
  - *Oratione perſuadere.*

Cujus viri

- *Vita illuſtris, Clarum genus, Ætas & dignitas*
  - *Expectationem afferunt: ſed videndum eſt, ne quæ dicuntur, ab eo, qui dicit, diſſentiant.*

† At his contraria

- *Submiſſiorem quemdam modum poſtulant: Nam, quæ in aliis libertas eſt, in aliis licentia vocatur.*
- *Et quibusdam ſufficit auctoritas, quosdam ratio ipſa ægrè tuetur.*

CAPUT LVI.

Quædam in Deliberatione ſervanda.

Ad conſilium dandum, caput eſt, nôſſe Rempublicam.

Ad dicendum probabiliter, oportet, noſcere mores civitatis.

Qui, quia mutantur, etiam orationis genus mutandum erit.

In Senatu
- *Sinè majori apparatu dicendum.*
- *Sapiens enim eſt conſilium, & aliis dicendi dandus eſt locus.*
- *Vitanda eſt ingenii, oſtentationiſque ſuſpicio.*

Concio
- *Omnem orationis* { *Vim, Gravitatem, Varietatémque* } *deſiderat.*
- *Et ejus maxima pars ad animorum motus admovenda eſt.*

Ad perſuadendum vim maximam habent exempla.
- *Aut recentium, quò notiora ſunt:*
- *Aut veterum, quò plùs authoritatis habent.*

De his, quæ judiciis accomodata ſunt, nihil eſt dicendum.
- *Quia eorum mutata eſt ratio, & ità minùs ſunt neceſſaria.*
- *Et ex ſupradictis locis intelligi poſſunt.*
- *Et ex iis, quæ de partibus orationis dicentur.*

TABULÆ LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.

De Diſpoſitione.

Diſpoſitio.

ESt Oratori maximè neceſſaria: non ſecùs, ac duci exercitûs inſtructio, ne confuſè, & perturbatè dicat.

Eſt autem diſpoſitio, rerum inventarum diſtributio.

Cujus in infinita quæſtione ordo eſt forè idem, qui expoſitus eſt Locorum.

In definita adhibenda ſunt etiam, quæ ad motum animorum pertinent: quò fit, ut utamur
- *Exordio, in quo fit motus.*
- *Narratione, & Confirmatione.* } *qua docent.*
- *Peroratione, quâ fit motus.*

CAPUT II.

De Exordio.

Eſt oratio animum Auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem.

Exordium.

- *Quod tribus maximè rebus fiet, ſcilicet, ſi auditorem, Benevolè audiet, ſi captabitur benevolentia †*
  - *Benevolum,*
  - *Attentum,*
  - *Docilémque fecerimus.*

Auditor.

- *† à perſona*
  - *Noſtra Auditorum Adverſariorum,* — *Quod fiet narrando* — *Merita, Officia, Virtutes, Et Contraria in adverſarios conferendo.*
  - *Magnis, Neceſſariis,*
- *Attentè ſi de*
  - *Utilibus rebus, etiam ipſis Auditoribus, nos eſſe dicturos promittemus.*
  - *De qua re ſimus dicturi, oſtendemus.*
  - *Propoſuerimus, & breviter diſtribuerimus.*
- *intelligenter, ſi*
  - *Definiverimus.*

CAPUT III.

De Generibus cauſarum.

Cauſarum genera, pro quorum ratione variè exordiendum eſt, ſunt quinque:

- *Honeſtum, quod per ſe conciliat animum Auditoris.*
- *Dubium, vel anceps, in quo opus eſt benevolentiâ*
- *Obſcurum, quod docilitatem requirit.*
- *Humile, quod attentionem poſtulat.*
- *Admirabile, quod eſt præter hominum opinionem, ſub quo etiam turpe continetur. quod inſinuationem poſtulat.*
- *Quæ latenter animum Auditoris occupat.*

Quâ utimur,

- *Si cauſa, vel perſona ſit turpis, quorum alterum juvabit.*
- *Si animi Auditorum, adverſariorum oratione ſint occupati, vel fatigati.*

Si ſint defeſſi, quos recreabimus

- *Spe brevitatis,*
- *Si promittimus adverſariorum argumenta confutaturos.*
- *Si urbanitatem opportunam adhibebimus.*

CA-

CAPUT IV.

Cuiuſmodi Exordia eſſe debeant.

Bona erunt exordia, ſi

Accurata, & acuta.

Inſtructa ſententiis, & apta verbis.

Sint cauſarum propria.

Sumantur ex iis cauſæ locis, qui valent adleniter alliciendum, & incitandum Auditorem, quod maximè exordia ſpectant.

CAPUT V.

De vitiis Exordii.

Vulgare, quod in plures cauſas poteſt accommodari.

Commune, quod etiam in contrariam partem cauſæ poteſt convenire.

Exordiorum vitia ſunt ſeptem.

Commutabile, quod poteſt ab Adverſario leviter mutatum, ex contraria parte dici.

Longum, quod pluribus verbis, ultra, quàm ſatis eſt, producitur.

Separatum, quod non ex ipſa cauſa ductum eſt, nec tanquam membrum ei annexum.

Translatum, quod aliud conficit, quàm cauſæ genus poſtulat.

Contra præcepta, quod nihil eorum efficit, quorum causâ de Exordiis præcepta traduntur.

CAPUT VI.

De Exordio in genere Judiciali.

In hoc genere:

Curandum eſt, ut exordia ex viſceribus cauſæ ſumantur.

Laudatio, & conciliatio judicis ad utilitatem cauſæ conjunguntur.

Allegantur pro honeſtis, dignitas; pro humilibus, juſtitia; pro læſis, ſeveritas; pro infelicibus, miſeria; &c.

Interdum removetur motus, interdum verò adhibetur.

Non eſt oſtentanda cura in principio.

In honeſtis, & parvis, atque frequentibus cauſis non adhibetur exordium.

CAPT VII.

De Exordio in Exornatione, & Deliberatione.

Exordia ſunt maximè libera, & ex re vicina, & longè remota dici poſſunt.

Sæpè nulla, aut brevia eſſe debent, cùm non ſupplex, ſed hortator veniat orator.

In hoc genere

Cùm principio utetur, proponat:
- *Qua mente ſit dicturus,*
- *Quibus de rebus,*
- *Quid velit,*
- *Hortetur ad ſe breviter dicentem audiendum.*

CAPUT VIII.

De Narratione.

Narratio eſt rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei, †

† Quæ tribus rebus conſtat:

Brevitate: erit brevis, ſi
- *Conſtet ſimplicibus verbis: Semel unaquæque res dicatur.*
- *Recenſentur, quæ nec cognitioni, nec utilitati detrahant.*
- *Brevitas tamen non ſit inornata, & indocta.*

Perſpicuitate: erit perſpicua, ſi
- *Verbis uſitatis utemur;*
- *Ordo temporum ſervetur;*
- *Non interruptè narrabitur;*
- *Quæ narrantur, perſonis, locis, & rebus convenient.*

Probabilitate: erit probabilis,
- *Cujuſcunque facti, & eventi cauſa ponetur, & teſtata dici videbuntur;*
- *Cum opinione, lege, religione erit conjuncta;*
- *Probitas narrantis.*
- *Antiquitas, orationis veritas, & vitæ fides ſignificabitur.*

Per hæc efficietur, ut auditor.
- *Intelligat,*
- *Meminerit,*
- *Credat.*

Si

Sit etiam jucunda, & ſuavis: talis erit, ſi continebit

Admirationes,
Expectationes,
Motus animorum.
Colloquia perſonarum,
Dolores, lætitias, &c.

CAPUT IX.

Quando Narratione utendum eſt.

Judiciis non eſt opus narratione, ſi res ſit nota, vel adverſarius narravit.

Exornatione, nulla narratio neceſſariò ſequitur exordium, ſed aliqua in recenſendis factis poteſt incidere.

Deliberatione, nulla eſt narratio, cùm narratio ſit præteritorum; extrinſecus tamen in deliberatione multa narrari poſſunt.

Privata deliberatio certè nunquam narrationem exigit.

In concionibus ſæpè illa, quæ ordinem rei docet, neceſſaria eſt.

CAPUT X.

De Confirmatione.

Confirmatio.

Eſt, in qua firmamenta cauſæ afferuntur; dum quæ contra non ſunt, refellimus, & noſtra confirmamus.

Confirmatio, & confutatio, naturâ, tractatione, & utilitate ſunt conjunctæ.

Tota ſpes vincendi, & ratio perſuadendi in hac parte ſita eſt, cùm in ea noſtra confirmemus, contraria ſolvamus.

Utrumque commodè fieri poteſt, cùm cauſæ conſtitutio, ſive ſtatus cognoſcitur.

CAPUT XI.

Quid ſit Status.

Eſt quæſtio, quæ ex prima cauſarum conflictione naſcitur.

Ut ſi intentio accuſatoris ſit: conjuràſti cum Catilina; depulſio defenſoris: Non conjuravi, oritur quæſtio: an conjuraverit?

Quæ quæſtio vocatur conſtitutio, & Status.

Dicitur Status, quòd ibi ſit primus cauſæ congreſſus, vel quòd in eo cauſa ſiſtat.

CAPUT XII.

Quot ſint Status.

Cùm tria ſint, quæ in omni diſputatione quæruntur. ſit necne, quid ſit, quale ſit. †

† tres etiam ſunt ſtatus.

An ſit? an Clodius inſidiatus ſit Miloni? ubi opus eſt conjecturâ; & ideo Conjecturalis dicitur.

Quid ſit aliquid, & quo nomine afficiendum? ut furit Cæſar tyrannus, vel Rex? qui dicitur ſtatus Definitionis.

Quale ſit? & dicitur Qualitatis? ubi quæritur de { *Utilitate, Honeſtate, Æquitate, Et de contrariis.*

Qualitatis partes ſunt duæ:

Abſoluta, cùm id, quod factum eſt, nulla ratione extrinſecùs petita, rectè factum eſſe demonſtratur.

Aſſumptiva, cùm aliquid neceſſariò foris aſſumitur, ut probetur rectè factum.

CAPUT VIII.

De Ratione, Firmamento, & Judicatione.

In ſtatibus.

Ratio dicitur ea, quæ affertur à reo depellendi criminis causâ, ſinè qua non haberet, quid defenderet.

Firmamentum, quod affertur contra ad labefactandam rationem; ſinè quo accuſatio ſtare non poteſt.

Ex utriuſque conflictione, & concurſu oritur quæſtio quædam.

Judicatio eſt, quæſtio illa, quæ oritur ex iſta conflictione: ſic dicta, quod in judicium veniat.

Ad judicationem omnis ratio totius orationis conferenda eſt, ac propterea reperienda eſt.

In conjectura nulla eſt diſceptatio: quia, cùm negatur factum, non redditur ratio.

Undè in cauſis conjecturalibus, eadem eſt prima quæſtio, & diſceptatio extrema.

CA-

CAPUT XIV.

Quæ, & quot quæſtiones oriantur ex ſcripto, & quo ſtatu contineantur.

Ex ſcripti interpretatione quatuor modis oritur contentio, vel

Cùm defenditur ſcriptum non dicere, quod adverſarius vult; dicitur ambiguum.

Cùm ſcripto apponitur voluntas ſcriptoris, diſcrepantia ſcripti, & voluntatis;

Cùm ſcripto contrarium ſcriptum aſſertur; ſcriptura contraria.

Cùm ex eo, quod eſt ſcriptum, aliud non ſcriptum deducitur, quod ratiocinatione fit; dicitur ratiocinatio.

Hæc quatuor controverſiarum genera ſemper in qualitatis ſtatum cadant.

CAPUT XV.

Quomodo Status tractentur.

Judicatione conſtituta, eam ſibi ob oculos proponat orator, quò omnes argumentationes ex locis repertæ conjiciantur.

Quos locos qui habebit in mente defixos, omnia videbit; quæ in re propoſita dici poſſint.

Argumenta ità collocabit, ut firmiſſima in principio, quæ excellunt in extremo loco, mediocria in medio ponantur, vitioſa nullibi.

CAPUT XVI.

De Argumentatione.

Argumentatio eſt argumenti explicatio, vel artificioſa expolitio; cujus partes ſunt: { *Ratiocinatio,* *Inductio,* *Enthymema,* *Exemplum,*

Quæ conficitur ex locis: ſi certa, aut probabilia ſumpſeris, quibus efficias, ut quod dubium, aut minùs probabile eſt, probabile videatur.

Pro certis { *Primùm, quæ ſenſibus percipiuntur, ùt quæ videmus, audimus.* *Deinde: quæ communi opinione, & ſententia ſunt comprobata.*

Hæc

Hæc habemus

Præterea, quæ legibus cauta ſunt; quæ in mores recepta.

Et denique id, quod eſt probatum, cui adverſarius non contradicit.

Probabilium genera ſunt tria:

Unum firmiſſimum, quod fere ſemper accidit: ut liberos à parentibus amari.

Alterum velut propenſius, eum, qui rectè valet, in craſtinum perventurum.

Tertium, tantùm non repugnans, ut in domo furtum factum ab eo, qui domi fuit.

CAPUT XVII.

De Ratiocinatione.

Ratiocinatio, quam Græci ſyllogiſmum, & Epicherema vocant, conſtat

Propoſitione, per quam locus ponitur, ex qua tota vis ratiocinationis emanat.

Propoſitionis confirmatione.

Aſſumptione, quâ, quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur.

Aſſumptionis probatione.

Complexione, quâ, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur.

CAPUT XVIII.

Quot ſint partes Ratiocinationis.

Parùm refert, ſive tripartitam, ſive quinque partitam dicas.

Commodior tamen eſt illa partitio, quæ in tres partes diſtributa eſt; ità ut propoſitio, & aſſumptio cum ſuis probationibus duas faciant partes.

Si probationes ſeorſim ſumantur, erit quinque partita.

Cùm propoſitio, & aſſumptio ſunt notæ, conficitur ratiocinatio omiſſis confirmationibus.

Non ſemper incipiendum eſt à propoſitione, ſed etiam à complexione, & aſſumptione, ut vitetur ſimilitudo, ſatietatis mater.

CA-

CAPUT XIX.

De Enthymemate.

Enthymema.

Eſt imperfectus ſyllogiſmus, vel ſyllogiſmi pars.

Unde ſi una ratiocinationis pars auferatur, fiet Enthymema; ùt: Eloquentia eſt ars, igitur exercenda.

Optimum Enthymema illud eſt,, quod fit ex pugnantibus: & quod etiam ſolum Enthymema quidam per excellentiam vocant.

Ut, quem alienum fidum invenies, ſi tuis hoſtis fueris?

Enthymema, latinè commentum, & commentatio; quo nomine bipartita ſignificatur argumentatio: ſic dicta, quòd in animo maneat illa pars præterita.

CAPUT XX.

De Inductione.

Inductio.

Eſt oratio, quæ ex rebus non dubiis captat aſſenſionem auditorum; qua aſſenſione facit, ut dubia propter ſimilitudinem rerum, quibus aſſenſerit, probentur.

Vel eſt argumentatio, quæ ex pluribus collationibus pervenit, quò vult.

Fiet Interrogatione & reſponſione Oratoris, hoc modo:

Quod pomum generoſiſſimum? puto, quod optimum.

Et equus? qui velociſſimus.

Hic modus argumentandi eſt Poëtis frequens, quo Socrates plurimùm uſus eſt.

Et plura in eundem modum; deinde id, cujus gratiâ illa poſita ſunt.

Irâ hominum, non qui claritate naſcendi, ſed qui virtute maxime excellit, erit generoſiſſimus.

Sed ſunt duo diligenter cavenda.

Primùm, ut quæ ſumuntur, ejuſmodi ſint, ut ſit neceſſe concedi.

Deinde: id, cujus confirmandi causâ fit inductio, ſit iis, quæ ſumuntur, ſimile.

CAPUT XXI.

De Exemplo.

Eſt inductio imperfecta, vel inductio Rhetorica.

Exem-

In quo, ab uno ſimili argumentamur ad aliud.

Ut: Milo non eſt condemnandus, quòd hominem necaverit, cùm nec etiam Horatius condemnatus fuerit.

Exemplum

Differt ab Enthymemate, & Ratiocinatione, quia in his ſemper aliquid univerſale ſumitur, aut concluditur; ab Inductione, quia ab una tantum re ſimili procedit.

Unde fit, ut ſit quartum argumentationis genus.

CAPUT XXII.

De Epicheramate.

Græci interdum argumentationem vocant Epicherema. Et nonnunquam eam, quam Cicero Ratiocinationem appellat, Aliquando verò Epicherema vocatur brevis ratiocinatio, cujus omnes partes in unam conferuntur; ut ſi dicas: Sinè cauſa ſervus dominum accuſet? Quæ argumentatio addendo alias partes ad ratiocinationem reducitur.

CAPUT XXIII.

De Sorite.

Multas argumentationes acervatim convolvit, & amplectitur; unde nomen accepit: latinè, acervalis.

Sorites.

Ut: quod eſt bonum, eſt expetendum; quod expetendum, approbandum; quod approbandum, laudabile; ergo quod bonum, erit laudabile.

In hoc argumento, quod Dialectici à primo ad ultimum vocant, quaſi per quosdam gradus, & varias ratiocinationes ad complexionem venitur.

CAPUT XXIV.

De Dilemmate.

Eſt, in quo, utrum conceſſeris, reprehenditur? ùt: ſi implacabiles ſunt iracundiæ, ſumma eſt acerbitas; ſi autem exorabiles, ſumma levitas.

Dicitur

Dilemma.

Dicitur dilemma, quòd ità utrinq; premat ut ex altera parte capiat adverſarium; unde cornutus etiam ſyllogiſmus ſolet vocari: Cicero comprehenſionem appellat.

Si verum ſit, non poteſt reprehendi; ſi falſum, diluitur, aut converſione, aut alterius partis infirmatione.

Eſt itaque dilemma ratiocinatio imperfecta, quæ ducitur à duabus partibus contrariis; cui, ſi addatur aſſumptio, fiet ratiocinatio perfecta.

CAPUT XXV.

De Confutatione.

Confutatio aliquando ſumitur pro tota actione defenſoris; aliquando pro ea parte orationis, quâ dicta ab adverſario diſſolvantur, quæ propriè reprehenſio dicitur.

Eſt autem reprehenſio, quâ adverſariorum confirmatio aut { *Diluitur, aut Infirmatur, Elevatur.*

Hoc eodem inventionis fonte utetur, quo utitur confirmatio, iisdem ſcilicet locis:

Quæ contrà ab adverſario dicuntur, tollantur, aut { *Totum, quod ſumptum eſt, negando; aut dicendo ſumpta eſſe dubia, vel falſa, pro veris, & certis.* / *Non effici ex ſumptis, quod concluditur.* / *Poſtea ſingula ſolvenda ſunt.*

CAPUT XXVI.

Quomodo argumentationes oratoriæ ſint tractandæ.

In oratione interdum ſunt ratiocinationes breviter concluſæ, & aperta enthymemata, & inductiones.

Quod, ut reprehendendum non eſt, ità cavendum eſt, ne ſyllogiſmorum. & enthymematum turba ſit conferta, & eodem modo ſemper concluſa oratio.

Adhibetur etiam in argumentando varietas, & jucunda quædam diſtinctio, & verborum, ac ſententiarum exornatio.

CA-

CAPUT XXVII
De Peroratione.

Peroratio conſtat. — Amplificatione. — Argumentandi ratio.

Cujus locus proprius eſt in peroratione; ſed & alibi adhibetur, poſt rem confirmatam, vel reprehenſam.

Omnes affectus hic concitandi ſunt, etiam alibi, ſed breviùs.

Hìc omnes eloquentiæ fontes apprehendi, ut non ſolùm benevoli auditores ſe dedant, ſed etiam repugnantes trahantur.

Juvant ad hoc efficiendum, quæ de amplificatione lib. 1. dicta ſunt.

Caput eſt, ut orator priùs in ſe motus excitet.

Valent etiam ad excitandum rerum abſentium imagines, ità repræſentatæ, quaſi oculis cernantur.

Quæ nonnunquam laudari, ſuaſori non ſæpè, accuſatori ſæpiùs, quàm reo eſt neceſſaria.

Cujus duo ſunt tempora: alterum, ſi diffidas memoriæ auditorum; alterum, ſi frequentatis firmamentis cauſa vim habitura ſit majorem.

Repetitio fit per capita, ne videatur altera oratio.

Repetantur cum pondere verborum, & ſententiarum, ità, ut non ſit recta, ſed variata repetitio.

In enumeratione vitanda eſt oſtentatio memoriæ.



TA-

TABULÆ LIBRI TERTII.

CAPUT I. De Elocutione.

HOc libro agitur de elocutione, in qua Orator debet excellere. Unde ab eloquendo, Græcè Rhetor, latinè eloquens nominatur: & eloquendi vis ei soli conceditur.

Eloqui autem est, omnia, quæ mente conceperis, promere, atque ad audientes proferre.

Hoc maximè arte docetur: hoc studium. & exercitationem, & imitationem requirit: hoc maximè Orator est Oratore præstantior.

Eloquens autem is dicitur, qui ità dicit, ut
- *Probet, necessitatis.*
- *Delectet, quod est suavitatis.*
- *Flectat, victoriæ.*

CAPUT II.

Quæ in Elocutione spectanda sint.

In Elocutione spectatur, ut dicamus
- *Latinè, Planè, Ornatè, & ad id, quod agitur, aptè & congruenter,*
  - *Sed de ratione puri, dilucidique sermonis non est hic præcipiendi locus: traditur enim doctrinâ puerili.*
  - *Harum partium*
    - *Altera dici postulat ornatè:*
      - *Altera hanc habet vim, ut stratio*
        - *Sit jucuda,*
        - *In sensus influat,*
        - *Pluribus rebus sit instructa.*

CAPUT III.

De Ornatu.

Oratio
- *Ornatur genere primùm, & quasi colore quodam, & succo.*

ut sit
- *Gravis, Suavis, Erudita, Liberalis, Admirabilis,*
  - *Sensus, & dolores habeat quantùm opus est.*
  - *Quod non est singulorum articulorum, sed in toto hæc spectantur corpore.*

Genus dicendi eligendum eſt, quod
- Maximè teneat eos, qui audiunt;
- Quod non ſolùm delectet;
- Sed etiam ſinè ſatietate delectet.

Sed volenti ornatè dicere,
- Sylva rerum primùm, ac ſententiarum comparanda eſt.
- Rerum enim copia, verborum copiam gignit.
- Et ſi eſt in rebus honeſtas, in verbis etiam eſt ſplendor. quidam.

CAPUT IV.
De Ornatu Orationis.

Omnis Oratio conficitur ex verbis, quorum ratio vel

Simpliciter, vel conjunctè conſideratur,

unde ornatus eſt vel in

Singulis verbis vel in conjunctis, & continuatis; vel

Propriis, & unà cum rebus natis, aut novatis, & quaſi factis.

CAPT V.
De Verbis Simplicibus.

Verba ſimplicia naturâ aliâ ſunt

Conſonantiora, ùt moderatio, quàm modeſtia, Grandiora, ùt optimus, quàm bonus.

Nitidiora, ùt bos, quàm vacca.

Alia his contraria.

Ut enim ſyllabæ è litteris meliùs ſonantibus clariores ſunt; ità verba ex ſyllabis magìs vocalia.

Et quò plùs quæque ſpiritûs habet, eò pulchrior.

Et quod facit ſyllabarum; idem verborum copulatio: ut unum alii junctum melius ſonet,

Maximè exclamant, aut ſono ſunt jucundiſſima.

Et honeſta turpibus potiora ſunt: ſordidis in oratione erudita non eſt locus.

Clara verò, & ſublimia materiæ modo cernenda ſunt.

Ex ſimplicibus optima creduntur, quæ

Quod

Quod enim alibi magnificum, tumidum alibi; humilia circa res magnas, apta ſunt circa minores.

Sed hæc aurium judicio ponderanda ſunt, in quo etiam conſuetudo bene loquendi valet.

Verba, quæ Orator ad orationem ornandam affert, { *Aut ſunt inuſitata.* / *Aut novata,* / *Aut translata.*

CAPUT VI. De Verbis inuſitatis.

Inuſitata ſunt

Verba priſca, & vetuſta, & ab uſu intermiſſa.

Quæ ſunt Poëtarum licentiâ liberiora, quàm Oratorum.

Quô ornamento unicè Virgilius uſus eſt.

Habet enim in oratione poëticum verbum dignitatem, ſi rarò & ſuô locô adhibeatur; ut: effari, ſoboles, nuncupari, & alia, quibus grandior, & antiquior oratio videri poteſt,

CAPUT VII. De Verbis novis.

Nova verba ſunt, quæ ab eo, qui dicit, gignuntur. *Quæ fiunt aut*

Similitudine, ut: Syllaturit, Fimbriaturit, ad ſimilitudinem verbi, proſcripturit.

Imitatione, ut: tinnio, rugio, clangor, & ſimilia.

Inflexione, ut: à bibo, biboſus, mimographus.

Adjunctione, ut: verſuiloquus, expectorare.

Græcis magis conceſſum eſt verba fingere, ſed tamen aliquando audendum eſt.

Si quid duriùs finxeris, præmunies dicendo: ut ità dicam, ſilicet dicere, quodammodo, &c.

CAPUT VIII. De Tropis.

Tropus { *Eſt verbi, vel ſermonis à propria ſignificatione in alienam cum virtute mutatio.* { *Ut cùm dicimus* { *Lætas ſegetes: verbum Lætus ab homine ad ſegetes transfertur.*

Tropi ſunt numerò 11. in uno verbo ſeptem: Metaphora, Synecdoche, &c, In oratione quatuor: Allegoria, Periphraſis, &c.

CAPUT IX.

De Metaphora.

Quæ latinè translatio dicitur, fit, cùm verbum transfertur propter ſimilitudinem è loco, in quo proprium eſt, in eum, ubi non proprium; aut translatum meliùs proprio eſt. Fit ergo aut

Neceſſitatis cauſâ, cùm deeſt verbum proprium: ùt, gemmare vites, homo durus, & aſper.

Aut quia eſt ſignificantius: ùt, incenſus irâ, lapſus errore.

Aut quia decentiùs, aut, ornatius: ùt, lumen orationis, flumen eloquentiæ.

Cauſa cur delectemur translatis verbis, cùm adſunt propria, eſt, quod translatio ſit ſimilitudo ad unum verbum contracta; ſimilitudine autem mirificè capiuntur animi.

Translatio, & Similitudo differunt, quod illa comparat aliquid rei, quam volumus exprimere; fecit ùt leo: hæc pro reipſa ponitur: homo eſt leo.

CAPUT X.

Quotuplex ſit Translatio.

Metaphora eſt quadruplex.

Cùm ab animali ad animal fit translatio, ùt ſi dicas hominem latrare.

Cùm inanima pro inanimis ſumuntur, ùt: Concentu virtutum nihil eſt ſuavius.

Cùm pro rebus animalibus inanima, ùt: Duo fulmina belli Scipiades.

Quæ ſint

Cùm animata pro inanimis, ùt: Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

Sed mira ſublimitas in translatione eſt, dùm rebus ſenſu carentibus actum, & animos damus.

Quid gladius tuus in acie Pharſalica agebat?

Fugienda eſt diſſimilitudo, qualis in hac: Cœli ingentes fornices.

Nec longè ſimile ducatur: non Syrtim patrimonii, ſed potiùs ſcopulum dixerim: non Charybdim, ſed voraginem bonorum.

Ne

In Metaphora animadvertenda,

Ne ſit humilis, ùt ſaxea verruca; nec major, quàm res poſtulat; ùt Tempeſtas commeſſationis; nec minor, ùt: Commeſſatio tempeſtatis.

Non ſit frequens, & immodicus uſus, qui potiùs obſcurat orationem, quàm illuſtret; continuus in Allegoriam, & ænigma migrat.

Quòd ſi vereare, ne ſit durior, mollitur dicendo; ut ità dicam: debet enim translatio eſſe verecunda; ut precariò, non vi veniſſe videatur.

Non omnes, quæ Poëtis conceduntur, etiam Oratoribus conceſſæ ſunt; unde Orator non diceret: aves pennis remigare, paſtorem populi, &c.

CAPUT XI.

De Synecdoche.

Ex parte totum: Ex puppi navis, enſis ex mucrone.

Ex uno plures: Romanus prælio victor, hoſtis habet muros.

Ex forma, ſeu ſpecie genus: Sabellicus ſus, pro quovis.

Synecdoche, ſeu Intellectio fit, cùm ſignificatur.

Ex materia res univerſa: Pinu, navis; auro, aurea pecunia; ferro gladius.

Ex toto pars: Fontémque, ignémque ferebat.

Ex pluribus unus: Oratores viſi ſumus.

Ex genere pars illi ſubjecta, ùt: Ales, pro aquila.

Ex antecedentibus conſequentia, ùt: Aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci.

Ut translatio permovendis animis, & variandis, ac ſub oculos ſubjiciendis rebus inſervit.

Ità Synecdoche ad variandum ſermonem; ſed omnia liberiora Poëtis, quàm Oratoribus.

CAPUT XII.

De Metonymia.

Per cauſas effecta, ùt: Dona laboratæ Cereris, Platonem legi, id eſt ejus ſcripta.

Metonym. seu denominatio demonstrat.

Ex effectis causas: cùm scelus comprehensum dicimus, pro scelerato; mortem pallidam, timorem mœstum.

Ex eo, quod continet, id quod continetur: sic moratæ urbes, seculum felix, Roma pro Romanis.

Ex possessore res possessas: Ardet Ucalegon, id est, ejus domus.

Ex signo res: Toga, pro pace; fasces, pro magistratu. Hanc Rhetores Hypallagen vocant.

CAPUT XIII.

De Antonomasia.

Antonomasia, seu

Pronominatio ponit aliquid pro nomine, ùt: Eversor Carthaginis, pro Scipione; Romanæ eloquentiæ Princeps, pro Cicerone.

Epitheton, latinè appositum, non est tropus, quia nihil vertit. Necesse est enim, ut id, quod est appositum, si à proprio diviseris, per se significet, & faciat Antonomasiam, quod non facit Epitheton.

Appositio frequentiùs, & liberiùs utuntur Poëtæ, modò conveniat verbo, cui apponitur, quàm Oratores; unde illi dicunt: Dentes albi, humida vina; quæ apud Oratores redundant.

Quòd si ne Epitheton aliquid efficiat, ùt in his: O abominandum scelus! ô deformem libidinem! non redundat.

Exornatur autem translatis, ùt: Cupiditas effrænata; insanæ substructiones, & aliis adjunctis tropis; turpis egestas, tristis senectus.

Unde sine appositis nuda, & incompta est oratio; sed ne oneretur multis, quia fit longa, & impedita.

CAPUT XIV.

De Onomatopœia

Onomatopœia Nominatio

Onomatopœia, est fictio nominis.

Apud Græcos inter maximas habetur virtutes, Latinis vix permittitur.

Verùm, qui primi sermonem fecerunt, multa finxe-

finxerunt homina, ùt : Mugitus, ſililus, murmur.

At nunc rarò. & cum magno judicio hoc genere eſt utendum, ne novi verbi aſſiduitas odium pariat.

Sed ſi quis commodè, & rarò utatur, exornat orationem.

CAPUT XV.
De Catachreſi.

Catachreſis, ſeu Abuſio

Eſt, quâ verbo ſimili, & propinquo, & certo, & proprio utimur.

Ut vires hominis breves, longum conſilium; gravis oratio, pro magna; minutus animus, pro parvo. Sic: Pyxides, cujuſcunque materiæ ſint:

Abutimur verbis propinquis, non ſolùm cùm res carent nomine, ùt: Cùm parricidam, matris interfectorem vocamus; ſed etiam, cùm habent, ùt: equum ædificant, oculis perlegunt.

Hoc differt Abuſio à Translatione, quòd licentior, & audacior, licèt non ſit imprudens.

CAPUT XVI.
De Metalepſi.

Metalepſis diſte

Tranſumptio ex alio in aliud veluti vinm præſtat: poſt aliquot ariſtas mirabar mea regna. Per ariſtas ſpicas, & per has, ſegetes, & annos intelligimus.

Tropus variſſimus, & maximè improprius.

CAPUT XVII.
De Allegoria.

Allegoria

Latinè Inverſio, aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, ac etiam contrarium; tempus eſt equum ſpumantia ſolvere colla.

Habet uſum frequentem in oratione, ſed plerumque apertis permiſcetur verbis, ità, ut non ſit perpetua Allegoria.

Genus permiſtum eſt frequentiſſimum.

Illud verò ſpecioſiſſimum genus orationis, in quo Similitudinis, Allegoriæ, & Translationis gratia permiſta eſt.

Curandum eſt, ut quo genere cœperis translationis, eodem finias; unde non incipies ab incendio, & finies tempeſtate.

Servit Allegoria etiam in quotidiano ſermone frequentiſſimè.

Allegoria ſi ſit obſcura, fit vitium, quod dicitur ænigma; quo tamen Poëtæ interdum, Oratores nunquam utuntur.

CAPUT XVIII.

De Ironia.

Ironia.

Quam illuſionem vocant, non ſolùm aliud ſenſu, & aliud verbis oſtendit, ſed etiam contrarium, quæ cognoſcitur, aut { *Pronuntiatione, Aut Perſonâ, Aut rei naturâ.*

CAPUT XIX.

De Periphraſi.

Periphraſis.

Eſt, cùm pluribus verbis, id, quod uno, vel paucioribus dici poteſt, explicatur; id eſt, circuitus loquendi, ùt: Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris, Incipit, &c.

Apud Poëtas frequentiſſimus, & apud Oratores non rarus; ſed ſemper tamen aſtrictior.

Cui contrarium eſt vitium, quod Periſſologia dicitur; obſtat enim, quidquid non adjuvat.

CAPUT XX.

De Hyperbato.

Hyperbaton.

Hoc eſt, tranſgreſſio, quæ verborum perturbat ordinem, aut { *Perverſione, ùt: mecum, tecum, quibus de rebus; maria omnia circum.* *Tranſjectione, ùt: orationem, in duas diviſam eſſe partes.*

Tranſjectio, quæ rem non reddit obſcuram, prodeſt ad continuationes, de quibus dicetur poſtea, in quibus debet oratio numerum quendam Poëticum habere.

Poëtæ etiam verborum diviſionem faciunt, ùt: Septem ſubjecta trioni; quod oratio non recipit.

CA-

CAPUT XXI.

De Hyperbole.

Hyperbole

Eſt ementiens ſuperjectio, vel augendo, vel minuendo, ùt: Fulminis ocyor alis; vix oſſibus hæret.

Sed tam in augendo, quàm minuendo ſervetur menſura quædam; nam licèt ſit ultra fidem, non tamen ultra modum.

CAPUT XXII.

De Ornatu, qui eſt in Verbis conjunctis.

Continuatio verborum duas res habet, ſcil. { *Collocationem,* / *Et modum quendam, ſive numerum.*

Confirmatur autem oratio { *Verbis, & ſententiis, de quibus priùs dicetur; deinde de collocatione, poſtremò de modo, & forma, id eſt, de numeris.*

CAPUT XXIII.

De Figuris.

Figura

Eſt conformatio quædam orationis remota à communi, & primùm ſe offerente ratione.

Differt à tropis, quia fieri poteſt in propriis verbis, quod in tropis non accidit; ut ſi verba propria geminentur.

Coëunt tamen frequenter in eandem ſententiam tropus & figura; ut ſi verba ſimiliter deſinentia eſſent translata.

CAPUT XXIV.

De Generibus Figurarum.

Quotuplex ſit figura.

Ut omnis oratio verſatur in ſenſu, & verbis, ità & figuræ; unde duplex eſt figura: altera Verborum, altera Sententiarum.

Verborum exornatio eſt, quæ ipſius ſermonis inſignita continetur perpolitione.

Inter has duas figuras hoc intereſt, quòd Verborum conformatio tollitur, ſi verba mutentur, Sententiarum verò permanet, quibuſcunque verbis utaris. Ut ſi eſſet repetitio cum interrogatione, ſublata repetitione, poteſt manere interrogatio.

Inter Auctores parùm convenit de figurarum numero, & nominibus; & aliqui aliquas inter verborum, alii inter ſententiarum figuras rejiciunt.

Nos meliorum Scriptorum ſententiam explicabimus.

CAPUT XXV.

Quot modis fiant Figuræ.

Figuræ verborum tribus modis fiunt, ſcilicet.

Adjectione, ùt: Occidi, occidi non Spurium Melium; ubi, verbum, figuratè geminatur.

Detractione, ùt: Abiit, exceſſit, erupit, evaſit, ubi detrahitur, &c.

Similitudine vocum, ùt: Cùm gratiæ causâ nihil facias, omnia tamen ſunt grata, quæ facis.

CAPUT XXVI.

De Figuris, quæ fiunt per Adjectionem.

Repetitio, cùm ab eodem verbo ducitur ſæpiùs oratio, ùt: Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas.

Converſio ſuperiori contraria, cùm in idem verbum conjicitur ſæpiùs oratio.

Complexio, quæ duas ſuperiores complectitur; cùm in principio, & fine eadem verba repetuntur.

Conduplicatio eſt verborum geminatio, quæ interdum habet vim, aliàs verò leporem: & pluribus modis fit.

Aut enim adjungitur idem: Vivis, & vivis.

Aut idem, quod erat in principio, in extremo etiam ponitur.

Aut continenter idem, non in eadem ſententia: Pænè par, non par, &c.

Aut poſt aliquam interjectionem.

Poſſunt etiam, vel media reſpondere primis, vel ultimis.

Interdum tota ſententia repetitur.

Traductio eſt ejusdem verbi crebriùs poſiti quædam diſtinctio, quæ non offendit, ſed concinniorem reddit orationem; ùt: Qui nihil habet in vita jucundiùs vitâ, is cum virtute vitam non poteſt colere.

Ex

Ex eodem genere exornationis eſt, cùm idem verbum modò in hac, modò in altera re ponitur: Cùm rem ſtudioſè curas, quæ multas tibi dabit curas.

Polyptoton, latinè caſuum commutatio, cùm idem in multis caſibus ponitur.

Fit autem, aut in uno verbo, aut in pluribus; & per caſus intelliguntur etiam verborum tempora.

Ut: pleni ſunt omnes libri, plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas. Et in eadem oratione hæc verba - Prohibuit, eripuit, aſperſit. Unde caſuum commutatio, non eſt eadem cum traductione.

Synonymia eſt, cùm verba idem ſignificantia congregantur: Abiit, exceſſit, evaſit.

Interdum etiam orationes eosdem ſenſus facientes acervantur: Perturbatio mentis, effuſa caligo, &c.

Polyſyndeton, cùm oratio conjunctionibus abundat, ùt: Tectúmque, larémque.

Gradatio, repetit quæ dicta ſunt, & priuſquam ad aliud deſcendat, in prioribus reſiſtit; vel eſt, cùm ſurſum versùs reditur; ùt; Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit. Rarior eſt hæc figura, cùm habeat artem affectatam.

CAPUT XXVII.

De Figuris Verborum, quæ fiunt per Detractionem.

Hæ figuræ novitatis, brevitatîſque causâ maximè petuntur.

Synecdoche, cùm verbum ſubtractum ſatìs ex cæteris intelligitur; ùt: Sermo nullus, ſcilicet nisi de te.

Differt ab Apoſiopeſi, in qua certum eſt, quod tacetur; aut certè longiore ſermone explicatur.

Diſſolutio, cùm demptis conjunctionibus diſſolutè plura dicuntur, vel in ſingulis verbis, vel ſententiis; ùt: Gallia, cujus virtuti, fidei, felicitati commendata eſt.

Diſſolutionis, & Polyſyndeti fons unus eſt; quia acriora faciunt, quæ dicuntur, & vim quandam addunt.

Differt ab Articulo, qui idem eſt, quod incipiunt.

Ad

Adjunctio eſt, in qua ad unum verbum plures ſententiæ referuntur, quorum unaquæque illud deſideraret, ſi ſola poneretur; aliàs Zeugma dicitur: quod verbum vel in principio, vel in fine, vel medio ponitur. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Disjunctio eſt, cùm eorum, de quibus dicimus, unumquodque certo clauditur verbo; ùt: Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vendicant, Salaminii repetunt.

Synæcioſis, quæ duas res adverſas colligit; ùt: Tam deeſt avaro, quod habet, quàm quod non habet.

CAPUT XXVIII.

De Figuris Verborum tertii generis.

Tertium figurarum genus, aut
- *Similibus,*
- *Paribus,*
- *Contrariis vocibus in ſe ſures, & animos excitat.*

Annominatio, Græcè Paronomaſia, cùm paulùm immutata verba, atque deflexa in oratione ponuntur; quæ fit
- *Adjectione: Emit morte immortalitatem.*
- *Detractione: Non exigo, ut immemoriaris legationi, ſed immorare.*
- *Commutatione: Reprimi, non comprimi.*
- *Translatione: Homini navo, an vano?*

Hæc figura eſt levis, ni ſententiarum pondere impleatur.

Similiter cadens eſt, cùm in eadem conſtructione verborum, duo aut plura ſunt verba, quæ ſimiliter iisdem caſibus efferuntur, etiamſi diſſimilia ſint, quæ declinantur.

Nec tamen in fine deprehenditur; ſed reſpondent, vel prima inter ſe, vel mediis, vel extremis, quomodocunque accommodentur.

Ut in eadem oratione hæc verba: Audendum, audiendum; projectus, paratus; Prætor, Imperator; audacia, imprudentia.

Similiter Deſinens, eſt ſimilis duarum ſententiarum, vel plurium finis, id eſt, cùm orationis membra, vel articuli ſimili exitu

exitu terminantur, ut, non modò ad ejus ſalutem extingvendam, ſed etiam gloriam per tales viros infringendam.

Hæc differt à ſuperiori, quòd ibi poſſunt eſſe diſſimilia, quæ declinantur, hìc non ità; illa ſolùm in his, quæ declinantur, hæc etiam in aliis partibus, ùt in Adverbiis.

Compar, græcè Iſicolon, cùm orationis membra conſtant ferè pari numero ſyllabarum; Extrema hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.

Contrapoſitum vel contentio, græce Antitheton, cùm ſingula ſingulis, vel bina binis opponuntur.

Ut: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia; non noſtri ingenii, veſtri auxilii eſt. Non ſemper Contrapoſitum ſubjungitur.

Commutatio, cùm duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ità efferuntur, ut à priore poſterior contraria priori proficiſcatur: Non ut edam vivo, ſed ut vivam, edo.

Correctio, quæ corrigit, quod poſitum eſt verbum, quæ fit duobus modis: vel enim tollitur verbum, non ponendo aliud; ùt: Civis appellari poteſt: vel magìs idoneum ponendo, ùt: Omni officio, vel potiùs pietate.

Correctio verò ſententiæ, non eſt hujus loci.

Dubitatio eſt, cùm Orator quærere videtur, utrum de duobus, aut quid de pluribus potiſſimùm dicat.

CAPUT XXIX.

Quid Verborum Figuræ orationi conferant, & quid in eis cavendum ſit.

Qui parcè, & cùm res poſtulat, his figuris utitur, jucundiorem facit ordinem.

Qui immodicè, & ſinè judicio eas adhibet, gratiam varietatis amittit.

Danda ergo opera eſt, ut

- *Nec nimiæ ſint ſupra modum,* — *Aut junctæ.*
- *Non ejuſdem generis,* — *Aut frequentes.*

Quod intellige de his, quæ nobiles ſunt, atque inſignes, non de illis, quæ ſunt valdè uſitatæ, & vulgatæ; quæ ſi ſint crebriores, aures non offendunt.

Ridi-

Ridiculum etiam eſt, neglecto rerum pondere, & viribus ſententiarum, inania verba in hos modos depravare.

Figuræ enim ſunt quaſi genus orationis, & eas ſinè ſententia ſectari, eſt quærere habitum ſinè corpore.

Sciendum eſt, quid quiſque locus in orando poſtulet, quid perſona, & tempus.

Major pars harum poſita eſt in delectatione: ubi ergo atrocitate, miſeratione pugnandum eſt, qui ferat Contrapoſita, Similiter Cadentia, &c. ubi verborum cura derogat affectibus.

CAPUT XXX.

De Figuris Sententiarum.

Sententiarum figura eſt exornatio, quæ non in verbis, ſed in ipſis rebus quandam dignitatem, & quidem majorem habet.

Quo genere, quia excelluit Demoſthenes, idcirco Oratorum Princeps eſt judicatus..

Schemata vocant Græci, quæ non tam in verbis pingendis pondus habent, quàm in illuminandis ſententiis.

Nec aliud eſt dicere, quàm aliqua ſpecie illuminare ſententias.

Interrogatio, figura eſt, quoties non ſciſcitandi gratiâ aſſumitur, ſed

- *Inſtandi: Quouſque tandem abutêre patientiâ noſtrâ?*
- *Interrogamus etiam, quod negari non poteſt.*
- *Aut ubi reſpondendi difficilis eſt ratio: Quomodo? Qui fieri poteſt?*
- *Invidiæ, & miſerationis causâ.*
- *Convenit etiam indignationi, & admirationi.*
- *Interdum eſt acrius imperandi genus: Non arma expedient? &c.*
- *Aliquando nosmetipſos interrogamus. Quid agam?*

Reſponſio eſt, cùm aliquid interroganti, ad aliud, quia ſic utilius ſit, occurritur, aut augendi criminis causâ, aut de-

cli-

clinandi: *An fustibus vapulâsti? & innocens quidem. An hominem occidisti? respondetur, latronem.*

Subjectio est, cùm orator vel interrogat seipsum, & respondet sibi; vel cùm alium interrogaverit, non expectat responsum.

Et domus tibi deerat? at habebas.

Anteoccupatio, vel Præsumptio, & Prolepsis est, cùm id, quod objici posset, occupamus. Præsumptione etiam verborum vis confirmatur: Quamquam illa non pœna, sed prohibitio sceleris fuit; ac etiam reprehensione, quam alii correctionem vocant.

Correctio est, quæ tollit sententiam aliquam, & eam aliâ, quæ magis idonea videtur, emendat, & corrigit.

Dubitatio est, cùm quærimus unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimùm dicendum, an omnino dicendum sit? Quò me vertam, nescio.

Communicatio, cùm aut ipsos adversarios consulimus: Tu denique Labiene, quid faceres?

At cum judicibus deliberamus: Nunc ergo Judices, jam vos consulo, &c.

Prosopopœia est personarum ficta inductio, quâ & adversariorum, & nostros cum aliis sermones, & aliorum inter se credibiliter introducimus.

Quin & mortuos excitare in hoc genere dicendi concessum est.

Urbes etiam, populique vocem accipiunt: In quibus hoc modo mollior fit figura: Etenim si mecum patria sic loqueretur, &c.

Formas quoque fingimus sæpè, ùt: Famæ, virtutis, &c.

Apostrophe, est aversus à judice sermo sive adversarios invadimus, sive ad invocationem convertimur, sive ad invidiosam implorationem: O leges Porciæ, legésque Semproniæ?

Hypotyposis, seu Descriptio. quâ ità res aliqua describitur, ut cerni potiùs quàm audiri videatur.

Nec solùm quæ facta sunt, aut fiunt, sed etiam quæ futura sunt, aut fuerunt, exprimuntur.

Aposiopesis, vel Præcisio, & Interruptio, ostendit affectum vel iræ, vel sollicitudinis: Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

Ethe-

Ethypœia est imitatio vitæ, vel morum alienorum, ornamentum aptum ad animos conciliandos, & permovendos.

Emphasis, cùm ex aliquo dicto aliquid latens eruitur, vel cùm plùs significatur, quàm dicitur: Facuitque per antrum immensum; unde intelligitur corporis magnitudo.

Sustentatio est, quâ diu suspenduntur Auditorum animi, atque aliquid inexpectatum subjungitur; aut ad aliquid leve, & minimè criminosum descenditur.

Prætermissio, vel Præteritio, cùm dicimus nos præterire, vel non scire, vel nolle dicere, quod tunc maximè dicimus: Non queror diminutionem vectigalium, non, &c.

Licentia est, cùm Orator aut vereri, aut metuere debet; tamen aliquid pro suo jure dicit, quod minimè offendit: Vide, quàm non reformidem, &c.

Concessio, est, cùm aliquid etiam iniquum, causæ fiduciâ, videmur pati, aut concedere. Verùm esto, eripe hæreditatem propinquis, &c. Sunt qui concessionem dictorum esse velint: Sit fur, sit sacrilegus, ac bonus Imperator & felix. Concessio juncta Ironiæ magnam vim habet.

I. Sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Parenthesis, vel Interclusio, est declinatio brevis à propositio; at longior digressio, quæ multis pars causæ videtur, inter figuras quorundam judiciò numeranda non est; sed à Cicer. numeratur.

Ironia, quæ à Quint. & Cicer. inter sententiarum exornationes numeratur, differt ab ea, quæ est tropus, quòd hæc sit totius voluntatis ficti. Novum crimen C. Cæsar, &c. tropus verò brevior, & aptior.

Distributio, cùm aliquid in partes plures distribuitur, quarum unicuique ratio deinde sua subjungitur.

Vel est, cùm in plures res, aut personas certas, negotia quædam dispertiuntur, neque fit ulla mentio subjectæ rationis.

Permissio est, cùm alicui rei vehementer confidimus, & osten-

oſtendimus nos eam tradere, ac concedere, alicujus voluntati; & cùm relinquimus ipſis judicibus, vel adverſariis aliquid exiſtimandum; aliqui Permiſſionem factorum, Conceſſionem dictorum eſſe putant.

Deprecatio, vel Obſecratio, cùm operam alicujus implo-ramus: per dextram te iſtam rogo.

Optatio, quæ voti alicujus præbet ſignificationem: Utinam mihi facultatem cauſa concederet.

Execratio, quæ malum alicui precatur: Dii te perdant.

Epiphonema, rei narratæ,, vel probatæ ſumma acclamatio: Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Exclamatio eſt quæ conficit ſignificationem doloris, aut indignationis licujus, per hominis, aut rei cujuſpiam compellationem: O miſerum me! ô tempora! ô mores.

Sunt & illa jucunda, quæ ſimplicem, & minùs præparatam oſtendunt orationem, & minùs ſuſpectos faciunt,

Ut eſt quaſi pœnitentia dicti: Sed quid ego ità gravem perſonam introduxi?

Vel cùm quærere, quid nos dicamus, fingimus: Quid reliquum eſt? num quid omiſi?

Et cùm aliqua velut ignoramus: Sed earum rerum artificem quem?

Et cùm deponimus aliquid apud memoriam Auditorum, & poſtea repoſcimus.

Hæc omnia dant orationi varios veluti vultus. Gaudent ergo rei varietate, ùt oculi vario rerum aſpectu.

Et hæc de Tropis, & Ornamentis tum Verborum, tum Sententiarum.

CAPUT XXXI

De Collocatione.

Collocatio erit optima, Si { *Junctam orationem efficiet cohærentem. lenem & æqualiter fluentem.* } { *In ea neceſſaria ſunt,* { *Ordo, & Junctura.*

CAPUT XXXII.

De Ordine.

Ordinis observatio eſt in verbis, Singulis, Conjunctis, In quibus hæc ſunt cavenda.

Nec minora majoribus ſubjiciantur, ſed ſemper creſcat oratio; unde non dices: Sacrilegus, & fur.

Eſt & ordo naturalis: unde potiùs dices; Diem, ac noctem; Ortum, & occaſum, quàm contrà.

Quædam ordine permutato fiunt ſupervacanea, ùt: Fratres gemini, non gemini fratres.

Verba ſenſum claudere, ſi compoſitio patiatur, optimum eſt; ſed ſi aſperum, potiùs decori orationis conſulatur.

In oratione enim cùm verba non ſint dimenſa, transferri poſſunt in locum ubi magis congruunt.

CAPUT XXXIII.

De Junctura.

Si verba extrema ità cum ſequentibus jungemus, nè aſperè concurrant, neve vaſtiùs diducantur.

Aſperum concurſum efficiunt conſonantes illæ, quæ ſunt aſperiores, ùt s, & x: Ars ſtudiorum; rex Xerxes.

Hiulcam reddunt orationem vocalium concurſus, ut ſi longæ uniantur: Viro optimo obtemperare; ſed minùs peccabit qui longis breves ſubjiciet.

Ut Junctura

Sed in hoc diligentia non ſit nimia, nam &

ſtura concinna, & elegans ſit, aſſequemur.

Plato, & Demoſthenes, & Cicero ſæpè in oratione habent vocalium concurſionem.

Nam hiulca nonnunquam decent, faciúntque ampliora quædam, & non ingratam negligentiam hominis, magis de re, quàm de verbis laborantis indicant.

Unde nimia vocalium concurſio eſt quidem vitanda; at modica, & ſuo loco poſita, non eſt reprehendenda.

Videndum eſt, ne ſyllabæ ultimæ verbi prioris, ſint primæ poſterioris.

Ne monoſyllaba multa continuentur: & itidem brevia verba, & nomina; & contra, neque longa, quæ tarditatem afferunt.

Nec multa ſimiliter cadentia, & deſinentia continuentur; ſimiliter, nec verba verbis, & nomina nominibus ſubjiciantur.

Verborum junctura maximam deſiderat diligentiam; ità tamen ne fiat operosè, qui eſſet infinitus, & puerilis labor. Stylus exercitatus efficit facilem junctúram, & aurium judicium.

CAPUT XXXIV.

De Modo, & Forma Verborum.

Dicendi imperitus, quæ dicit, ſpiritu, non arte determinat. — *Inane, Inconditum, Curtum, Claudicans, & redundans dicat.*

At orator ità illigat ſententias verbis, ut nihil

Hoc oratorio ſit numero, qui aptam, & concinnam, & ſuavem efficit orationem.

CAPUT XXXV.

De Origine orationis numeroſæ.

Princeps dicitur fuiſſe Thraſimachus, cujus tamen nimis numeroſa fuerunt ſcripta.

Iſocrates ità rem temperavit, ut multi eum hujus concinnitatis faciant auctorem.

Ariſtoteles, & Theodectes verſum in oratione vetant eſſe, numerum requirunt; de quo Theophraſtus accuratiùs præcepit.

Romani tempore Ciceronis agnoverunt numerum, de quo diligentiſſimè Cicero præcepit.

CAPUT XXVI.

Cur numeroſa oratio inventa.

Aures, aut potiùs animus aurium judicio, naturalem quandam in ſe continent vocum omnium dimenſionem.

Unde breviora, & longiora judicant; moderata expectant; inutilia, & quaſi decurtata ac immoderatiùs excurrentia ſentiunt, quibus offendantur.

Cùm ergo aliquid fortuitò, conclusè, aptéque diceretur, notari potuit id, quod caſu cecidiſſet; notatio autem artem parit.

Ut ergo Poëtica, & verſus inventus eſt terminatione auriam, & obſervatione prudentium; ſic etiam in oratione, licèt multò ſeriùs, notatum eſt, certos eſſe concurſus, concluſionéſque verborum.

CAPUT XXXVII.

De Inciſis, Membris, & Periodis.

Inciſum eſt ſenſus non explerô numerô, concluſus; pleriſque pars membri: Domus tibi deerat? at habebas, &c.

Fiunt inciſa etiam ſingulis verbis: Diximus, teſtes dare volumus.

Membrum eſt ſenſus numeris concluſus, ſed à toto corpore abruptus per ſe nihil efficiens: ô callidos homines! ô rem excogitatam! ô ingenia mercanda! quem quæſo, &c.

Tunc ergo incipit corpus eſſe, cùm venit extrema concluſio: Quem quæſo fefellit, &c.

Periodum Cicero ambitum, circuitum, comprehenſionem, continuationem, & circumſcriptionem dicit.

Contemperatur membris omnis paulò longior circuitus: tamen aliud eſt { *Cæſim,* / *Membratim,* & / *Circumſcriptè* } *dicere.*

Cir-

Circumscriptio est, cùm ab initio adfinem usque quasi in orbem inclusa fertur oratio, donec consistat in singulis perfectis, absolutisque sententiis.

Membratim dicimus, cùm in singulis membris liberior insistit oratio.

Incisim dicimus, cùm in singulis incisis insistit oratio:

Quomodo in his adhibendus sit numerus, dicetur, si prius de pedibus, quibus numerosa temperatur oratio, dixerimus.

CAPUT XXXVIII. De Pedibus.

Pedes duarum syllabarum.

- *Spondæus — — dicunt mores.*
- *Pyrrichius v v novus, tulit.*
- *Choreus — v semper, scribia.*
- *Jambus v — legunt, reos.*

Pedes 3. syllabarum.

- *Molossus — — — conservant.*
- *Trochæus, vel Tribrachus v v v facimus.*
- *Dactylus — v v littera.*
- *Anapæstus v v — peragunt.*
- *Bacchius v — — amores.*
- *Antibacchius — — v audisse.*
- *Creticus, vel Amphimacrus — v — possident.*
- *Amphibrachus v — v petebat.*

Cicero ex aliis pedibus tres tantùm posuit, pæonas duos, & dochimum.

- *Pæon primus — v v v aspicito.*
- *Pæon ultimus v v v — facilitas.*
- *Dochimus ex Bacchio, & Jambo.*
- *v — — v — Perhorresceret.*

CAPUT XXXIX. De Numero oratorio

Numerum oratorium Græci Rhythmum Poëticum, Metrum vocant.

Quod etsi uterque pedibus constet, tamen multis modis differunt.

Rhythmi spatio temporum constant, pedes etiam ordine.

In Rhythmo nihil refert, sitne Dactylus, an Anapæstus, cum eodem temporis spatio constet; in versu, unus pes pro alio poni non potest.

In versu semper idem est cursus, ut in heroico carmine Dactyli & Spondei, in oratione nullus

Quid intersit inter numerum oratorium, & Poëticum, & inter Poëma & orationem.

eſt certus numerus; ibi eſt aliquid certum, hic non ità.

Unde omnis nec claudicans, nec fluctuans, æqualiter, conſtanterque ingrediens, numeroſa habetur oratio; & numeroſum putatur, non quod totum conſtat è numeris, ſed quòd ad numeros proximè accedit.

Unde difficilior eſt in oratione, quàm in verſu numeri uſus.

In oratione maximum vitium eſt, ſi verſus efficiatur, & diligenter cavendum, quamvis oratio numeroſè cadere debeat.

CAPUT XL.

In qua parte ambitûs debeat eſſe numerus, & qui pedes maximè prohibentur.

In toto verborum ambitu numeri tenendi ſunt, non ſolùm in fine, ùt quidam putant; licèt aures finem maximè expectent.

Unde à principio verborum comprehenſio ità fluere debet, ad extremum veniens ipſa conſiſtat.

Ariſtoteles heroum numerum grandiorem judicat, quàm ſoluta deſideret oratio; Jambus vulgari ſermoni congruit.

Trochæus ob brevitatem, dignitatem non habet.

Pæona probat, ùt orienti, mediæ, & cadenti orationi aptiſſimum.

Isà ut oratio non ſit humilis, & abjecta, ſed elata, & plena.

Cicero cenſet omnes pedes in oratione eſſe permiſtos; vitium enim eſſet, ſi iisdem ſemper uteremur.

Sed Creticum, Dochimum, Dichoreum, & Pæonas cæteris anteponit; modò ne Dochimus iteretur.

In heroico vero Dactyli, & Anapæſti, & Spondæi pede impunè progredi cenſet duos duntaxat pedes, aut paulò plures, ne in ſimilitudinem verſus incidamus.

Sit igitur temperata, & permiſta numeris oratio, nec tota diſſoluta, nec tota numeroſa; Pæone maximè, & reliquis etiam, quos ille non recenſet.

In his, quæ demiſſo, & humili ſermone dicuntur, ſit Jambus frequens; Pæon in amplioribus, in utroque Dactylus.

In

In oratione ergo perpetua, ità numeri ſunt miſcendi, ut non animadvertatur quadratæ orationis induſtria.

Quo fit, ut nullus ſit pes, qui aliquando in orationem non veniat.

CAPUT XLI. De Initio Periodi.

Clauſulæ diligentiùs, quàm cætera omnia conſiderandæ ſunt quod in his perfectio, & abſolutio judicetur.

Proximam diligentiam initia poſtulant, nam & ad hæc intentus eſt auditor.

Optimè hæc noſcuntur à proceris numeris, ac libris, maximè Dactylo, & Pæone priore. Cretico, Anapæſto, qui par eſt Dactylo, licèt ordine contrarius.

Initia verſuum, initiis orationum non conveniunt, licèt Livius hexametri exordio cœperit.

Dochimus quovis loco aptus eſt, modò ſemel ponatur; quia iteratus numerum facit apertum.

CAPUT XLII. De Fine Periodi.

In extremo circuitu duo, aut tres pedes ſunt ferè notandi. Quos aut Choreos, aut Spondæos, aut ſeſquipedes eſſe oportebit, aut Dichoreos.

Spondæus eſt inclauſulis firmus, & ſtabilis, quò maximè uſus eſt Demoſthenes.

Pæona alterum cadenti orationi aptiſſimum eſſe, docuit Ariſt. quod & Cicer. placet, ſed aptiorem judicat Creticum.

Qui ſive geminetur, ſive Spondæum præcedat, multum decoris habet in clauſulis, cui etiam optimè jungitur Anapæſtus; eſt etiam Dochymus ſtabilis, & ſeverus in clauſulis.

Jambus, Trochæus, aut etiam Dactylus proximus à poſtremo numerosè concludit, ſi ſit extremus Choreæus, aut Spondæus. Sed malè concluderent, ſi quis eorum in extremo locatus eſſet, nisi cum Cretico poſtremus eſt Dactylus; quia ultima brevis, an longa ſit, non refert.

Sunt & aliæ clauſulæ, quæ numerosè concludunt; quas obſervavit Quint.

Clauſulæ verſuum non conveniunt orationi; cavendum eſt etiam, ne verbis plurimarum ſyllabarum utamur in fine, quod etiam in carminibus eſt permolle.

Cùm ergo clauſulæ maximè appareant, variandæ ſunt, ne aurium ſatietate repudientur.

CAPUT XLIII. De Media Periodo.

Si primi, & ultimi pedes fuerint modò jam dictò diſpoſiti, medii poterunt latere; modò circuitus non ſit brevior, quàm aures expectent; aut longior, quàm vires patiantur.

Cavendum eſt enim, ne verba pigra, aut longa ſint, aut brevium contextu, ſonum pænè puerilium crepitaculorum reddant.

In mediis ergo ſunt quidam conatus, qui leviter interſiſtunt, ut currentium ſpes, etiamſi non moratur, tamen veſtigium facit.

Pæonem, Dochimum, mediæ orationi aptum eſſe dixit Cic. in qua parte aliqui Creticos, & Bacchios laudant.

Si orationem ferri celeriùs volumus, crebros Trochæos, & Jambos inſeramus; ſi lentiùs, Spondæos; ſi moderatiùs, pedibus utemur, qui brevibus, & longis temperantur.

CAPUT XLIV.

De his, quæ ſuaptè naturâ ſunt numeroſa.

Quæ dicuntur, interdum ſuaptè naturâ numeroſa ſunt, etiamſi nihil factum eſt de induſtria.

Ut cùm ſunt caſus in exitu ſimiles, & cùm paribus paria referuntur. Eſt enim Judices, hæc non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm, &c.

Quod fit idem in referendis contrariis, in quò Cicero frequens eſt. Semper enim antitheta neceſſitate ipſa numerum oratorium faciunt.

CAPUT XLV.

Quæ vitia ſunt vitanda in oratione numeroſa.

In primis, ne apertè verba trajiciantur, quò meliùs aut cadat, aut volvatur oratio.

Deindè, ne inania quædam verba, quaſi complementa numerorum includantur.

Tertiò, ne minutis numeris concidatur, infringatúrque ſententia; ſed verba jam probata, & electa concinnè coagmententur: dura enim inter ſe commiſta, potiora ſunt inutilibus.

His vitiis declinatis, multa numerosè componendi laborem minuunt, ſunt enim multæ figuræ, quibus numeri poſſint variari.

Sunt

Sunt etiam multa, quæ idem valent; ex quibus exercitati illud eligunt, quod comprehenſioni maximè quadrat.

CAPUT XLVI.

De Magnitudine ambitûs.

Habet Periodus membra minimùm duo, ſæpè etiam tria.

Is ambitus mediocritatem habet, ùt ait Cic. qui quatuor ferè membris conſtat. Nam aures implet, nec brevior eſt, quàm ſatìs eſt, nec longior.

Vult autem, ut è quatuor quaſi hexametrorum verſuum inſtar, quod fit, conſtet ferè plena comprehenſio.

Debet periodus ſenſum concludere. Sit etiam aperta, ut intelligi poſſit, & non immodica, ut memoriâ contineri queat.

CAPUT XLVII.

De Numero, qui eſt in membris, & cujuſmodi ea eſſe debeant.

In oratione circumſcripta eſt verborum comprehenſio, donec tandem in clauſula conſiſtat.

Cùm verò membratim dicimus, in ſingulis membris oratio inſiſtit, quod in pronuntiando magnopere reficit ſpiritum.

Unde fit, ut oratio, quam membris carpimus, longior multò eſſe poſſit, quàm quæ conſtat circuitu.

Ità ut aliquando ad 15. & 20. membra excurrat: Cic. pro Mil. Occidi, occidi non Spurium Melium, &c.

Nihil autem tam debet eſſe numeroſum, quàm hoc, quod minimè apparet, & valet quàm plurimum.

Spondæum hìc Cicero vehementer commendat, nam licèt videatur tardior, habet tamen ſtabilem, & dignitatis non expertem gradum.

In Inciſionibus multò magìs, & in membris; paucitatem enim pedum, gravitatis ſuæ tarditate compenſat.

CAPUT XLVIII.

In quo ſcribendi genere circumſcriptè, & in quo ſit membratim dicendum.

In hiſtoria; laudationibus, & toto genere epidictico, ſive demonſtrativo; delectationis causâ comparato, circunſcriptione utendum eſt, ut tanquam in orbe concluſa currat oratio.

Hoc orationis genus, nec totum aſſumendum ad contentiones, & cauſas varias, nec omnino repudiandum.

Quia & ſatietatem afferret, & ab imperitis, quale ſit etiam cognoſceretur.

Detrahit præterea actioni dolorem; aufert humanum ſenſum actoris; tollit funditus veritatem, & fidem.

Sed quoniam adhibenda eſt interdum numeroſa oratio, videndum eſt, quo loco, quando retinenda.

Adhibenda eſt, ſi quid laudandum ornatius, ùt fecit Cic. lib. 2. accuſ. Aut exponenda narratio, quæ plùs dignitatis deſideraret, quàm doloris.

Eſt etiam apta procœmiis majorum cauſarum; ubi ſollicitudine, miſeratione, commendatione res eget.

Sæpè etiam in amplificanda re fundirur numerosè, & volubiliter oratio, quod tum valet; cùm ab oratore jam obſeſſus eſt is, qui audit; quia jam favet.

Hæc forma perorationes quidem includit, ſed in reliquis partibus retinenda non eſt diu. Nam cùm ſupradictis locis eâ uſi fuerimus, tota dictio ad inciſa, & membra transferenda eſt.

Inciſum autem, & membratim tracta oratio, in veris cauſis plurimùm valet, maximè cùm arguas, & refellas.

CAPUT XLIX.

Qua ratione paretur hæc facultas aptè, ac numerosè dicendi.

Nnmerosè dicendi facultas non eſt tanti laboris, quanti eſſe videtur.

Nec enim neceſſe eſt, uti oratio dimetiendis pedibus, ac perpendendis ſyllabis conſeneſcat.

Satis in hoc orationem formabit multa ſcribendi exercitatio, ut ex tempore etiam numerose dicat.

Circumſcribitur enim mente ſententia, confeſtimque verba concarunt, quæ mens ſtatim dimittit, ut ſuo quodque loco reſpondeat.

Nam, ſi nonnulli exercitatione extemplò verſus conficiunt, quanto facilius oratio ſoluta numeroſa fieri poterit; cùm nihil ſit orationi flexibilius, ut facilè ſequatur quocunque duas, veluti molliſſima cera.

Nemi-

Neminem ergo peduum varietas conturbet qui ſponte ſeſe offerent, modò exercitatio adſit; ùt patet in arte muſica, &c.

CAPUT L.

Quanti momenti ſit aptè dicere.

Quanti momenti ſit aptè dicere, experiri licè, ſi aut compoſiti oratoris bene inſtructam collocationem diſſolvas permutatione verborum; ut ſi Periodum aliquam Cicer. pervertas.

Aut, ſi alicujus inconditi arripias diſſipatam aliquam ſententiam, eámque ordine verborum paululum commutato, in quadrum redigas.

Verùm compoſitè, & aptè ſinè ſententiis dicere, inſania eſt; ſententiosè autem, ſinè verborum ordine, infamia.

Eloquens verò, qui dicendo, plauſus, admirationes, & clamores movere debet, ità debet dicere, ut turpe ſit quidpiam aut ſpectari, aut audiri libentiùs.

Quare, cùm hanc eloquentiæ partem Ariſtoteles, Theophraſtus, Demoſthenes, & Tullius tanti fecerint, eam nobis debemus ſummâ induſtriâ comparare.

CAPUT LI. De Tribus generibus dicendi.

Aliud dicendi genus deideratur. { *In parvis cauſis* / *In modicis* / *In graviſſimis.* } *Non ſolùm varia cauſa varium dicendi genus efflagitat.* *Sed etiam ejusdem orationis diverſæ partes.*

Unde quot ſint dicendi genere, & in quibus orationis partibus adhibenda ſint, dicendum eſt.

Tria ſunt dicendi genera, in quibus perfectus debet florere orator { *Unum ſubtile, acutum, & tenue.* / *Alterum vehemens, copioſum, & grave.* / *Tertium interjectum, & quaſi temperatum.*

Cum tria ſint Oratoris officia, { *Docere*, *Movere*, *Delectare*, } *Subtile, in probando.* *Vehemens, inflectendo.* *Modicum, in delectando verſatur*

In genere ſubtili. { *Debet eſſe à vinculis numerorum libera; & abſoluta.* / *Non tamen vaga, ut ingredi liberè, non ut licentiùs videatur errare.*

ora-

orationis forma

Diligentia etiam coagmentandi verba, prætermittenda eſt, & omnis inſignis ornatus removendus.

Ponentur tamen acutæ, crebræque ſententiæ.

Ornamenta verborum, & ſententiarum, cum tropis verecundè, parcéque adhibebuntur.

Tranſlationes poterunt eſſe crebriores, non tamen ità crebræ, ùt in genere ampliſſimo.

Genus temperatum.

Uberius eſt aliquantò, & robuſtius, quàm humile, de quo dictum eſt.

Submiſſius tamen, quàm illud, de quo dicetur, ampliſſimum.

Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimúmque eſt in hac oratione ſuavitatis.

In hoc verborum cadunt lumina omnia, multa etiam ſententiarum.

In hoc genere verborum vel minimum, ſuavitatis autem eſt, vel plurimum.

Genus amplum, & copioſum.

Vim habet vel maximam; modò enim perfringit, modò irrepit in ſenſus, &c.

Hic orator defunctos excitabit, patriam loquentem faciet, aliquem alloquetur, &c.

Hic amplificationibus extollet orationem, & vi ſuperlationum quòque eriget, & per omnes affectus tractabit.

His tribus generibus utetur orator.

Ut res exigit.

Nec pro cauſa modò

Sed pro partibus cauſæ.

Hujus tripartitæ varietatis moderator, magni debet eſſe judicii, ut poſſit, quocunque modo cauſa poſtulat, dicere.

Ad cauſas tenues, ùt eſt cauſa pro Cæcinna: ſubmiſſum genus accommodabit:

Ad graves, qualis eſt Rabirii vehemens.

Ad mediocres, ùt eſt cauſa pro lege Manilia, temperatum.

Con-

In eadem etiam oratione ad

- *Conciliandum, mediocre;* — *Est enim eloquentis proprium* — *Parva submissè.*
- *Docendum, & probandum, subtile, & enucleatum:* — *Modica temperatè.*
- *Movendum, grave adhiberi debet.* — *Magna graviter dicere.*

Variandum est etiam dicendi genus pro ratione personæ,

- *Quæ dicit, quæ audit, cùm non eadem sit cujusque authoritas, fortuna, & nomen.*
- *Pro ratione locorum, ac temporum.*
- *In omnibus etiam rebus vitandum est quatenus; magis enim ostendit nimium, quàm parum.*
- *Unde fit, ut eloquentiæ fundamentum, sicuti & aliarum rerum sit sapientia.*

CAPUT LII.

De Memoria.

Memoriæ inventor dicitur Simonides, qui obtrita convivarum corpora, ex loco, quo quisque esset, di cevit.

Quo facto notandum est, memoriam signatis animo sedibus juvari.

Quod etiam quisque suo experimento credere potest; quia cùm in loca post tempus redimus, reminiscuntur eorum, quæ ibi facta sunt.

CAPUT LIII.

An Memoria sit eloquentiæ pars.

Licèt memoria sit eloquentiæ cum aliis artibus communis, tamen artificiosa memoria oratoriæ pars existimatur.

Nesciretur enim, quanta vis ejus esset, nisi in hoc lumen orandi vim extulisset.

Non enim solùm rerum, sed etiam verborum ordinem præstat, & propemodum infinita complectitur, ne potiùs audiendi patientia, quàm memoriæ fides deficiat.

Non immeritò igitur thesaurus eloquentiæ dicitur.

CA-

CAPUT LIV.

De Artificio memoriæ.

Memoriæ artificium à veteribus traditum conſtat. { *Locis, & imaginibus.*

Qui volunt hanc ingenii partem excolere, de locis hæc obſervent.

- *Loca multa, animo capiant ſpatioſa.*
- *Multa varietate ſignata, illuſtria, explicata modicis intervallis.*
- *Ut ædium ferè magnarum, aut alterius ædificii,*
- *Quæ ſunt diligenter animo affigenda, ùt ſinè cunctatione occurrant.*
- *Tum quæ fuerint ſcripta, vel cogitata; ordine his locis ſunt commendanda ſignis, quæ earum memoriam excitent, notata.*
- *Loca, quæ ſumpſeris, egregiè, commoditèrq; notare oportebit ut perpetuò hærere poſſint.*

De Imaginibus.

- *Quæ fuerunt ſcripta, vel cogitata, locis commendanda ſunt, vel ſignis, quæ eorum memoriam excitent, notata.*
- *Imagines dictis locis ordine ſunt collocandæ.*
- *Cùm memoria repetenda fuerit, ab initio loca recenſenda, & quod cuique credideris poſcendum.*
- *Nam ordo locorum, ordinem rerum conſervat; & res ipſas imagines notant.*
- *Utendum eſt imaginibus aliquid agentibus, & acribus, & ſignis, quæ occurrere, & celeriter percutere animum poſſint.*
- *Quæ imagines pro rerum varietate ſubinde mutandæ ſunt, locis permanentibus.*

CAPUT LV.

Quid conferat memoriæ artificium.

Prodeſt memoria artificioſa ad multa rerum nomina audita per ordinem repetenda, & ad res ordine diverſas complectendas.

At ad ſingula perpetuæ orationis verba perdiſcenda, nihil ferè prodeſt; quia ſingulorum verborum imagines memoriæ mandare inutile eſt & infinitum.

Si

Si longior oratio memoriæ mandanda fuerit, proderit per partes discere.

Non erit inutile aliquas apponere notas, quarum recordatio excitet memoriam.

Juvabit iisdem, quibus scripserit chartis, ddiscere.

Maximè tamen memoriæ ars, est exercitátio. & labor.

Quantum studio, naturáque valeat memoria, multorum exemplò, ùt Themistoclis, Mithridatis, & Cyri constat.

CAPUT LVI.

De Pronuntiatione, & ejus utilitate.

Ut pronuntiatio à voce, ità actio à gestis dicitur.

Quæ una pars in dicendo dominatur.

Sinè qua summus Orator esse in numero nullo potest; mediocris, hoc instructus summos sæpè superavit. Ut meritò Demosthenes huic parti primas, secundas, & tertias dederit.

Est etiam actio, quasi quædam corporis eloquentia.

Est autem in duas distributa partes scil. in { *Vocem, quæ aures movet.* / *Gestum, qui oculos,* } *Pr quos duos sensus omnia ad animum penetrat affectus,*

CAPUT LVII.

De Voce.

Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maximè voce moventur.

Utcunque ergo Orator se affectum videri, & animum audientis movere voket, ità certum vocis admovebit sonum.

Iracundia postulat vocis genus acutum, incitatum, crebrò incidens.

Miseratio, & mœror, flexibile, plenum, interruptum flebili voce.

Metus demissum, hæsitans, abjectum.

Vis, contentum, vehemens, imminens, quadam incitatione gravitatis.

Voluptas, effusum, lene, tenerum, hilaratum, ac remissum.

Molestia sinè commiseratione, grave quiddam, & uno pressu, ac obductum.

Ac

Ac quidem vocis bonitas optanda, & tractatio nobis eſt.

Priùs ergo Orator variabit, & mutabit, omnéſque ſonorum tum intendens, tum remittens, perſequetur gradus.

Nec modò in diverſis rebus, ſed etiam in iisdem partibus, iisdémque affectibus, quosdam non ità magnas vocis mutationes adhibebit. Nam varietas, eam gratiam præbet; ac removeat aures, tum dicentem ipſa laboris mutatione reficit.

CAPUT LVIII.
De Geſtu.

Vocem ſubſequi debet geſtus, & animo ſimul cum ea parere.

Geſtu ſic utendum eſt, nihil ut in eo ſuperſit.

Status erit erectus, & celſus.

Rarus inceſſus, nec ſatis longus, excurſio moderata, & rara.

Nulla mollitia cervicum, nulla argutia digitorum.

Trunco magis toto ſe Orator moderabitur, & virili laterum flexione.

Brachii porrectione, in contentionibus; contractione in remiſſis.

Pedis ſupploſione in contentionibus, aut incipiendis, aut finiendis.

Sed in ore ſunt omnia, in quo dominatus eſt oculorum. quoniam omnis actio eſt animi, & imago animi vultus eſt, indices, oculi.

Hæc unica pars corporis, quot animi ſunt motus, tot ſignificationes, & commutationes poteſt efficere,

Non eſt oris ſpecies nimis immutanda; ne aut adineptias. aut ad pravitatem aliquam deferatur.

Oculorum igitur remiſſione, conjectu, hilaritate motus animorum ſignificabimus aptè cum genere ipſo orationis.

Eſt enim actio quaſi ſermo corporis, qui magis menti congruens eſſe debet.

Finis Tabularum Libri Tertii.

NOTÆ

NOTÆ
Ad Pleraque Capita
RHETORICÆ
CYPRIANI SOARII.
PRÆFATIO.

SOarii Præceptis hanc, quam vides, explicationem adtexendam duxi, quòd paſſim Magiſtri ipſi authores fiant diſcipulis, ut è multis, qui ætate noſtra præclaros de Rhetorica Commentarios in lucem edidêre, unum quempiam ſibi comparent, è quo ea, quæ in Schola audiêrant, pertractata diffuſiùs, & exemplis illuſtrata pluribus, plenius condiſcerent. Igitur in quorundam manibus erat Be Colonia, Ducygnius, Le Jajus, aliis Motnius, Maſenius, Pajotus, Juglarez, Iser Oratorium &c. magis placebat; pars maxima horum nihil habebat. Quandoquidem perſæpè uſuvenit, ut non pauci parùm ab librariis his armis inſtructi ad paleſtram veniant. Laborem mihi itaque ſumpſi, ex iis quos nominavi Præceptoribus medullam ipſam excerpendi, quæque ad Tyronum captum maximè videbantur, unum in opuſculum eâ tamen moderatione congerendi, ut ne vel moles, vel pretium abſterrere quemquam, vel quiquam ſine hoc quali quali ſubſidio eſſe poſſit.*

In Rhetoricam ſacram me aliquandò quàm illi effudi liberaliùs: quòd, ut nunc res ſunt, Eloquentia in ſacris pulpitis, & Eccleſiâ dominatur maximè; ad quam nec pauci, nec ultimi Tyronum & aſpirant, & conferent ſe haud dubiè. Nec quisquam dixerit, grandem adeò doctrinam huic ætati minùs convenire. Etenim ad cauſas in foro agendas, de Republica, Legibus, fortunis, & capite civium aptè dicendum formamus Adoleſcentes, etſi Philoſophiæ, Civilium ſcientiarum omninò rudes: quidni iiſdem, quantumvis myſticam, poſitivam, aſceticam; Scholaſticam Theologiam ne de nomine quidem nôrint, methodum de Sanctiſſimis Religionis noſtræ myſteriis, de vita ad ſanctè Evangelii leges componenda aptè dicendi præmonſtremus.

In aſſerendis contra logicis difficultatibus; quibus delectantur aliqui, & opportuna eſt Rhetorica, parcior fui; nec eorum m rem unquam probavi, qui in Rhetorica antevertunt Logicam, ejúsque præcepta propoſita publicè Theſibus ſyllogiſtica reciprocatione diſputanda venditant; atque ſi acutè reſponderint, eloquentiores ſe factos autumem. Sit aliquis, qui ut ungues ſuos teneat, quomodo

Locus unus, Argumentatio, vel figura à loco, argumentatione, vel figura alia v. g. Enumeratio à Synecdoche. Privantia à Contrariis. Antecedentia & Conſequentia ab Adjunctis. Exemplum ab Enthymemate, ſimiliter Cadens à Deſinente &c. diſtinguantur? Hyperbaton an Tropus dici poſſit? Similia, Comparatio &c. an Locus ſit intrinſecus, extrinſecus, an ſemiextrinſecus &c.? Aliáque nec negligenda, nec neglecta à nobis, ſed extra officium Rhetoris poſita: da inquam in his tricis exercitatiſſimum quem, nihilo meliorem Orationem ſcribet, ac horum vel parùm, vel minimùm peritus. Poterit enim rectè definire, etſi ignoret, quî definitio, quæ in plures locos ſe infundit, ab iis tam n diſtinguatur; cumque liberum ſit Oratori, quâ velit Argumentatione, locô, vel figurâ uti, parùm curæ habebit, hæc cum illa eadem ſit, an diverſa?

Singulis Soarii Capitibus immorandum non cenſui, cùm quædam adeò ſint plana, explanatione ut ne egeant: alia de judiciali genere agant, cujus hodie minimus eſt uſus.

NOTÆ
IN LIBRUM I. RHETORICÆ,
CYPRIANI SOARII.

Ad Caput I. *Quid ſit Rhetorica, quod ejus Officium, & finis.*

Quid eſt Rhetorica? R. Eſt ars benedicendi, ſeu ùt Quintilianus, *graviter, & copiosè, & ornatè dicendi.* Nominis origo eſt è Græca voce: ῥέω, *dico, loquor;* cujus futurum eſt ῥήσω, *dicam.* Inde ῥήτωρ, & ῥητορικὴ, *Rhetor, Rhetorice*, ars loquendi, ſeu verbis optimis, ſententiísque lectiſſimis dicendi. Differunt tamen inter ſe Rhetor, Orator, Declamator, quòd *Rhetor* tradat præcepta dicendi; *Orator* ſecundùm eadem accommodatè ad perſuadendum dicat; *Declamator* ſe in iisdem privatim, ac velut in umbra exerceat antè, quàm ſe publico committat.

Quomodo orta ſit ars bene dicendi? R. Orta eſt, ùt artes omnes, Geometrica, Medica, Muſica, &c. experiundo, & inventis nova addendo. Dixêre quidam temerè, inſulsè, quidquid in buccam veniſſet, alii nativâ quadam facultate cultiùs. Fuêre, qui obſervarent, & in cauſas hujus diſcriminis ſedulò indagarent. Ex horum obſervationibus ars enata eſt, ſeu præcepta certa, triginta prope ſæculorum uſu comprobata, nunquam fallentia, à quibus, qui receſſerit, certiſſimè deviabit.

Quod

Quod eſt Officium, & quis Finis Rhetoricæ? R. Officium, idémque finis, quem vocant, intrinſecus Rhetoricæ eſt, appoſitè dicere ad perſuadendum, docendo, delectando, movendo. *Docemus*, & intellectum audientium convincimus argumentis, & argumentationibus; *Delectamus* lectô, politô, & illuſtri dicendi genere; *Movemus* affectibus, & amplificatione. *Finis* verò extrinſecus, nec in Oratoris poteſtate poſitus eſt reapſe perſuadere. Quare bonus, officióque probè perfunctus Orator fuerit, etſi vel aliâ causâ non perſuadeat, ùt non eſt in Medico etſi optimo, ſemper curetur ut æger: & bonam domum formabit Architectus, quæ nunquam inhabitabitur.

Ad Caput II. *De Dignitate, & Utilitate*

AN digna eſt, & utilis Eloquentia? R. Inter artes, quibus humanæ vitæ ſocietas perficitur, ferè principatum tenet. Equidem Rebuspublicis in Regna mutatis, non eodem quo olim fuit honore, nec eodem loco videtur: revera tamen & hodiedum, multùm in conſilio Principum; plùs aliquantò in Curia; plurimùm verò in templis poteſt, & ad ſacros juxtà, ac profanos honores viam præbet certiſſimam. Etſi enim in ſanctiore Regum *Concilio*, de ſummis Reipublicæ Negotiis, ſententiarum, & argumentorum pondere magìs, quàm verborum ornatu agitur, quantùm tamen facundus, nec ingenii perſpicacitate tantùm, ſed eloquentiâ inſtructus Senator, aut Conſiliarius præſtet Sapiente quidem, ſed indiſerto, palàm eſt alioquin.

An etiam in Curia utilis eſt? R. In Curia Forenſi, ubi de fortunis, & capite civium agitur, Jurisperiti hodiedum unicè dominantur. Sit verò aliquis, qui legum omnes apices penitiſſime teneat, eum ego bonum quidem Legiſtam non negavero; bonum Advocatum, & Cauſidicum eſſe non concedam, niſi Oratoris item partes adjungat, hoc eſt conciliandi Judices, invidiam conciendi Adverſario, argumenta firmiſſima inveniendi; cauſæ totius momenta aptè patiendi, tacita amplificatione non fidem tantùm, ſed & motum excitandi, nu-

merosè denique loquendi, vel (ubi Libellis agitur) ſcribendi artem inſuper calleat; Dat Juſtinianus honores, ſed non niſi Tullio comitatus.

In templis item floret? R. Hic verò Regnum tenet, ídque præ antiquis Oratoribus longè illuſtriùs: Religiones, Reip. nempe partem alteram moderatur; interpretatur divina Oracula; ad omne virtutis genus, implendáque Chriſtiani hominis officia hortatur; coërcet vitiorum libertatem effrænatam: convincit refractarios: excitat languentes; admirationes, clamores, lachrymas ciet; ſic ut ſæpe unius hominis eloquentis voce civitates integræ mutatæ in meliùs, ſibi de tali Oratore gratulentur. Nec inhonorata eſt hæc eloquentia, ad ſacras Infulas gradum ſternit, & purpureos Galeros.

Ad Caput III. *De Materia Rhetoricæ.*

ARtes, ſcientiæ ſingulæ in certa aliqua materia verſantur, ùt Ethicæ, ſunt mores hominum; Medicæ, morbi, & vulnera; Geometriæ, puncta, & lineæ; fabrilis ferrum, vel lignum; pictoriæ colores, tela, &c. Sola Rhetorica res omnes, cùm de omnibus quæſtio inſtitui queat, pro materia habet. Nec inde ars infinita eſt, cùm ratio in materia verſandi, ſeu præcepta ſint finita. Unde intelliges, niſi Sapientem, id eſt, qui divinarum, humanarúmque rerum ſcientiâ pectus impleverit, perfectum Oratorem eſſe poſſe neminem: qui præſtare aliquid velit, ejus ſaltem ſcientiæ, in qua præſens quæſtio verſatur, ſumma capita tenere oportere; cùm Tyrone Rhetore ſatis commodè agi, ſi elocutionis aliquam facultatem obtineat, cætera à Philoſophia, Legum, vel cognitione Theologiæ expectanda.

Ad Caput IV. *De Quæſtione.*

QUid, & quotuplex eſt Quæſtio? R. Quæſtio idem eſt ac Propoſitio, ſcopus, ſeu argumentum Orationis. Duplex eſt, altera Generalis, ſeu infinita, Græcè *Theſis*, quæ latiſſimè patet, ùt: *Scientiis eſſe ſtudendum.* Hæc cùm ad ſingularia perſonæ: temporis, loci, modi &c. contrahitur, Finita, Particularis, græcè *Hypotheſis* vocatur, ùt: Studendum eſſe Philoſophiæ. *Perſon.* Studendum eſſe Philoſo-

loſophiæ Ariſtotelis. *Tempor.* Studendum Triennio, vel biennio. *Loci.* In Academia potiùs, quàm domi. *Modi.* Non diſputando minùs, quàm meditando.

Sic: *Pax cum hoſtibus facienda.* Facienda hoc anno: his conditionibus. *Virtus exercenda:* virtus liberalitatis: etiam à pauperibus an exercenda? *Religioſum inſtitutum ineundum:* an S. Franciſci: aute, vel poſt Philoſophiam abſolutam. *Munitionibus providendum:* De Annona: Friburgo cumprimis, Belgrado. *Parentibus obtemperandum:* etiam duris, etiam à prolibus adultioribus. *Studendum Poëticæ:* etiam vernaculæ. *Diſcendas linguas externas:* Italicam, Gallicam: puero, an adoleſcenti &c.

Ut dividitur præterea Quæſtio ſeu Propoſitio? R. Altera eſt Actionis, cognitionis altera, ſeu, ùt Logici loquuntur *Practica, & ſpeculativa:* hoc eſt, quæ vel ad aliquid agendum refertur, vel in ſola cognitione ſiſtit. *Actionis* eſt, ſi oſtendam *v. g.* Cæſari cum Pompejo pacem ineundam: Principatum retinendum ab Auguſto: Fines Imperii ultra Euphratem eſſe non debere: Hiſtoriæ ſtudendum &c. *In re Sacra:* Honorandos parentes: non mentiendum: avaritiam refrænandam: S. Euchariſtiam frequenter ſumendam. *Cognitionis,* ùt: Poëtica majoris ingenii ſit, an Oratoria? Monarchia præſtet, an Ariſtocratia? An Cometæ malum indicent? Tychonis, an Copernici Syſtema præferendum? Pacis, an belli artibus majores fuerint Romani? &c. *In re ſacra:* Chriſtus an animô plura paſſus, quàm corpore? Primitiva Eccleſia ſanctior fuerit, an hodierna: Angelici Ordines, an ſpecie inter ſe diverſi? An Chriſtus veniſſet, ſi Adam non peccàſſet? &c.

Qualis porrò ſit oporteat Propoſitio, nimis generalia themata Tyronum quidem exercitio permittenda, Oratorem verò non decere; in Eccleſia ad Actionem dirigenda omnia; rejectis iis, quæ ad virtutis amorem, vel vitii fugam nihil conferunt, infra dicemus, cùm de inventione agetur.

Ad Caput X. *De Exercitatione.*

Quibus ſubſidiis comparatur Eloquentia? R. Primò. Naturâ. 2. Arte. 3. Exercitatione. 4. Imitatione. Quibusdam natura benignior nativam quandam, quidquid loquendum eſt, appoſitè loquendi facultatem tribuit. Seu

(quod in humana ſocietate uſuvenit) conſilium petendum, dandúmve; ſeu impertiendum in calamitate amico ſolatium; ſeu reprehenſio peccanti adhibenda; exeitandi deſides: laudandi bene meriti; rogandi patroni: excuſatio afferenda; tractandum negotium; grates habendæ; gratulandum: Urbanitatum ſtata officia præſtanda amicis; coram denique, vel per epiſtolam, quidvis peragendum ſit; hæc inquam nonnulli meliùs nati, ſcitè, cum decoro, & reapſe eloquenter peragunt. Eſt item ſua Imperatori, Principi, Patrifamilias, Mercatori, quin Mendico (ùt acre eſt neceſſitatis ingenium) propria quædam eloquentia, quin detectum nuper quendam barbarum alioquin Americæ populum, hac facultate præſtantem, quíque omnium facundiſſimus habitus fuerit, Principem ſibi eligere ſolitum è literis comperimus.

Quid Ars naturæ præſtat? R. Perficit, ac limat naturæ dona; tardioribus etiam ingeniis ad inveniendum, inventa rectè efferenda viam præit, memoriam labiliorem induſtriâ excolit; ſubraucam vocem, linguæ balbutiem exercitatione corrigit: Corporis totius conformationem, etſi parùm digna obvenerit à natura, imitatione, ſtudióque perpolit, atque adeò pro concione dicere volenti propè neceſſaria eſt.

Quod eſt tertium Rhetoricæ Subſidium? R. Exercitatio, quæ tria complectitur: 1. Lectionem. 2. Scriptionem. 3. Scriptorum emendationem. Aſſiduam quidem optimorum Oratorum *Lectionem* adeò neceſſariam eſſe, uno conſenſu omnes ſtatuunt, ut ſine hac nemo profecerit unquam, vel proficere poſſit. Hæc legenti, cùm ſeipſum perſuaderi, ac moveri ſentit, veræ eloquentiæ imaginem, præceptáque velut in tabula expreſſa cum voluptate imprimit; fœcundat ſcriptionem, ad ſimile, quid audendum ineitat, & ad efficiendum adjuvat.

Quinam, & quomodo legendi? R. Ut è Domoſthenis, Græcorúmque lectione ad eloquentiæ Principatum evaſit Cicero, ita hic idem, in quo ſumma inſunt omnia, unus unicus legendus erit Tyroni. Equidem Juvenibus Muretus, Perpinianus, Bencius &c. ſæpe præplacent, quos ob hodierni moris Thema intelligunt faciliùs: eorum tamen orationes, ut latinitate puriſſima ſe commendent, rebus tamen, argumentorum nervis, ac contentione longè ſunt

infrà

infrà Ciceronis majeſtatem. Itaque nemo ſit, qui per Rhetoricæ annum præter ea, quæ in ſchola explanentur, non inſuper domi quatuor, aut quinque minimùm perlegat, penitúsque intelligere ſtudeat.

Quomodo legendum; R. 1. Plurimum intereſt, ut ante omnia argumentum cujusvis Ciceronianæ orationis, ſeu ſtatus quæſtionis probè intelligatur. Ad eam rem adjumenti, ac lucis plurimùm præbebit libellus de Hiſtoria Romana civili; ritè in ſuprema Grammaticæ Claſſe perceptus, atque iterum, iterúmque relegendus. 2. Videndum, quæ ſint argumenta principalia, quæ partitio, & argumentatio, quæ argumentationis amplificatio, affectus, figuræ denique illuſtriores, & latinitas; ídque ferè ex Analyſi P. Ducygne expendendum, quo nemo brevius, meliúsve hac de re ſcripſit.

2. *Quæ eſt exercitationis pars altera?* R. Scriptio, ſeu compoſitio frequentior. Veriſſimè enim clariſſimus quidam Rhetoricæ Magiſter: *Una oratione ſcribenda plùs addiſci, quàm decem legendo.* Et Tullius: *Sine hac exercitatione, nemo unquam ad abſolutionem, perfectionémque dicendi perveniet.* Itaque nemo item ſit diſcipulorum, qui præter ea, quæ è ſcholæ præſcripto componenda ſunt, non unam ſaltem Orationem ſuo Marte confeciat. Vel hæc ſola exercitatio, etſi deinde fors per omnem vitam nihil ſimile facturus ſit, Ideam tamen, & ſummas Rhetoricæ lineas, utcunque infixas, relinquet. Ei verò, cui (quas oportet) corporis, animíque vires fuerint, quem animus altior ad conſectandam excellentis latinæ, aut vernaculæ eloquentiæ laudem impulerit, magnopere ſuadendum, ne diem ullum ſine linearum aliquo ductu permittat; quin unam, alterámve periodum quotidie, è parata ad id materia elaboret. Id quod omnes, qui in quacunque arte ad ſummum pervenerunt, ſibi faciendum putant.

Quid Scriptioni inſuper addendum? R. Emendatio; detrahimus, mutamus, vel ſi quæ primo calore effudimus, per aliquod tempus ſepoſita, reſumimus ex intervallo, & tanquam aliena legentes, damnamus, quæ placuerant, & invenimus, quæ fugerant; ac præſertim ea, quæ minus aptè locata fuerant, ad numeroſæ, ac rotundæ orationis leges commutamus. Felicior fuerit, cui dux idoneus obtigerit,

qui perviderat ſcriptum, judicet, quid peccatum, emendandique rationem ſuggerat. Id quod ad concionandi munus recèns aggredienti imprimis optandum fuerit.

Ad Caput XI. *De Imitatione.*

Quod eſt quartum Rhetoricæ Subſidium? R. Lectioni *Imitatio* ſuccedat, & jungatur oportet, in qua præcipuum ſtudiorum momentum ſapientes omnes collocant, quam ut compendiariam, quâ ad eloquentiam eatur, viam, miris laudibus commendant. Ex eorundem conſenſu, ut *Cicero unus legendus*, ita unus omnium *imitandus* eſt. Certè ſunt ingenia tam excellentia, ut lectis aliquot ejusdem orationibus, etſi præceptis leviter tincti, è modulo tam perfecto ipſi ſibi artem eruant, & ad efficiendum quid ſimile aggredi audeant; Uti, qui ad Poëticam nati ſunt, è ſola Ovidii, vel Virgilii contenta lectione Poëtæ evadunt. Tale eſt Barbarorum quorundam ad mechanica opera ingenium, qui cùm ad cætera ſupra omnem fidem hebetes ſint, ac ſtupidi, ſi tamen fabrile quid, ut rotarum horologium &c. exhibeas, id imitando effingant adeò ſcitè, ut admirationi ſit Europæis.

Quæ eſt ratio imitandi? R. Duplex: alia verborum eſt, quæ in verbis, & ſententiis, vel iisdem, vel paululùm immutatis ſita eſt. Sic initium Catilinariæ facilè eſt vel pueris imitari: *Quouſque tandem abutêre peccatòr patientiâ divinâ? Quamdiu hanc etiam vita tua eludet? quem ad finem ſe jactabit invetevata impietas? nihilne te impendentia mortis pericula, nihil inferorum pœnæ, nihil terror conſcientiæ, nihil incurſus dæmonum, nihil ſeveriſſimum Judicis tribunal, nihil hujus os, vultúsque moverunt? patere tua ſcelera non ſentis &c.* Hunc in modum imitatione exprimendi erunt Loci Ciceronis illuſtriores, à Magiſtro judicandi, præſertim peroratione, in quibus affectuum, & eloquentiæ totius ſumma vis.

Quæ eſt imitatio rerum? R. Cùm ejus, quem imitamur, inventionem, ac diſpoſitionem, argumentorum, & amplificationis rationem, tranſitiones, figuras, affectus, ſtructuram denique totam in re ſimili, vel diſpari exprimimus. Ad eum modum, quo Cicero Græcos, Virgilius Homerum imitando ſecuti ſunt. Illam *pro lege Manilia* imitaberis, ſi con-

contendas fœderatæ Chriſtianorum claſſi, bellóque in Turcas Joannem Auſtriacum præficiendum. *Catilinariæ* ſervient in Regionum novarum, vel ſeditionum authores declamanti. *Pro Muræna*, an legatio graviſſima, vel Proregium munus togato potiùs, ac literato: an ſagato committendum? *Pro Sylla*: Defendes nonnullos de fidelitate ſuſpectos, quos tamen ſui mores, & inſtituta abſolvant. *Pro Archia*: Poëticam in Gymnaſiis docendam, contra ac alibi ſolent. *Pro domo ſua*: Contra Hæreticos bonorum Eccleſiaſticorum, templorum, Epiſcopatuum raptores. *In Piſonem*: In Lutherum, & ejusmodi peſtifera capita &c. Conſulenda hic P. Maſenii palæſtra Oratoria, quæ ſingulis Tullii orationibus imitationis materiam ſubjungit.

In Oratione Saera. Imitandi erunt ii, qui Ciceronem eundem, tanquam eloquentiæ omnis regulam ſibi imitandum ſumpsêre, & conſenſu omnium Chriſtiani Cicerones habentur; ex Italis quidem P. Paulus Segnerius; è Gallis Burdalœus, nocturna, diurnáque manu verſandi ab iis, qui ad hoc tanti momenti munus ſe accingunt. Non poteſt non eſſe bona, & victrix concio, quæ ad hunc tam excellentem typum proximè acceſſerit.

Ad Caput XVI. *De Definitione.*

Quotuplex eſt Definitio? Bz. Duplex. *Logica*, ſeu ſtricta *Oratoria*, ſeu Deſcriptiva. Logica preſsè, jejunè, breviter per ſtrictum, proximúmque genus, ultimam differentiam definit; ídque verbis tantùm propriis, ùt: *Lex*, eſt recta, & à Deorum numine tracta ratio, imperans honeſta, & prohibens contraria. *Gloria*, clara cum laude notitia. Amicitia voluntas erga aliquem, bonarum rerum illius ipſius causâ, quem diligit, cum pari illius voluntate. *Civitas*, multitudo collecta, quæ conſenſu legum, vitæque ſit conjuncta.

Quæ eſt Definitio oratoria, ſeu deſcriptiva? Bz. Quæ liberiùs, ornatiùs, verbis pluribus, ac etiam translatis, nec tam ſtricto genere, ac differentia rem explicat. Ut cùm Logicus diceret: *Homo eſt animal rationale*: latiùs explicabit Orator: *Homo eſt opus eximium à Deo efformatum, rationis particeps, ad Dei imaginem conditum, atque ad immortalitatem natum.*

Quot modis fit oratoria Definitio? R. Etsi ab omnibus ferè locis Rethoricis peti possit, ducitur tamen ferè 1. Ab Enumeratione: 2. Simili: 3. Causis: 4. Effectis: 5. Adjunctis: 6. à Negatione.

1. *Ab Enumeratione partium*, ùt Rhetorica est, *quæ constat inventione, dispositione, elocutione, pronuntiatione;* Optimates; *sunt Principes consilii publici; sunt maximorum Ordinum homines; sunt municipales, Rusticique Romani, sunt Negotia gerentes &c.* Cic.

2. *A Simili*, ùt Roma *Templum Sanctitatis, gentium oraculum, caput consilii, ara pietatis; emporium Sapientiæ, virtutis domicilium.* Pulchritudo: *hostis blandus, torror fraudulentus, dulcis raptor, laqueus pedibus, velum oculis &c.* Pecuniæ: *nervus belli, viscera Reipub.; meta desideriorum humanorum, ambitionis alimentum, voluptatum fomes &c.* Hujus generis definitiones, nisi cautione quadam, & judicio tractentur, frivolæ plerumque & inanes, nec ad probandum sunt.

3. *A causis, & effectis*, ùt: Sol, *qui luce diffusa diem efficit, tempora moderatur, & calore suo terræ frugibus maturitatem affert.* Peccatum *est animi pestis, conscientiæ labes; vitæ pernicies, naturæ dedecus, orbis ruina, odium Dei &c.*

4. Ab Adjunctis, & Proprietatibus rei, ùt: Philosophia, *vitæ dux, indagatrix virtutum, vitiorum expultrix, mater omnium artium, inventum Deorum.* Historia: *testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis.* Fama, *malum, quo non velocius ullum, quod vires acquirit eundo, cui quot sunt corpore plumæ, tot vigiles oculi, tot linguæ.* Mors: *Somnus æternus, hominis divisio, metus divitum, portus miserorum &c.* Canis: *animal excubiis natum, amans Dominos, & adulans; acerbum in ignotos; incredibili ad vestigandum narium sagacitate, ad venandum velocitate.*

5. Per negationem, & affirmationem, qui definiendi modus facillimus, & pulcherrimus, & Ciceroni perquam usitatus est, nempe cùm prius affertur, quid res non sit, deinde quid sit? Ita à Cic. definitur Consulatus: *an tu Consulatum in lictoribus, in toga, in prætexta, in fascibus esse putas?*

zas ? Affirmativa : *Animo Conſulem eſſe oportet, conſiliô, fide, gravitate, vigilantiâ, curâ, toto denique munere Conſulatûs.* Populus Romanus : *An tu Populum Rom. ex iis conſtare putas, qui mercede conducuntur ; qui vi compelluntur ad vim faciendam Magiſtratibus ; ut obſideant Senatum ; optent quotidie cædes, rapinas, incendia?* Affirmativa : *Ille, ille populus eſt, Dominus Regum, Victor, atque Imperator omnium gentium &c.* Ita definies militem : *Nunquam ego militem illum dixero, qui vino, rapinis, libidinibus ità inhiat, veluti ad id ſolùm ſtipendio conductus, ad hoſtis conſpectum trepidet, arma abjiciat.* Affirm. *Is denique miles eſt, qui pro patria fortiter ſtat in acie, ac pro ſalute Reipub. nullos labores, pericula nulla devitanda exiſtimet.* Ita definies Principem, Nobilem, Studioſum, Rhetorem, Chriſtianum, Aſylum, Concionem &c.

Ad Caput XVIII. & XIX. *De Notatione, & Conjugatis.*

QUid eſt Notatio ? R. Quæ nominis etymon, & originem inquirit ; Grammaticis locus inſignis ad perſpiciendam genuinæ latinitatis proprietatem, ad argumentandum tamen perlevis eſt ; cùm nomina rebus temerè magis, quàm conſilio indita ſint, ùt : à *Senibus* nomen mite *Senatus* habet, non igitur juvenes adoptandi. *Hoſtia, & victima* ab hoſte, & vincendo. *Tumultus* à tumendo, vel tumore eſt, cum ipſo malo major timor eſt. *Auguſtus* ab augendo, & infinita alia, quæ in Primitivorum, & Derivativorum libello habes. Huc pertinent Significationes Græcorum nominum, ùt : *Monachus*, Solitarius, *Stephanus*, Corona, *Chryſogonus* auro genitus &c. Et latina *Vincentius, Barbara, Agnes, Lupus, Ambroſius, &c.* Hebræa nomina in ſacris literis reconditum ſæpe, & myſticum ſenſum habent, ùt : *Adam, Abraham, Iſaac*, &c. Et ipſe Servator : *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Quem potiſſimum uſum habet Notatio? R. Ad ſales tandem ſervit, & facetias, quamquam & Epigrammata, (ùt nonnunquam Martialis habet) & in ſtylo acuto hinc ductæ argutiæ, velut adulterinæ gemmæ minoris æſtimentur. Ita Cicero Verrem hominem rapaciſſimum deridet : *Quam*

tu,

au, inquit, *domum*, *quod fanum adiiſti*, *quod non everſum*, *atque exterſum reliqueris*. Alibi eum *Exerriculum* vocat. Huc quidam referunt Anagrammata, ùt: *Roma*, Amor, mora. *Logica*, Caligo; *Prudentia*, tardè puni; *Urſula*, Laurus &c. Item artificia quædam Cabaliſtica, infelici contagio ab infelicibus Hebræis ad nos delata, quibus ſe tandem occupare, &, ſi Diis placet, etiam oblectare poſſint vacua ingenia, non item meliore ſenſu, & literis imbuta nobilioribus.

Quid ſunt conjugata? R. Quæ à primitivo variè derivata, eíque ſignificationis affinitate velut communi jugo junguntur. Celebris eſt locus Ciceronis de Cæſare: *Cæteros quidem omnes* victores *bellorum Civilium jam ante æquitate*, *& miſericordiâ* viceras, *hodierna die te ipſum* viciſti. *Nam cum ipſius victoriæ conditione* victi *omnes occidiſſemus*. - - *Rectè igitur unus* invictus *es*, *à quo ipſius* victoriæ *conditio*, *viſque* devicta eſt. Item: Arma *ab aliis poſita*, *ab aliis erepta ſunt*. *Injuſtus eſt civis*, *qui* armorum *periculo liberatus*, armatum *tamen retinet animum*. Item: *Rectum putabat pro eorum* honeſtate *pugnare*, *propter quos ipſe* honeſtiſſimus *inter ſuos numerabatur*. Item: *Verres* bonorum *Deorum* bonitate *ſe velle uti dicebat*, intellige argenteorum, *quos rapiebat*. Item de Verre: *Non* improbus *mihi*, *ſed in uno homine ipſa* improbitas *extinguenda*, *& delenda eſt*. Item: *Quis* libidinoſus & cupidus *non ſit*, *in quo* libido *eſt*, *&* cupiditas? *Non* iracundus, *in quo* ira? *non* anxius, *in quo* angor? *non* timidus, *in quo* timor?

Hic item locus ad ornatum facit nonnihil, nec argumenta ſuppeditat niſi parùm firma.

Ad Caput XVII. *De partium Diſtributione.*

Quid eſt partium Diſtributio? R. Quâ Totum in ſuas partes dividitur. Locus eſt omnium, ſi Adjuncta fortaſſe demas, ampliſſimus, ac locupletiſſimus, cùm nulla cadere in quæſtionem res poſſit, quæ non partes aliquas ſaltem morales habeat, atque adeò latiùs expandi poſſit. Variè enim dividitur *Totum*, & eſt 1. aliud integrale. 2. aliud morale. 3. aliud genericum. 4. vel ſpecificum. *Totum integrale* eſt, quod plures partes integrantes, ſeu ad integritatem rei alicujus pertinentes habet, ùt *Domus*: tectum, fundamenta, parietes &c.

Totum

Totum morale unum quidem in se est, & indivisum, nostrô tamen intelligendi modô diversas partes habet, ùt: *Deus* divinas perfectiones, omnipotentiam, bonitatem &c. *Anima*, memoriam, intellectum, voluntatem. Inter morales partes etiam habenda sunt Adjuncta actionum, ùt expugnationis urbium, prælii, naufragii &c. De quibus suô locô. *Totum genericum* continet sub se partes specificas, ùt: *Virtus* prudentiam, temperantiam &c. *Totum specificum*, quod sub se continet partes numericas, seu solo numero inter se differentes, ùt: *Homo*, *Petrum*, *Paulum*, *Cajum*, &c. naturâ quidem convenientes; numero, aliísque rebus dispares, de quibus capite sequente.

Ità Cicero post exilium sibi omnia restituta enumerat: *Redditi mihi liberi, frater dulcissimus; fortunæ, ac res familiaris; amicitiæ, ludi, dies festi, honos, dignitas, &c.*

In Pisonem: Omnes te odêre. *Odit te senatus, videre Equites non possunt; plebs Romana adversatur; municipes perditum cupiunt; Italia tota execratur.*

In Verrem: Omnia sustulit: *Nego in Sicilia ullum argenteum vas, Corinthium: aut Deliacum fuisse; nego ullam gemmam, aut quidquam ex auro, & ebore factum, signum ullum marmoreum, eburneum, picturam ullam, vel in tabulis, neque textilem fuisse, quin inspexerit, quódque placitum fuerit, abstulerit.*

Pro Cælio: Voluptatem omnes appetunt: *Quis est, qui oculis pulchritudinem aspernetur? non odore ullo, non colore, non tactu, non sapore capiatur? excludat auribus omnem suavitatem?*

Pro Lege Manilia. Imperator. *Ego enim sic existimo, in summo Imperatore quatuor hæc inesse oportere: Scientiam rei Militaris, virtutem, authoritatem, felicitatem, &c.*

Pro Cælio: Literæ à voluptate abstrahunt: *Literis dedito, omittendæ sunt omnes voluptates, relinquenda studia alia, delectationes, ludus, jocus, convivia, sermo etiam omnium familiarium deserendus.*

Plinius de Trajano Romæ excepto. *Te parvuli velle noscere; mirari senes, ægri quoque neglecto medentium imperio ad conspectum tui; velut ad salutem prorepere; videres referta tecta, & laborantia, oppletas undique vias, &c.*

In

In Catilinam : Catilinæ familiares omnes ſceleſti fuêre. *Quid ſceleris fingi poteſt, quòd ille non conceperit ? quis totâ Italiâ veneficus ? quis latro ? quis ſicarius ? quis parricida ? quis teſtamentorum ſubjector ? quis ganeo ? quis nepos ? quis adulter ? quæ mulier infamis ? quis corruptor juventutis ? quis corruptus, & perditus, qui ſe cum Catilina non familiariſſimè vixiſſe fateatur ?*

Plinius. Senex vegetus. *Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa veſtigia, auditus acer, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum, & ſucci plenum, cani cum rubore diſcrepant, & cum ætate vires diſſentiunt; nec memoriæ tenacitatem ſenectus diſſolvit, nec acumen ingenii frigidus ſanguis hebetat, non contracta rugis facies, non manus tremula, &c.*

Quomodo fit argumentum ab Enumeratione ? R. Affirmatis partibus omnibus, affirmatur Totum, v. g. Innocens fuit ejus pueritia, caſta adoleſcentia, virilis ætas conſtans, ſenectus liberalis, & placida, ego omnis ejus vita ſanctè, & præclarè transacta eſt.

2. Negatis omnibus partibus, negatur etiam Totum, v. g. Cùm in exilium ageretur Tullius, non erat in Republica Conſul, non Senatus, non conſenſus populi liberi, non mos patrius, non juris, non æquitatis ratio, nulla igitur fuit Civitas.

3. Præcipuè verò in amplificationibus, & deſcriptionibus ſervit; ut captæ urbis apud Quintilianum : *Apparent fuſæ per domos, & templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diverſis clamoribus unus quidam ſonus; aliorum fuga incerta; alii in extremo complexu ſuorum hærentes, & infantum, fœminarúmque ploratus, & malo uſque in illum diem fato ſervati ſenes : tum ſacrorum, profanorúmque direptio, efferentium prædas, repetentiúmque diſcurſus, & acti ante ſuum quemque prædonem catenari; & conata infantem ſuum retinere mater, & ſicubi majus lucrum eſt, certamen inter victores.*

Ad

Ad Caput XX. & XXI.

De Genere, & Specie, ſeu Forma.

AN à Diſtributione Partium differunt ? R. In eo, quòd illa quasvis partes integrales, morales, genericas, ſpecificas, hi verò loci genericas tantùm, & ſpecificas enumerent, quare à multis Rhetoribus, cùm & eadem utrinque ſit argumentandi ratio, unius inſtar loci tractantur. Differt tamen totum integrale à generico in eo, quòd illius partibus nomen Totius non competat, nec dici poſſit v. g. Tectum eſt *domus*, camera eſt *domus*, &c. Rectè autem de *metallo* v. g. aurum eſt *metallum*; ſtannum eſt *metallum*, &c. Notandum item: aliud genus altero latiùs, aut minùs patere. Sic latiſſimè patet *animal*, ſub quo domeſtica, feræ, volucres, piſces, continentur; arctioribus limitibus finiri Totum *Picis*: etſi plures ſub ſe ſpecies, ùt ſcombrum, lucium, &c. *fera*: ùt aper, leo, &c. ſub ſe contineat. Unde intelliget idem Totum ſuperiori comparatum *ſpeciem*; inferiori *genus* dici poſſe: quin ejuſdem Totius partes aliàs genericas conſiderari poſſe: ùt *Reſpublica*: Romana, Athenienſis, Lacedæmonia, &c. vel integrantes, ùt Magiſtratus, populus, leges, cives, milites, exteri, &c. Verùm de Logicis his non curat Rhetor, ſed enumerat partes, qualesquales illæ demum fuerint.

Quis eſt frequens hujus Loci uſus apud Rhetores ? R. Quando ſpecies ad genus, hypotheſis ad theſim revocatur. Ita Cicero Archiam Poëtam laudaturus, humanitatis ſtudia, Poëticámque magna orationis parte dilaudat: *Sanctum hoc Poëtæ nomen nulla unquam barbária violavit; ſaxa, & ſolitudines voci reſpondent; beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt; & nos Poëtarum voce non moveamur? Homerum Colophonii civem dicunt ſuum, &c.* Idem pro Roſcio parricidii reo, multa de *parricidii* atrocitate differit. Clementem extollens Cæſarem, *Clementiæ* virtutem extolſit: Stoicum Catonem oppugnans, *Stoicam* ſectam lepidè inſectatur; pro Milone generatim quærit, an inſidiatorem vi repellere liceat.

Imitaberis, ſi Hiſtoriam commendans, univerſim *ſcientiarum* dignitatem prædices; Ciceronis lectionem ſuadens, in

lectione

lectione bonorum authorum ſpem progrediendi omnem poſitam dicas: Aleam ſtudioſo diſuadens, *ludum* omnem condemnes: Jurandi conſuetudinem diſuadens, univerſim *pravæ conſuetudinis* vim demonſtres: libidinoſum ſenem vituperans, *libidinum* mala enumeres.

Obſervandum tamen, ne quod Tyrones ſolent, in genere diutiùs inhæreatur. Valde enim exerraret, qui Imperatorem v. g. Eugenium, vel D. Aquinatem laudaturus, magnam partem orationis in laudibus ſcientiæ militaris, vel Theologicæ conſumeret. In exordiis maximè locum habet, ubi à generali aſſerto ad ſingularia laudis, ſuaſionis, accuſationis tantò commodior ſit deſcenſus.

Ad Caput XXI.
De Similitudine, & Diſſimilitudine.

Quid eſt Similitudo? R. Eſt alioqui diſparium collatio, & aliqua in re convenientia, v.g. *Avarus, & Hydrops* res ſunt diverſiſſimæ, in eo tamen conveniunt, quòd alter pecuniis, aquis alter ſatiari nequeat. *Leo, & homo iratus* convenit in furore: *Roſa, & adoleſcens* in pulchritudine: *Umbra, & gloria*, quòd illa corpus, hæc virtutem fugientem ſequatur, ſequentem fugiat: *Aurum, & amicus fidelis*, quòd hic in adverſis, illud in igne perſiſtat: *æger, & avarus*, quòd ille cibi, hic laudis, & honeſtatis guſtum non ſentiat: *Orator, & miles*, alter aciem, argumenta alter diſponit ad vincendum: *Invidia, & ærugo*, hæc æs, illa pectus erodit: *Vita, & vinum*, ſi nimis vetula ſint, acéſcunt: *Peregrinus, & imprudens*, ille in viis, hic in rebus agendis deviat: *Comitia, & mare*, illa voluntatum, hoc fluctuum varietate jactatur: *Orator, & canis*, dormientes iſte, ille languentes cives ad ſui cuſtodiam excitat: *Lentus imber, & monitiones crebræ*, ille agros aridos, hæ juveniles animos fœcundant, & recreant: *Fax, & ſapientia*, illa tenebras, hæc intellectum illuſtrat, &c.

Quomodo inveſtiganda eſt Similitudo? R. Quærendo apud ſe, & expendendo, quid ſimilis naturæ ſit cum eo, quod explicandum ſumitur. Ut ſi conſtantiam animi declarare velis, quæres, quid reſiſtat maximè; & veniet in mentem duri-

duritia, *adamantis*, *rupis*, *incudis*, &c. Si ignaviam, *cochlea*, *ſtagnum putidum*, *lignum carioſum*, &c. Si diligentiam, *formica*, *bombyx*, *aranea* &c. Si Magiſtratum, *auriga*, *navarchus*, *paſtor*, &c. Tyronibus, ſcientiarum nempe adhuc vacuis haud ita prompta eſt ſimilium inventio, at quò altiùs in Philoſophia naturali, & humana, variáque eruditione proceſſerint, hoc fœcundiores ſe indies animadvertent, nihilque erit, cui è regno (ùt ajunt) animali, elementari, vegetante, minerali, &c. non apta aliqua ſimilitudo occurrat. Multùm item proderit Poëtarum Lectio, & quæ alibi de metaphoricis locutionibus diximus.

Quid aliud ad Similitudinem refertur? R. Parabolæ, apologi: fabulæ, quæ latentem alioqui veritatem velut in imagine, ac ſpeculo repræſentant, vimque ad perſuadendum ſubinde magnam habent, ùt è celebri Menenii Agrippæ, & Demoſthenis Apologo conſtat. Nec plura in ipſis ſacris literis, maxime apud Prophetas exempla. Hieroglyphica, Emblematica, ſymbola in erudita fortaſſe Panegyri, ſeu declamatione meliùs, ac in gravi oratione adhibebuntur. Ut enim ingenii multùm præſeferant, ita virilis eloquentiæ vim, dignitatémque enervant penitùs, & affligunt.

An multam vim habeat Similitudo? R. Omnium minimam; at ad ornandum, explanandum, illuſtrandum, docilem alioquin, & ſponte ſequentem multitudinem, plurimùm valet: quòd rei propoſitæ imaginem velut oculis ſubjiciat. At apud ſapientem, vel durum, ac renitentem Auditorem, ſimilibus minimum efficies, ut quæ nec probent, minùs convincant; nec particulam *Ergo*, quæ in reliquorum locorum argumentis adhibetur, admittat. Ejus enim locum ſupplent particulæ: *quemadmodum*, *ùt*, *ſecùs*, *ac*, *ità*, *ſic*, &c. Interdum elegentiæ causâ planè ſilentur, ùt: *verba ligant homines*, *taurorum cornua funes*. Itali Concionatores floride, & amœniore dicendi genere delectati ſacras ſuas dictiones venuſtiſſimis ferè ſimilibus conſeminant; Gallis, qui docere, quàm delectare malunt, pugnacior, ac ſeverior prædicandi forma præplacet.

Quid eſt Diſſimilitudo? R. Eſt duarum diſſimilium convenientia inter ſe, cum aliqua diverſitate expreſſa. Sic Cic. Diſſimilis eſt pecuniæ debitio, & gratiæ: *Nam qui pecuniam*

diſſolvit ; ſtatim non habet id, quod reddidit : gratiam autem, & qui refert, habet, & qui habet, in eo ipſo, quo refert, habet. Idem pro Murænа, Diſſimilitudinem Imperatorem inter, & Juris-Conſultum affert: *Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas : ille, ùt quò intendit, maturè exercitus perveniat ; te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat ; tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit ; tu caves, ne tui conſultores, ille ne urbes, aut caſtra capiantur ; ille tenet, & ſcit, ut hoſtium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur ; ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis.*

Ad Caput XXII. & XXV.

De Contrariis, & Repugnantibus.

AN magni uſûs Locus Contrariorum? R. Ampliſſimi, cùm nihil ſit, quod non aliquid, aliqua ſaltem ratione repugnans habeat, locosque pervagetur omnes. Affert enim, & rei contrariæ definitionem, partes, ſimile, cauſas, effecta, adjuncta, comparationem, & ex iisdem fontibus laudat v. g. ſobrietatem, è quibus ebrietatem reprehendit. Præterea, ut hominum, ferarúmque, certaminibus in Amphitheatro ſpectandis naturâ capimur, hæc contrariorum pugna mirificè oblectat audientes, ſecundùm tritum illud : *Contraria juxta ſe poſita, magis eluceſcunt.* Ex hoc item fonte potiſſimùm argutæ dictionis ſubtilitas profluit, ut adeò locus hic & argumentum, amplificationem inſignem, & ornatum conferat orationi.

Quotuplicia ſunt Contraria? R. 1. Adverſa. 2. Privantia. 3. Relata. 4. Negantia; quibus adde 5. Repugnantia.

Quid ſunt Adverſa? R. Quorum unum excludit aliud, nec adeò ſimul in re eadem eſſe poſſunt, ùt : Virtus, vitium. Calor, frigus. Mollities, durities. Sapientia, ſtultitia. Sanitas, morbus. Humanitas, ruſticitas. Modeſtia, arrogantia. Docilitas, pertinacia. Pulchritudo, deformitas. Longitudo, brevitas, &c.

Argumentandi ratio eſt: Cic. *Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur : bonitatem, ſi malitiam ; gloriam, ſi infamiam ; pudorem, ſi petulantiam*, &c. Item : laudabilis frugalitas, fugiendus igitur luxus. Si malorum cauſa bellum,

eſt

eſt, pax erit expetenda. Diligentia opes parit, ergo ignavia egeſtatem.

Quid ſunt Privantia? R. Opponuntur ùt habitus, ſeu res habita, & ejus privatio. Ut vita, & mors. Viſus, cæcitas. Lux, tenebræ. Divitiæ, pauperies. Auditus, & ſurditas. Capillatus, & calvus. Otium, negotium. Sapientia, inſipientia. Veſtitus, nudus. Argumentandi ratio eſt, ùt: *Ultus eſt mortem patris, reddidiſſet ergo vitam, ſi potuiſſet: Si ſapientis eſt aliquando mutare conſilium, inſipientis erit, ſententiam mordicus citra rationem tueri.* Bonum eſt patria, miſerum ergo exilium. Bonum ſunt liberi, ergo infauſta orbitas. Bonum oculorum acies, ergo miſera cæcitas, &c.

Quid ſunt relata? R. Quæ ita inter ſe referuntur, ut unum ſine alio, nec tale nominare, nec eſſe poſſit. Ut Pater, filius, Conſul, Cives: Rex, ſubjecti: dare, accipere: herus, ſervus. Argumentum: *Imperatoris eſt præcipere, ergo militis obtemperare. Herus eſt, ergo liber.*

Quid ſunt Negantia? R. Quorum unum negat alterum, ùt probus, non probus. Sapit, non ſapit. Vivit, non vivit. Eſt herus, non eſt herus. Sapiens, non ſapiens. Albus, non albus. Dives, non dives. Argumentum: *Doctus eſt græcè, & latinè, non igitur indoctus.* Cic. *Unde hic tam pecunioſus eſt factus? an ampla hæreditas relicta? at Patris bona vænierunt: Amplum patrimonium obvenit? at exhæredatus eſt.*

Quomodo variandus eſt hic Locus? R. 1. Cùm verba verbis opponuntur: ùt Cicero. *Virtutes omnes pugnant cum vitiis omnibus: copiæ cum egeſtate; bona ratio cum perdita; mens ſana cum amentia; bona denique ſpes cum rerum omnium deſperatione confligit.* Idem pro Roſcio: *in urbe luxuries, -- avaritia, -- audacia gignuntur: vita ruſtica Parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra eſt.*

2. Cùm membra membris opponuntur, ùt: in Catil. *Nullum ego in terris monſtrum eſſe puto, tam ex contrariis inter ſe naturæ ſtudiis, cupiditatibúsque conflatum. Quis clarioribus viris quondam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis terrior hoſtis civitati? quis in voluptatibus inquinatior?*

quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effuſior?

3. Cùm Periodi periodis opponuntur, ùt: *Majores veſtri ſæpè mercatoribus injurioſius tractatis, bella geſſerunt; Vos tot civium Rom. millibus uno nuncio, atque uno tempore necatis, quò tandem animò eſſe debetis? Legati, quòd erant ſuperbiùs appellati, Corinthum Græciæ lumen extinctum voluerunt illi; vos eum Regem inultum patiemini, qui Legatum Conſularem omni ſupplicio excruciatum necavit? &c.*

Quid ſunt Repugnantia? R. Quæ opponuntur quidem ſibi, non tamen inter ſe maximè diſtant, ùt ſi dicas: *Pacem eſſe*, inferes: *non igitur belli effectus eſſe, non incurſionem in fines, non vaſtitatem, rapinas, &c.* Sic: magni honores à ſuis abſenti Cælio ſunt habiti, non igitur ſuis non probatus eſt. Conſtat ſibi in periculo, non igitur meticuloſus. Liberalis in egenos, nec adeò avarus. Pudicus eſt, abeſt igitur à verborum laſcivia. Amavit Patrem Roſcius, non ergo occidit.

Quomodo diſtinguuntur inter ſe hæ 5. Contrariorum ſpecies? R. Id obiter Rhetori contigiſſe ſatis fuerit, cujus eſt uti contrariis, non diſputare, cujus propaginis ſint. Igitur in *Adverſis* utrumque Contrariorum eſt aliquid, ùt frigus, & calor. In *Privantibus* alterum eſt res, alterum eſt rei privatio in ſubjecto (ùt ajunt) capace, ùt Viſus, Cæcitas. In *Relatis* utrumque eſt aliquid, vel fuit, ùt Pater, Filius, etſi hic jam demortuus ſit. In *Negantibus* alterum affirmat aliquid de aliquo, alterum idem negat, ùt Doctus eſt, non eſt doctus.

Ad Caput XXI. *De Adjunctis.*

AN fertilis ſit Adjunctorum, & Circumſtantiarum Locus? R. Locos ad unum omnes, cùm ad argumentandum, tum amplificandum fœcunditate ſuperat. In hoc ritè enucleando, plurimùm elaborandum Præceptori, plurimùm exercitandi Tyrones; ùt qui ſolutæ, & ligatæ orationis non partes modò majores, ſed & Periodos propè omnes permeet. Hinc ſumma ubertas, copia, ac profluentia Orationis, amplificationis robur, Deſcriptionum, & Hypotypoſeon vivacitas enaſcitur, ut adeò veniam merear, ſi in doctri-

na

na tanti usûs fuero prolixior ; multáque ex iis, quæ in Candidato Rhetoricæ allata sunt, huc item transcripsero.

Quotuplicia sunt Adjuncta? R. Duplicia : *Personarum, & rerum ;* seu ùt Grammatici, *Nominum, & Verborum,* vel cum Philosophis *Prædicati, & Subjecti.* In horum Adjunctis pervestigandis meditatione, hoc est, collectô intra se, & ab aliis rebus abstractô animô opus est. Cogitationes omnes in rem propositam, ejúsque partes omnes, sinus, angulos minutim excutiendo defigentur. Quemadmodum Anatomi non summas tantùm humani corporis partes, sed singulis, & quidem in uno oculo, membranulas omnes, retinas, nervos, fibras, humores, album, pupillam, &c. magnâ curâ dissecta aspiciunt. Aut uti Pictores, quem pingere volunt, v. g. florem, leporem, &c. vel coràm sibi proponunt, vel imaginandi vi, ita sibi præsentant, uti si oculis ipsis cernerent. Quod isti cultellis, aut pennicillis, hoc Oratori *Imaginositatis* velut acie perspiciendum, & verborum coloribus expingendum est. Hac imaginandi vi valent bilioſi, ac melancholici naturâ cogitabundi; quàm volatica, nunióque sanguinis fervore incensa ingenia.

De Adjunctis Personarum.

Quæ sunt Adjuncta Personarum? R. Quoniam Homo, & actiones humanæ ferè orationum omnium præcipua materia sunt, multi in his indagandis sunt Quintiliano duce Magistri. Enumerantur ab his 1. Genus. 2. Natio. 3. Patria. 4. Sexus. 5. Ætas. 6. Educatio. 7. Habitus corporis. 8. Fortuna. 9. Conditio. 10. Natura animi. 11. Victus. 12. Studia. 13. Affectus. 14. Generalia : ùt Locus. 15. Tempus. 16. Occasio. 17. Casus. 18. Facultas. 19. Instrumentum. 20. Modus. 21. Signum. Horum postrema, Actionum potiùs sunt Adjuncta, & in Genere Judiciali magìs usitata.

1. *Genus.* Plerumque enim filii Majoribus, ac Parentibus similes creduntur, unde laudis, vel vituperii materia fluit : ùt pro Sextio. *P. Sextius natus est parente, homine & sapiente, & sancto, ac severo.* Horat. *Fortes creantur fortibus ; bonis & est in juvencis ; est & in equis Patrum virtus ; nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.*

2. *A natione*, 3. *à Patria.* Sui gentes ſingulas mores diſtinguunt. Sunt Barbaris, Romanis, Græcis ſui: ſuæ item civitatum ſingulis Leges, inſtituta, opiniones. Quare ſic fit Argumentum: Romanus eſt, igitur bellicoſus. Græcus? ergo levis. Pœnus? perfidus. Cres? mendax. Scytha? ferox. Lacon? fur. Cic. *Hoc egit ante te civis Romanus nemo. Externi iſti mores ad ſanguinem incitare ſolent odium, aut levium Græcorum, aut immanium Barbarorum.*

4. *A Sexu.* Nec enim idem de Viro, ac de muliere, vel probabile, vel laudabile. Latrocinia ferè virorum, veneficia fœminarum ſunt; illos fortitudo, juſtitia; has pudicitia, temperantia commendat magìs. Livius. *Virorum hoc animos vulnerare poſſet; quid mulierc ularum cenſetis? quas etiam parva movent.*

5. *Ab Ætate.* Aliud aliis annis convenit; nec idem infans, puer, adoleſcens, natu grandior, ſenex facit. Cic. *Patrem occidit Roſcius? adoleſcentulus fortè corruptus, & ab hominibus nequam inductus? Annos autem natus eſt magìs quadraginta.* De ſingularum ætatum moribus vide infra ex Ariſtotele.

6. *Ab Educatione, & diſciplina.* Plurimùm refert, à quo, & quô quisque modô à teneris ſit inſtitutus. Ex educationis modo, diſciplina pueritiæ, & ſodalitio multa argumenta, & ſuſpiciones, traluntur. Cic. *Quid te jactas in domo P. Lentuli eſſe educatum? an verebare, ne nos putaremus, naturâ te jam improbum evadere potuiſſe, niſi etiam acceſſiſſet diſciplina?*

7. *Ab habitu corporis.* Eſt is veluti ſermo quidam totius mentis, & frequenter, nec immeritò in argumentum probitatis, vel nequitiæ adducitur. Cic. in Piſon. *Nónne ipſum caput, & ſupercilia penitùs abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? qui idcirco eſt ſuperciliis, & capite ſemper raſis, ne ullum pilum boni viri habuiſſe videretur.* Idem. *Nec nos color ille ſervilis, nec piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt. Frons, oculi, ſupercilia, vultus denique totus homines in errorem impulit.* Martialis. *Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus, rem magnam præſtas Zoile, ſi bonus es.*

8. *A*

8. *A Fortuna*, & 9. *à Conditione.* Non idem credibile eſt in divite, ac paupere; claro, & obſcuro; ruſtico, & urbano; litterato, & milite; inſtitore, & famulo: nec propinquis, amicis, clientibus abundante, ac his deſtituto. Laudi item eſt, fortunam adverſam tuliſſe ſapienter, in ſecunda non fuiſſe inſolentem. Ita Cicero Chryſogoni Liberti potentiam à prædiis, domo, ſupellectile, familia, ſervis, luxuria, ſumptibus, habitu, ſuperbia, & avaritia vehementer inſectatur, quibus ille in fortunas hominis ruſtici impotenter involabat. De moribus Divitum, &c. infra erit dicendi locus.

10. *Ab animi natura;* Avaritia, iracundia, miſericordia, crudelitas, ſeveritas, aliáque his ſimilia afferunt frequenter, aut detrahunt fidem. Conſideratur item, an acutus ſit, & perſpicax, an hebetior? memor, an oblivioſus? comis, facetus, prudens, patiens, pudens, an contentioſus, improvidus, audax, moroſus, &c. Cic. pro Balbo: *Haberis hominem ſingulari pudore, virtute cognita, & ſpectata fide.* In Verrem: *Hominem ſine ſpe, ſine re, ſine fide, ſine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum, ire patiemini abſolutum?* In eundem. *Iſte ſacrorum omnium hoſtis, religionum prædo,* In Piſonem: *Iſte gurges, atque helluo natus abdomini ſuo, non laudi, atque gloriæ.*

11. *De Victu.* 12. *de ſtudiis.* Quærendum, quo victu uſus ſit, parco, temperato, frugi, an luxurioſo, prodigo, delicato. Etenim ùt victus, ita corpora, à quibus animi actiones pendent. Varia item ſunt hominum ſtudia, aliísque rebus ruſticus, forenſis, negotiator, miles, navigator, medicus, ſacerdos, laicus, &c. ducuntur. Cicero pro Roſcio. *In hoc victu arido, in hac vita inculta, & horrida gigni non ſolent maleficia.* Pro Cælio: *Atque ſcitote Judices, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cælio, atque hæc ſtudia (litterarum) de quibus diſputo, non facilè in eodem homine eſſe.*

13. *Ab Affectibus:* Tales ſunt amor, odium, ira, gaudium, triſtitia, timor, &c. quæ ſuò locò explicabimus. Cic. *Vides tu illum triſtem, demiſſum? jacet, diffidit, abjecit haſtam &c.* De Aruſp. *Nihil feci iratus, nihil impotente animo, nihil non conſideratum, ac diu ante meditatum, &c.*

Adjuncta, quæ Quintilianus affert cætera, Temporis, Loci, Occaſionis, Caſûs, Facultatis, Inſtrumenti, Modi, ſigni, *Actionum* ſunt, non Perſonarum; ad judiciale item genus magìs, ac ad alia pertinent. In una Verrina perlecta pulcherrimè expreſſa omnia videbis. Serviunt hæc Adjuncta ad Deſcriptionem cujusvis perſonæ hiſtoricæ, vel fabuloſæ, & imaginem civilem, ùt loqui amant, deformandam. En exemplum unicum, mutatis tamen paſſim Adjunctis de M. Tullio Cicerone.

1. *Genus, & Parentes.* M. Tullius Cicero Patre natus, & Avo itidem M. M. Tullis. Helvìâ matre, genere utrinque Equeſtri. Pater infirma valetudine fetè litteris deditus, filium à teneris ad easdem adhibuit.

2. *Natio, & Patria.* Oriundus Arpis, quæ item C. Marii patria fuit, Volſcorum Oppido, ad Liris, & Fibreni Fluv. confluentem: quod municipium Corneliæ Tribui è XXXV. fuit attributum.

3. & 4. *Sexus, Ætas.* Ab anno U. C. 648. ad annum 710. ætatem produxit, occiſus annos natus tres, & ſexaginta.

5. *Educatio.* Adoleſcentiam totam in latinis, Græcísque litteris eloquentiæ, ac Philoſophiæ ſtudiis, pervolvendis utriusque linguæ optimis authoribus Romæ Athenis, Rhodi, Magiſtris uſus præſtantiſſimis ita tranſegit, ut jam tum inter æquales longè emineret, ac ſedecim annos natus Poëma ſcriberet.

6. *Habitus Corporis.* Corpus nactus par maximis meditandi, dicendique laboribus, valetudinem inſuper victûs moderatione tuebatur; vegetus plerumque & ſanus, niſi quòd Rheumatis ſubinde, & oculorum lippitudine vexaretur.

7. *Forma.* Frons panda, vividus, & acer oculus, naſus aquilinus, nec quod alii putant cicere reſperſus, cùm hoc cognomen, ut Lentulis, Fabiis, &c. aliunde advenerit.

8. *Conditio, & Fortunæ.* Ædilis, Prætor, Conſul, Proconſul, in omnibus muniis ſumma dignitate verſatus, iis opibus, ut domum amplam, familiam, fundos, ſervitia, villas ornare poſſet: & quamvis exilio magnum fortunarum naufragium fecerit, brevi ſe colligeret.

9. *Animi natura.* Animus liberalis, gravis, ab omni obſcœnitate abhorrens, dicacior juſto, & in facetias pronior. Calamitatem tuliſſe molliùs, nec ſatis in propoſito firmus arguitur.

10. *Victus, & animi ſtudia.* Victu apud amicos, & epulis eruditis magìs, quàm ſplendidis. Tempus omne etiam dum ruſticaretur vel Reipublicæ, vel litteris, vel amicorum periculis impendit. Everſa libertate animi tædium reſumptâ philoſophiâ lenire ſolitus.

11. *Affe-*

11. *Affectiones.* Gloriæ ſtudium immenſum, ad quod vitæ rationes omnes referebat; patriæ amor ſingularis; timidiorem ſe ipſe non diffitetur, & lachrymis etiam indulgentem, &c.

Adjuncta Virtutis, Vitii, & Affectionum humanarum.

Hæc equidem ſufficere poterant, quia tamen ad hominis, ſeu perſonæ laudem, vel vituperationem ex Adjunctis nullum latiùs patet, quàm *Animi natura*, *Virtus* nempe, vel *vitium*, ac *affectiones* cæteræ, hæc præ cæteris cura majore perquirenda ſunt. Etſi verò eadem ſint, cum effectis virtutis cujuslibet, vitii vel affectûs, Tyroni nihilominus ſingulares quidam Loci, ac indicationes ad horum inveſtigationem ſuggerendæ videntur. Virtutum porrò effecta, partes, actus (de quibus libri pleni ſunt) vel internis animi, vel externis corporis ſenſibus perficiuntur. Perquirendum erit igitur, quid quævis virtus, vitium, affectus efficiat.

1. *In memoria*, quarum rerum recordationem moveat. 2. In *intellectu*, quibus rationibus agatur. 3. In *Voluntate*, quas rationes excitet. 4. In *oculis*, fronte ut ſe prodat. 5. In *Lingua*, in quos ſermones erumpat. 6. In *Auditu*, quibus de rebus audire amet. 7. *Manibus*, pedibus, geſtu, toto corporis habitu. 8. *Tempus*, quando. 9. *Locus*, ubi. Id quod exempla meliùs docebunt.

VIRTUS. Liberalitas, ſeu homo liberalis. 1. In *memoria*: non obliviſcitur miſerorum. 2. *Intellectu*: altè ſibi impreſſum habet, hanc eſſe DEI, & naturæ legem, ut qui abundant, egentioribus tribuant: 3. *Voluntate*: aliena calamitate non minùs indolet, ac de ſua: animo ſimul ad opitulandum magno, nec opibus ſuis affixo. 4. *Fronte*: exporrecta, oculo benigno egentes velut ad petendum invitat, petentésque accipit. 5. *Lingua*: ſermonum lenitate ſumma, nec tam promiſſis, quàm rebus ſolatur mœrentes. 6. Supplicium quiritationibus adeò non fatigatur, ut ad fiduciam animet timidos. 9. *Manibus*: promptis ſemper ad largiendum manibus. 8. *Tempus*: non moratur dando, ut conduplicet beneficium. 9. Ingenuis egenis privatim; mendicabulis ad fores, in templo, compitis munificè largitur.

PUDICITIA Seu homo pudicus. 1. Ne cogitationem quidem vel imaginem minùs decentem admittit in animum. 2. Perſuaſum habet penitùs, verecundiam virtutis, ac honeſtatis cuſtodem eſſe certiſſimam. 3. Abhorret ab omni licentia, ac hominum liberiorum familiaritate. 4. Ingenuâ modeſtiâ oculos à promiſcuo

obtutu abſtinet; nullum hìc ſignum, picturámve minùs decentem videas. 5. Nullum ex eò verbum prætextatum, minúsve decorum audias. 6. Quin obſcœna loquentes reprehendit acriter, atque à conſortio arcet. 7. Nihil ejus manibus purius, & continentius. 8. A prima puerili inſtitutione ad hanc ætatem invariatâ verecundiâ. 9. Domi ſuis, foris alienis perfectæ pudicitiæ exemplum.

VITIUM. *Faſtus*, ſeu homo faſtuoſus. 1. Se ipſo plenus, in ſe unum defixus, grandem ſibi de ſe imaginem effingit. 2. unum ſe præſtare omnibus exiſtimans. 3. Coli ab omnibus, primò ſibi locò decedi velut jure poſtulat. Elatò ſupercilio, fronte in neſcio quam majeſtatem contracta. 5. De ſuis opibus, & ornamentis concionalem in modum magnificè prædicat. 6. Nec ullis modulis, quàm de ſuis laudibus afficitur ſuaviùs. 7. Grandire greſſum amat, geſtúque totò aliorum contemptum ſpirat. 8. - - - 9. In circulis, ac cœtibus apud nouos, ignotósque Thraſo ineptus ſe venditat.

PIGRITIA. Seu homo piger. 1. Præ torpore vix ſui conſcius, certè officii oblitus. 2. Nec apud ſe reputans, bovem ad aratrum, hominem natum ad laborem. 3. Summam felicitatis in ſomno ſcilicet, ac ceſſatione collocat. 4. Connivet oculis, ut nunquam non ſemiſopitum crederes. 5. Balbutiente lingua verba velut guttatim eluctatur. 6. In ultimo conclavi, quo ſtrepitu nullo excitetur, abditus deſidet. 7. Pendulis aut in tergum rejectis manibus nihil metuens magìs, ac ut ne quid operis contingat. 8. Dies, annósque nihil agendo ſtipes inutilis comburit. 9. In ſchola deſes, &c.

AFFECTUS. Ira, ſeu homo iratus. 1. Sui impos, ac veluti de ſtatu mentis dejectus. 2 Vel levem injuriam graviorem putat, ac ut condonari poſſit. 3. Ulciſcendi cupiditate quantus eſt, exardeſcit. 4. Oculorum fulgor animi incendium denotat: Frons torva, minax vultus. 5. Sermo præruptus in vociferationes, maledicta, minas effuſus. 6. Nihil ad aures pacatum admittit. 7. Correptis armis, greſſu incitato ad ultionem properans. 8. In dies ferocior.

TIMOR. Vel homo timidus. 1. Obſervante malorum aliàs perpeſſorum memoriâ. 2. Ratúsque pericula graviora, ac è quibus emergere liceat. 3. Angitur intimis animis, triſtíque intemperie jactatur. 4. Inſomnes noctes agit, interdiu palet, gelido ſudore frontem nubilus. 5. Intercluſa voce, ac tremula, dimidiata verba molitur. 6. Vana ſolatia amicorum aſpernatus, in ſolitudinem ſe condit. 7. Jactans ad cœlum manus, nec ullo loco diu conſiſtens. 8. - - 9. Nuſpiam ſe tutum ſatis exiſtimat.

De Adjunctis Perſonarum aliarum.

Cùm in quæſtionem præter *Hominem* ac humana, res, ac ſubſtantiæ cæteræ non minùs, ac perſonæ in quæſtionem cadere

cadere poſſint, ùt cœleſtia, elementaria, aërea, terrea, aquea, ignea, ac nominatim animalia, arbores, plantæ, foſſilia, artefacta. Loci item proprii deſignandi ſunt, è quibus horum Adjuncta facilè erui poſſint.

Adjuncta Animalium.

Animalium alia ſunt domeſtica, ſylveſtria, ferocia, repentia, inſecta. *Aves*, oſcines, rapaces, altiles, eſcariæ. *Piſces*, ac teſtacea. Inter quorum Adjuncta primò veniunt partes enumerandæ, ac præterea conſiderari poſſunt.

1. *Quantitas*, ſeu corporis moles.
2. *Qualitas*, ſeu proprietates, indoles, &c.
3. *Vox* præterquam in piſcibus.
4. *Color.*
5. *Celeritas*, aut tarditas.
6. *Vires*, aut infirmitas.
7. *Pabulum.*
8. *Uſus* eſcarius, vel medicus.
9. *Locus*, quò degere amant.

AGNUS. Animal domeſticum, ac cicur. 1. Tres ferè palmos altum. 2. Naturâ timidiſſimum, & ſtupidum adeò, ut in adagium ceſſerit. 3. Balatum pro voce edit. 4. Vellere plerumque candido, fuſco aliàs, aut vario. 5. Minimè velox, nec diuturni curſûs. 6. Imbelle, & infirmum, nec ſe vel dentibus, vel unguibus, ut animalia cætera à lupis tueri potens. 7. Brevi gramine, ùt in ericetis, ac demeſſorum agrorum ſtipulis impendìo brevi victitat. 8. Caro pro ætatis, ac pabuli ratione tenera, & delicati ſucci. 9. Gregatim agunt, hyemem in caulis exigunt.

CORVUS. Avis è rapacium genere. 1. Notæ magnitudinis. 2. Callidus admodùm, furax, & annoſus. 3. Garrulus, & crocitatu ſuo moleſtus. 4. Colore tam atro, ut hic Corvinus dicatur. 5. Volatu gravi, incerto, brevi. 6. Unguibus, & roſtro cuivis hoſti par. 7. Morticinis ferè alitur, quæ ſagaciſſimè odoratur. 8. Pennæ ad clavicymbalum uſum habent. 9. Agros recens ſubactos obvolat ad prædam, & loca remota.

LUCIUS. Piſcis è genere rapacium. 1. Corpore tenui magìs, quàm adipato, ſubinde in viginti, & ampliùs librarum molem excreſcens. 2. Minorum piſcium tyrannus, ac terror, inglavie inſatiabili. 3. Colore ſubalbido, ſquammis minutim conſertis, varius, ac maculoſus. 4. Rapido natatu. 5. Dentibus, ac mandibulis acutiſſimis, valido caudæ inflictu obvia ſternit. 6. Spoliis ferè vivit. 7. Caro compacta, candida, optimi ſucci, ac ſaporis,

poris. 8. Fluviatili, ac rigida, quàm vivariorum aquâ magis gaudet, &c.

De Adjunctis Arborum.

Præter partes arboris, ùt ſunt radix, fibræ, truncus, cortex, lignum, medulla, ſeu pulpa, humor, ſeu lachryma, ramus, frondes, vertex, conſiderari item poſſunt Adjuncta, ùt:

1. *Quantitas*, Proceritas, &c.
2. *Qualitas*, ſeu ligni proprietas.
3. *Solum*, quô lætius provenit.
4. *Fructus*, & ejus partes.
5. *Sapor*, & uſus fructuum.
6. *Ætas*, *firmitas*, v. g.

NUX. E fructiferarum genere. 1. Proceritate paucis arborum decedit, ſimul ſe pandit latiſſimè. 2. Lignû prædurû, a d fabrilia opera expetitû, in aquis propè in lapidem durescente. 3. Paſſim nec pingui ſolum, ſed etiam aridiore ſolo ſine multa cultura provenit. 4. Nucleum fert viridi putamine, hiſtricis inſtar aculeis horrente, tum ligneo cortice concluſum. 5. Secundam facit, ac fortè primam ruſticorum menſam, è qualitem oleum exprimunt. 6. Sæcularis ferè eſt arbor, & ventorum victrix.

ABIES. Ex umbriferorum genere. 1. Truncô rectiſſimô in altitudinem quatuor, etiam quinque orgyarum effertur. 2. Ligno molliore, ac ſtriis pro annorum, queis crevit, numeris diſtincto. 3. Montoſis, ac fabuloſis locis gaudet. 4. Reſinam largiter exudat, & Dactylum ligneum profert. 5. Non ſine nucleolis minutis, avium ſylveſtrium pabulo. 6. Navibus fabricandis, domuum contignationibus idonea.

De Adjunctis Plantarum.

Plantarum aliæ ſunt alimoniæ *Frumentariæ*, ùt triticum, oryza, &c. Quædam Legumina, ùt: Cicer, &c. *Herbæ* hortenſes, ſylveſtres, medicæ; *Flores* denique, Roſa. Harum partes ſunt: radix, vel bulbus, ſcapus, ſeu caulis, geniculà, apex &c. Adjuncta cætera:

1. *Figura*, quæ partibus continetur.
2. *Qualitas*, ſeu proprietas.
3. *Odor* in Floribus, & Herbis.
4. *Color* cumprimis in floribus.
5. *Uſus* edilis, vel medicus.
6. *Solum*, & culturæ genus.

TRI-

TRITICUM. Planetarum utiliſſima. 1. Erecto ad libellam culmo, pro ſoli ingenio altiore, vel breviore, in ſpicam ariſtarum vallo munitam deſinit. 2. Princeps frumentorum; granum fert denſum, grave, molâ frangendum in farinam. 3. Cùm in herba eſt, herbidi; aurei coloris cùm maturuit. 4. Quo principe alimentorum genere hominum vitam ſuſtentari voluit naturæ author. 5. Pro culturæ modo in nigra, ac pingui terra fertilitate majore ſuccreſcit.

TULIPA. Flos perveneſtus. 1. Venui, ac palmari ferè caudice in calicem quinque, aut plurium etiam, ſi transplantetur foliorum aſſurgit. 2. Non aliud hortorum ornamentum pulchrius. Involvunt ſe cadente Sole folia, pandunt oriente. 3. Nullo equidem vel tenui, nec amœno odore. 4. Sed colorum varietate, & elegantia admirabili; dulbo ſcilicet, diverſis ſuccis imbuto. 5. Quàm porrò oculis blandiuntur, tam nullius, quòd ſciam, uſûs ſunt. 6. Hortulani operam diligentem, ac peritam deſiderant, & breviſſimi ævi ſunt, ac verni tantùm temporis.

De Adjunctis Foſſilium.

Inter Foſſilia primo loco ſunt *Metalla*, tum ſucci, tum lapides varii generis, quorum Adjuncta expendi poſſunt.

1. *Ubi* proveniat.
2. *Qualitas*, ſeu proprietas.
3. *Pondus*.
4. *Color*.
5. *Pretium*.
6. *Uſus* varius.

AURUM. Metallorum Princeps. 1. In montibus altiſſimis, iisque ferè ſterilibus, effoſſis altiſſimè cavernis ingenti labore, & periculo eruitur. 2. Longè puriſſimum, nec rubiginem contrahit, nec igne minuitur. 3. Colore ſolari. 4. Si obrizum ſit, metallorum graviſſimum. 5. Meta omnium deſideriorum humanorum, cùm in auro ſint omnia. 6. Intexitur veſtibus, aris illinitur, Regum Palatia exornat.

ADAMAS. Lapidum pretioſorum Princeps. 1. In quibusdam Indiæ regnis, ac Europæ partibus è cautibus effoditur. 2. Indomabili duritie. 4. Si in æquangulos ante ſcindatur, ſplendoris admirabilis. 5. Mirum quod pretium lapillo ſæpè minutiſſimo indiderit hominum ſtultitia. 6. Mulierum nobilium in aures, regiarum coronarum decus, &c.

De Adjunctis Actionum.

Actionum, ſeu *Verborum* Adjuncta haud paulò majorem ubertatem præſtant orationi, quàm ſatis prolixè hactenus pertra-

pertractata perſonarum, ſeu Nominum Adjuncta; quæ ſi Tyro per multam exercitationem ſibi item familiaria reddiderit, haud magnâ operâ magnam ſibi ad amplificandum facultatem ſubnaſci lætus experietur. Continentur vulgari, notóque verſiculô: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?*

Prima Quæſtio *Quis?* Definitionem, partes, maximè Adjuncta Perſonæ, de qua quæſtio eſt, indagat, ſatisque à nobis hactenus eſt explicata. *Quid?* Actionem ipſam examinat, quæquæ eam antecedant, comitentur, conſequantur, de quibus jam agimus. In his duabus etſi ſumma amplificationis ſiſtit, percurrendæ tamen ſunt & reliquæ.

Ubi? Seu locus; an publicus, ſecretus, ſacer, profanus, opportunus, remotus, propinquus, &c. Ita Hannibal apud Livium ſuis animos facit, quippe qui à tergo Alpibus, utroque latere duobus maribus clauſi, nullum haberent victi effugium. Et Cic. pro Milone. *Videamus id, quod caput eſt, locus ad inſidias, ille ipſe, ubi congreſſi ſunt, utri fuerit ad inſidias aptior? &c.*

Quibus auxiliis? Quibus adjumentis, inſtrumentis, facultate, &c. ùt ſpiculum in corpore occiſi repertum. Sic Cicero pro eodem Milone: *Erat Clodius cum ſervis robuſtis, Milo cum mulierum comitatu, ille in equo, hic in Rheda, &c. Quid minùs promptum ad pugnam, cum penula irretitus, rheda impeditus, uxore penè conſtrictus eſſet? &c.*

Cur? Cauſam finalem indicat, ſeu quô conſiliô? qua ratione, & impulſu actio ſuſcepta, cui bono fuerit? Hôc argumentô probat Cicero, à Clodio ſtructas eſſe Miloni inſidias: *Hoc interfecto aſſequebatur Clodius, non modò ùt Prætor eſſet, & his Conſulibus Prætor eſſet, quibus conniventibus ſperâſſet, ſe poſſe Rempubl. eludere in cogitatis ſuis furoribus, &c.*

Quomodo? Modum notat actionis, an clam, palam, vi, perſuaſione, inſcientiâ, caſu, neceſſitate, iracundè, celeriter, à volente, vel invito. Sic Cic. probat legem de ſuo exilio eſſe irritam, quia per vim latam; quòd lapidatio, hominum conſcriptio, comportatio armorum in ædem Caſtoris vim indicent.

Quando? Seu tempus, an die feſto, pro-feſto, quô anno,

annô, menſe, die, horâ, manè, ſerò, noctu, olim, nuper, hyeme, vere, æſtate ? Pro Mil. *Cujus teſtimoniô Clodius eâdem horâ Romæ fuerit, & Interamnæ &c.*

En exemplum in hac propoſitione : *Hiſtorica Rudimenta Juvenibus diligenter ſunt diſcenda.*

Quis ? Hiſtoriæ antiquæ, novæ; ſacræ, profanæ; Perſicæ, Græcæ, Romanæ, bellicæ, civilis, Imperatoriæ Rudimenta, ſex libellis pro totidem Claſſibus contenta. *Quid ?* diſcenda ſunt; conſideranda utilitas, & momentum rei; aviditate quadam exhaurienda, memoriæ cùm cætera, tum Epochæ altiſſimè defigendæ. *Ubi ?* In ſcholis magna attentione excipienda, domi ſedulò recolenda. *Quibus auxiliis ?* Magiſtri ductu, comparatis libris, chartis Geographicis, è quibus ea percipiantur pleniùs, quæ hìc ſtrictim tanguntur. *Cur ?* Quæ in juventute diſcuntur, velut in theſaurum memoriæ inſeruntur; jactísque fundamentis voluptate erit, per omnem vitam in omne Hiſtoriarum genus effundi. *Quomodo ?* Inſtitutis Academiis, conferendo cum æquali, lecta themati inſerendo. *Quando ?* omnibus tempuſculorum ſegmentis in hoc ſtudium conjectis.

En aliud : *Divitum omnes ſunt amici.*

Quis ? Omnes ejusdem, & altioris conditionis homines. Divitum *quis ?* eorum, qui pecuniis, reditibus, potentiâ cæteris eminent. *Quid ?* eos colunt, primas deferunt, gratiam prenſant, limina obſident, &c. *Ubi ?* prætereuntibus in compitis, templísque aſſurgunt, de via decedunt. *Quibus auxiliis ?* aſſentando, blandiendo, laudibus per ſe, per alios, miſſis etiam xeniis in horum amicitiam adrepere ſtudent.

Cur ? quia ab opulentis nemo non ſperat, pauperum contrà amicitia ſterilis eſt. *Quomodo ?* ſimulatione magìs, quàm ex animi ſententia. Defluant opes, defluent amici. *Quando ?* qui hodie mos eſt, fuit ab origine rerum, erítque.

Quid in quæſtione maximè obſervandum ſit.

CIcero in Topicis : *Admonet hìc Adjunctorum Locus, ut quæratur, quid* ante rem ? *quid* cum re ? *quid* poſt rem *evenerit ?* Ejus exemplum addit : Ante rem *enim quæruntur, quæ talia ſunt : ut apparatus, Colloquia, locus, conſtitu-*

tum

tum convivium. Cum re: *pedum, hominúmque ſtrepitus, corporum umbræ, & ſi quid eſt hujusmodi.* Poſt rem: *rubor, pallor, titubatio, & ſi quæ alia ſigna perturbationis, & conſcientiæ: præterea reſtinctus ignis, gladius cruentus, cæteráque quæ ſuſpicionem movere poſſunt.* Hæc ille. Operæ eſt, doctrinam non levis momenti pluribus exemplis, meliori in lumine collocare, ídque in verbis nudis, & ab omni perſona, ac aliorum Nominum conjunctione abſtractis, v. g.

Ambulavi. Ante: Studendo, ſedendóque feſſus decorè me veſtio, ac Scipione arrepto. *Cum re:* extra muros, penes amnieulum lento paſſu cum amico obambulo. *Poſt rem:* fatigatione per modicam quietem e membris expulsâ, alacriorem me ad ſtudendum ſentio.

Amo. Ante: Video rem pulchram, & ejus cupiditate incendor. *Cum re:* Animó ſum inquietó, & unicè in rem deſideratam defixo. *Poſt rem:* vel gaudeo de obtenta, vel de elapſa mœreo.

Doceo. Ante rem: Tradenda diſcipulis meditor apud me, & apparo. *Cum re:* Verba primùm, tum ſententias, & artem omnem authoris enucleatè expono. *Poſt rem:* repeto, & experior, an attenta ante excepta ſint ſingula.

Lego. Ante rem: Sepono cætera, & librum arripio. *Cum re:* oculis, animóque intento, aliàs etiam clara voce percurro capita authoris aliquot. *Poſt rem:* lecta apud me revolvo.

Aro. Ante rem: Boves jungo, & in agrum educo. *Cum re:* Terram vomere proſcindo, æquales lineas duco. *Poſt rem:* mollem terram, ſeminíque recipiendo idoneam habeo.

Ædifico. Ante rem: Fabricæ modum deſigno, ligna, cœmenta, lapides congero. *Cum re:* muros in altum educo, tectum impono. *Poſt rem:* ſtructam jam domum adorno, & habito.

Cado. Ante rem: Steti, venit debilitas, vel in obicem illatus ſum. *Cum re:* Fallente greſſu, nec ſetinere me potens, humi provolvor. *Poſt rem:* erigo me in pedes, vel adminiculum dant alii.

Quæro. Ante rem: Perdidi, vel ſepoſui. *Cum re:* perſcrutor omnia, loca omnia excutio. *Poſt rem:* gaudeo de reperto, vel reperiendo deſpero.

Medeor. Ante rem: Morbi, aut vulneris ſtatum indago. *Cum re:* Catapotium præbeo, vel emplaſtrum impono. *Poſt rem:* lenitur morbus, vulnus coit.

Fleo. Ante rem: Incidit in oculos, animúmque imago rei admodum triſtis. *Cum re:* exiſtit dolor, is in ſuſpiria, denique in lachrymas eliquatur. *Poſt rem:* facie contracta in locum me ſolitarium abdo.

Miror.

Miror. Ante rem: Offert ſe res viſu nova, vel auditu. *Cum re:* oculos diduco, rem penitus inſpicio, ſtupeo, vel in riſum ſolvor. *Poſt rem:* rem mirabilem aliis denarro.

Evigilo. Ante rem: Conſopitus jacui. *Cum re:* Meâptè, vel alieno monitu ſomnum excutio. *Poſt rem:* promptè me ſtrato levo, & amicio.

Indulgeo. Antè rem: Veniam rogor à confitente erratum, & ſupplice. *Cum re:* nihil tergiverſans, nec ſine opportunis monitis petito aſſentior. *Poſt rem:* grates ab hilari petitore recipio.

Emo. Ante rem: Nummis bene oneratus in forum rerum vænalium me confero. *Cum re:* inſpicio curatè merces, liceor, paciſcor de prétio. *Poſt rem:* perſolvo, emptáque domum refero.

Solor. Ante rem: Dejecti, calamitoſi hominis miſeratione tangor. *Cum re:* Verba adhibeo lenia, malum elevo, ſpem meliorem facio. *Poſt rem:* minuo triſtitiam miſero, vel exmo.

Jam ſi abſtracto verbo, & Adjunctis quæſtioni *Quid?* reſpondentibus, Nominis item, Loci, Temporis, cauſæ, &c. Adjuncta addideris, facilè intelliges, quam nullo negotio non dicam Periodus, aut Periodi membra ſingula amplificari, ſed res quælibet deſcribi ampliter, graphicéque expingi queat v. g. *Lapitharum convivium. Therſites ab Achille cæſus. Ajax furens. Hecuba Polymneſtori oculos effodiens. Aſtyanax è turri præceps. Æneas Anchiſem è flammis efferens. Polyphemus exoculatus. &c.*

Ad Caput XXIV.

De Antecedentibus, & Conſequentibus.

AN differt hic locus ab Adjunctis? R. Non admodùm cùm ad amplificandum adhibeatur. Si argumentum fiat, ita inter ſe cohærcant oportet, ut ex eo, quòd alterum præceſſerit, neceſſariò, vel probabiliter conſequatur alterum, & è converſo; ùt: *Fructus ſunt, igitur flores fuêre. Mortuus eſt, quare vixit. Natus, quare morietur. Plexus eſt ab æquo judice, ergo de crimine convictus. Saltat, non videtur ſobrius. Neglector eſt, & ſqualidus, vix erit compoſitus animus. Luna pallet, pluet. Mercurius intumeſcit, erit ſerenum. Liqueſcunt nives, increſcent fluvii. Arteria variat, latet morbus. Villarum culmina fumant, veſper eſt, coquunt villicæ. Bubo ferale occinit, mortem præcinit. Plurimi risûs eſt, mirùm ni ſtultus. Malè loquitur de aliis,*

malè audiet. E quibus colliges, quædam Antecedentium certum argumentum præbere, alia probabile duntaxat. Ita ab Antecedentibus probabiles facit Clodii insidias Cicero: 1. Juvit Competitores Milonis, ne Consul fieret se Prætore. 2. Professus est palam, se eum occidere velle. 3. Cœpit occasionem itineris cum multo comitatu servorum. 4. Locum pugnæ elegit aptum, à tergo aggressus est Milonem, ergo insidias struxit.

Ad Caput XXVI. *De Causis.*

Quotuplices sunt Causæ? R. Quatuor Causarum generibus, ex Aristotele, ac Cicerone, recentiores quidam addunt *Causam Moralem*, vel *Exemplarem.*

Quid est Causa materialis? R. Est ipsa materia, ex qua aliquid fit, ùt Marmor statuæ, Argentum Pateræ, Tigna, & Imbrices Tecti; Lana, aut Sericum Panni, Pannus Vestimenti, Argilla Fornacis; Tela, & Colores Picturæ; Abies Navigii, Æs Campanæ; Canabs Rudentis, Linum Telæ; Tela Papyri, &c. Ita Cicero sydera commendat à materia: *Atque hac mundi divinitate perfecta, tribuenda est syderibus eadem divinitas, quæ ex purissima, nobilissimáque ætheris parte gignuntur, neque ulla præterea admixta sunt natura, soláque sunt calida, & pellucida.*

Quid est Causa efficiens? R. A qua aliquid efficitur, & est alia *procreans*, ùt Deus mundi, Parentes prolium, Artifex artefacti: alia *conservans*, ùt Lex Civitatem, Vigiliæ securitatem, sobrietas valetudinem, &c. *Impellens*, seu moralis, quod enim per alium quis facit, per se ipsum fecisse dicendus est. Ita causa moralis est homicidii, qui suadet, vel jubet: victoriæ, qui gubernat, animátque militem, etsi ipse non pugnet: qui excubias agit, ut alii furentur. Cicero de Senectute: *Caret epulis, extructísque mensis, & frequentibus poculis, caret ergo vinolentiâ, cruditate, & insomniô.*

Quid est Causa formalis? R. Per quam res ab aliis rebus distinguitur. Ut animus est forma hominis, quia per hunc ab rebus aliis omnibus differt. Alia est *naturalis* rerum corporearum, ùt terræ, ignis, lapidis, floris, nivis, equi,

equi, canis, &c. *Artificialis* altera, quæ in certa figura externa posita est, ùt Domus, navis, scyphi, gladii, statuæ, cibi, vestis, &c. Cicero: *Si considerare velimus, quæ sit in hominis animo excellentia, & dignitas, intelligemus, quàm turpe sit diffluere mollitie, & delicatè, ac molliter vivere, quámque honestum sit parcè, severè, sobriè.*

Quid est Causa Finalis? R. Cujus gratiâ, & intuitu aliquid fit, ùt Domus finis habitatio; belli pax; medicinæ sanitas; mercaturæ quæstus; pœnæ emendatio; servi utris aulicæ favor Principis; operarum merces; armorum defensio; solitudinis, animi collectio; hominis, æternùm beata vita, &c. Cicero: *Quæ causa justior est belli gerendi, quàm servitutis depulsio?* Item: *Si parcè volumus frui, bellum gerendum est.* Idem de Viro Politico: *Ut Gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria; sic huic Moderatori Reipubl. beata Civium vita proposita esse debet.*

Ex his quatuor causis petuntur Adjuncta rerum artefactarum, ùt Templi Jerosolymitani *Efficiens* est Salomo, & Artifices peritissimi. *Materialis* vis auri, argenti, æris immensa; ligna cedrina, lapides pretiosi, &c. *Formalis* ipsa Templi pulchritudo, & structura admiranda, ex ipsius DEI typo desumpta. *Finalis* Summi Numinis cultus. *Moralis* David, qui filio hanc ædificationem commendârat.

Calx. Materia: Certum silicum genus. *Efficiens:* à Calcario in fornace vehementissimo igne excoctum. *Forma:* cui si aquam superfundas, effervescit, bullit, in pollinem candidissimum solvitur. *Finis.* Hic arenæ permistus glutinis instar murorum lapides inter se continet.

Pileus. Effic. Pileatoris opus. *Mater.* E subacta, & coctili lana, seu Castrorum pilis. *Formal.* in cylindrum formis indita cogitur, lato circum margine, zonâ vinctus elegante, assuto ad reflexam auriculam torulo. *Finis:* ad solem, pluviámque defendendam.

Cerevisia. Effic. A Zythopæo. *Mater.* E maceratis frumenti, vel hordei granis, ac in polentam, seu farinam crassiorem commolitis, admisto certo lupulorum dimenso, ferveute aqua excoquitur. *Form.* Potus aliàs diluto, fusco aliàs colore. *Finis:* Frigidioribus regionibus pro vino est.

Ad Caput XXVII. *De Effectis.*

Quot ſunt Effecta? R. Quot cauſæ, quibus reſpondent: & quia cauſis notiora, Oratoribus etiam uſitatiora ſunt. Scientiarum, quin & virtutum, ac vitiorum effecta, ferè pro earundem partibus uſurpantur, ùt in exemplis infrà patebit.

Ab Effectis cauſæ *Materialis* tale fit argumentum: Corruptioni ſumus obnoxii, igitur ex corpore componimur. *Formalis:* Cic. *Mentem hominis, quamvis eam non vides, tamen ùt Deum agnoſcis ex operibus ejus, ſic ex memoria rerum, & inventione, celeritate motûs, omníque inventione virtutis, vim divinæ mentis agnoſcito.*

Efficientis Effecta ùt Voluptatis, Cicero: *Ab hac patriæ proditiones, Rerum publicarum everſiones, cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſcuntur; nullum ſcelus, nullum magnum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret, adulterium verò, & omne flagitium, nullis aliis illecebris excitatur, niſi voluptate, &c.* Et in Verrem: *Agunt eum præcipitem pœnæ Civium Romanorum, quos partim ſecuri percuſſit. - - - Rapiunt eum ad ſupplicium Dii patrii, quos iſte - - - cærimoniæ verò, religionésque omnium ſacrorum, fanorúmque violatæ - - - - - conſiſtere ejus animum ſine furore, atque amentia non ſinunt.*

Finalis Effecta ſunt, ùt: Cæſar delectus habet, legiones conſcribit, Literis, vel armis impensè ſtudet, ergo gloriam ſectatur, vel fortunas commodiores. Cic. *Quid eſt igitur propoſitum Optimatibus, quid intueri, quò curſum dirigere debent? id quod eſt præſtantiſſimum, maximéque optabile omnibus, cum dignitate otium.*

Eloquentiæ Effecta: Tenet ſuſpenſos hominum cœtus dicendo, mentes allicit, obnitentes etiam voluntates impellit, ſenatum regit, in Eccleſiis dominatur, religiones moderatur, &c.

Ebrietatis: Lumen rationis extinguit, ingenii aciem obtundit, viſcera erodit, belluis ſimiles reddit, linguam impedit, &c.

Ad Caput XXVIII. *De Comparatione.*

Quotuplex eſt Comparatio? R. Triplex: Majorum, Minorum, Parium. Comparatio à Majori eſt: ſi id quod magis

magìs verò ſimile eſt, verum tamen non ſit, inferamus; id quoque, quod minùs veroſimile eſt, in eadem re verum non eſſe, ùt: Non timet armatum, non igitur timebit inermem. Parentem ſuum non fert, nec igitur Præceptorem feret. Duo exercitus reſiſtendo non fuêre, non erit unicus. Hector fortiſſimus Trojam defendere non potuit, nec poterit ergo effœminatus Paris. Romana arma Germaniam perdomare nunquam potuêre, nec poterunt Francica. Cic. *Ego à juventute in forenſibus cauſis exercitatus, hanc cauſam ſuſcipere vix audeo, & tu novus homo, & imperitus audes?* Item: *Dum Conſul eram, & cum imperio, Regem me non dicebas, cur privatum me regnare criminaris?* Item: *Non eſt quæſitum de nece clariſſimorum virorum, Africani - - nec igitur de nece Clodii inquirendum.* Item: *Præter Clodium nemo rem ullam è bonis Ciceronis concupivit, vel attigit, non igitur credendum, Deos immortales ejus domum concupiviſſe.* Item: *Jupiter ipſe in regendo orbe terrarum ſubinde tamen fallitur, quid mirum, ſi Sylla in illa mole rerum agendarum animadvertere non potuit?* Adverte in hoc argumentandi modo, niſi figura miſceatur, propoſitionem utramque ferè eſſe negantem.

Quomodo argumentamur à minori ad majus? R. Si id, quod minùs veroſimile eſt, verum tamen ſit; inferamus etiam id, quod magìs veroſimile eſt, vel probabile, in eadem re verum eſſe, ùt: Vicit Gigantem, vincet & Pygmæum. Vetus Orator timet in principio dicendi, quidni novitius Tyro? Judæi ſuos mendicos alunt, alant & Chriſtiani. Opifices aurorâ ad opus ſurgunt, tu literarum ſtudioſe ſtertes? Verbera tuliſti fortiter, feres & verba. Domi alienæ tam petulans eſt, an ſuæ modeſtus erit? Inimicis opem non denegat, amicis etiam præſto erit. Deorum iræ placabiles ſunt, quare & Cæſaris. Orationem ſcribit ornatam, ſcribet & Epiſtolam. Pallas potuit exurere claſſem Argivam, Juno Jovis uxor, & ſoror Trojanos debellare non poſſit? Cic, *Noſtri ob mercatores injuriosiùs tractatos - - bella geſſerunt, vos ob 80. millia Civium Rom. occiſa bellum non geretis?* In hoc argumento propoſitio utraque, ſeu Protaſis, & Apodoſis plerumque affirmans eſt.

Quomodo fit argumentum à Pari? R. Quando unum

verosimile ex altero æquè verosimili infertur, ùt: Parricida culeo insutus mergitur, igitur, & qui matrem occidit. Frater tuus doctrinâ, & virtute excellit, idem conare. Licuit Hortensio defendere Syllam, licebit & Ciceroni. Galli nobiles exteras regiones non pervagantur, ecquid Germani? *Cic.* Novo civi civitas adimi potest, ùt ii contendunt, igitur & patriciis, & civibus antiquissimis. Potuerunt hi, & hæ, & tu non Augustine?

An magni usûs est hic Locus? R. Magnam habet probandi vim, nec amplificandi minorem, & rudiores præsertim animos promovendi. Ad Comparationem item refertur Exemplum, non minoris ad persuadendum roboris, & eodem modo tractandum. Certè oratio nulla, nulla ferè Concio, quæ non exempli aliquid, vel Comparationis pro firmamento habeat, aut ornamento. Hunc Locum tam validum, tam illustrem scitissimè tractabit, orationémque splendidè fœcundabit is, cui sacræ, & profanæ Historiæ plurimùm fuerit. Quæ una ratio ad diligentissimum Historiæ studium magno Tyronibus incitamento esse deberet. Paradigmatum abundè in Candidato Rhetoricæ allatum est.

Ad Caput XXIX. & XXX.

De sex Locis extrinsecis.

Quot sunt Loci extrinseci? R. Secundùm Quintilianum sex: Leges, seu Præjudicia: Fama: Tabulæ: Jusjurandum: Tormenta: Testis. Etsi porrò Judiciale genus, cui unicè serviunt, ab Oratoribus aliò demigravit, paucis tamen contingendi sunt.

Quid sunt Præjudicia? R. Cùm in eadem, vel propè eadem causa aliquando, vel ab iisdem, vel aliis Judicibus ita judicatum fuit, ùt: *Cic. Octavius Considius, Claudius. M. Basilius viri integerrimi, ac Judices Oppianicum non absolvêre, nec igitur à vobis absolvendus est.* Infirmantur Præjudicia, si ostendatur, vel corruptos fuisse Judices, vel causam præsentem longè dissimilem esse.

Quid sunt Leges? R. Romanæ, municipales, sacræ, profanæ, in quibus accumulandis adeò multi sunt forenses nostri, & Advocati, ut in hoc telo spem victoriæ omnem collo-

collocare videantur. Cic. *Lex eſt: ſi quis hominem malo dolo morti duit, Parricida eſto.* Tueberis te in legem, ſi 1. vel antiquatam eſſe dicas, 2. vel legem aliam contrariam opponas, 3. vel longè aliter intelligendam, vel 4. majoris boni causâ ab ea recedi poſſe contendas.

Quid eſt Fama, ſeu Rumores? R. Eſt teſtimonium multitudinis, vel vox communis populi, nullo certo authore orta, cuique magna eſt authoritas, niſi malitia irrepſerit, vel nimia crudelitas. Alioquin ex his duobus capitibus infirmatur. Sæpè enim rumoribus ejusmodi malignitas initium dedit, incrementum crudelitas, quod nulli non etiam innocentiſſimo poteſt accidere, fraude inimicorum falſa vulgantium. Cic. *At fuit fama? quotus quisque iſtam effugere poteſt in tam maledica civitate?*

3. *Quid ſunt Tabulæ?* R. Scripturæ publicæ, vel privatæ, ut teſtamenta, Chirographa, Contractus, Codicilli, quæ hodie ferè inſtrumenta vocamus. Argumentum fit ejuſmodi: *Cic.* Teſtamento legitimo eſt hæres, hæreditatem igitur adire poteſt. *Item:* Ad navem publicam ædificandam nihil de ſuo expendit Verres, quia de hoc expenſo nihil ullis in tabulis exſtat.

4. *Quid ſunt tormenta?* R. Confeſſio cruciatibus expreſſa: incertum argumentum, namque ut ille ait: *Mentietur, qui ferre poterit, mentietur, qui ferre non poterit.*

Quid eſt Jusjurandum? R. Affirmatio religioſa, quâ aliquid teſte Deo aſſeritur, & vel hoſti ſervandum eſt. Spectanda tamen jurantis probitas, vel improbitas. Etenim ad alia grandia ſcelera audax, ne ad perjurium quidem timidus erit.

6. *Quid ſunt Teſtes?* R. Quorum teſtimonio fides habebitur eò major. 1. Si fuerint oculati. 2. Jurati. 3. Viri probi, & ſpectatæ integritatis. 4. Si illuſtres, ac dignitate conſpicui. 5. Nullo ſuo emolumento, vel odio impulſi.

Horum exempla Locorum non deſiderabit is, qui Verrinæ accuſationis librum curatè pervolverit.

Ad Caput XXXI.

De uſu, & utilitate Locorum.

Quæ eſt horum Locorum utilitas? R. Notæ ſunt, & indicationes, unde aurum effodiendum, hoc eſt: probabilia argumenta ad quamvis quæſtionem eruenda ſint, ſic ut nihil effugere poſſit, quod in rem faciat, dum cura, & cogitatio adhibeatur. Id ut in uſum deducat, ſtatuetur primùm Quæſtio, ſeu Propoſitio ejusmodi, cujus notitiam aliquam, & lucem habeat Tyro, ùt ſunt materiæ morales, & univerſales magis, quàm ad certas circumſtantias contractæ.

Circumferes deinde cogitationes per Locos omnes, quæ ſit rei propoſitæ natura? quæ partes? cui ſimilis? cui oppoſita? quæ ejus cauſæ, adjuncta, comparatio, exempla. Si unus Locus nihil ſuggeſſerit; eo præterito ad alium tranſibis. In diverſo namque themate alius Locus alio fertilior eſt, & ad rem accommodatior. Probè autem monet Author noſter levia, & inania ferè rejicienda, Tyroni tamen exercitationis causâ omnes erunt ad unum excutiendi. Sit ergo Propoſitio: *Nulla ſalus bello, pacem depoſcimus omnes.*

Definitio: Bellum velut forum quoddam eſt Principum, quo non equidem Legum contentione, vel argumentorum, ſed ferro, & igni de controverſiis obortis diſceptant inter ſe, déque illatis, quas putant, injuriis, ipſi ſui Judices illatô viciſſim omni injuriarum genere ſatisfactionem ſibi conficiunt. Quid autem miſeriùs, ac cauſam non tam ratione, & æquitate, quod hominum eſſet; quàm violentiâ, ac robore, quod belluarum, agere?

Diſtributio partium. Igitur Actores armati, *terrâ* comparant exercitus, delectibus exhauriunt oppida, legionibus campos inundant, tumultu, ac vociferatione omnia perſtrepunt. *Mari* ſumptibus immanibus immanis molis navigia ædificantur; Legionariis, Claſſiariis, annonâ, tormentis armantur; concurrunt inimicæ claſſes, & alterno ſanguine maria inficiunt. In tanta perturbatione qui ſalus conſiſtat, & felicitas? *Reges* ipſi ob incertam aleam multâ inſomniâ jactantur. *Nobilitas* gloriæ ſtudiô ad certam propè mortem

mortem convolat; *populo* denique luendum, & exedendum eſt, quod intrivêre, ac peccârunt Reges.

A Simili. Quemadmodum à contrariorum conflictione humorum, dum frigida pugnant calidis, humentia ſiccis, tempeſtas denique exiſtit, & fulmen, quod ingenti fragore excuſſum, perniciem quaquà fertur, infert inevitabilem; ita hæc Regum diſſidia bellum denique, partum infeliciſſimum progenerant, quo non unusquiſpiam, ùt grandine pars aliqua agrorum, ſed populi, ac regna integra omni calamitatum genere affliguntur.

A Contrariis. Pace verò, & beatâ illâ populorum concordiâ quid exoptatius, ſalubriùs? quod majus DEI donum? quid aureæ, de qua in fabulis eſt, ætati ſimilius? Regni ſui opibus quieti perfruuntur Reges, vigent commercia, & è mercatura opulentia; ſuavis eſt Legibus; ſua Religionibus majeſtas, civibus ſecuritas, contentiùs excoluntur artes, lætiùs efflorescunt literæ &c.

Ab Adjunctis antecedentibus, conſequentibus. Gliſcentes controverſiæ antequam in plenum incendium erumpant, mittuntur Legationes ſumptuoſæ; repetuntur injuriâ ablata; intercedunt fœderatorum officia; queis fruſtra conſumptis conquiritur tributis graviſſimis belli nervus; fervent armorum officinæ; è ruſticorum horreis frumenta, è patrum manibus filii in caſtra abripiuntur, &c.

A Cauſis. Ad ſucum plebi faciendum æquitas obtenditur, reapſe ambitio ferè bellicum canit, illa in perniciem humani generis nata furia; nec unquam deſunt, qui ad proferendos Imperii fines, ad ſectandam nominis immortalitatem ardentes alioqui Regum animos ampliùs inflamment peſtilentes Conſiliarii, &c.

Ab Effectis. Itur igitur in expeditionem, diverſis ab exercitibus conculcantur ſata; demetitur ſeges immatura; latè exſcinduntur arbores fructiferæ; regiones uberrimæ in deſertum rediguntur; ardent villæ, capti abiguntur; Urbes cum Templis incendio ſacrilego hauriuntur; conſeritur acies, multa innocentiſſimorum millia ſuis cadaveribus implent campos; utra pars vincat, ſtupra, rapinæ omne crudelitatis genus, &c.

A Comparatione. Certè ſi vir ſapiens forenſes turbas,

& Advocatorum contentiones omni ope ſibi devitandas exiſtimat, ſi parte fortunarum carere malit, quàm in hæc faſtidia ſe induere? an non Regibus, populi nempe Patribus, & Paſtoribus experiunda potiùs ſint omnia, quàm ſe, ſuósque in mala tam atrocia agant præcipites?

Ad hunc modum una, ac altera exercitatione experietur Tyro v. g. *Multa bona continet ſilentium. Bona educatio dimidium vitæ. Artes omnes docuit neceſſitas. Malefacta mendacio celare neminem ingenuum decet, &c.*

Ad Caput XXXIII. *De Amplificatione.*

Quid eſt Amplificatio? R. Eſt Rhetoris opus princeps, ipſa Rhetoricæ anima, ut optimus habendus ſit orator, qui hac amplificandi arte cæteros omnes antecelluerit. Argumentum Loci indicant, ſuppeditant cæteræ ſcientiæ; at nuda, ſtrictáque Enthymemata, etſi firmiſſima, parùm effecerint, niſi omni oratorio ornatu veſtita ad imperitæ multitudinis captum in pleno lumine collocentur. Itaque multùm intereſt planè intelligere, quid notionis huic *Amplificationis* Nomini ſubſit, & qui à dilatatione verboſa differat. Dilatatio majorem, amplificatio ampliorem facit orationem; illa numerô opplet aures, hæc pondere verborum ferit animos; illa tumida, inflata, elumbis extendit, hæc pinquis, nervoſa, pugnax intendit, & graviorem reddit dictionem. Inde intelliges, quo ſenſu accipienda ſit Tullii Definitio: *Eſt gravior affirmatio*, latior, aut fuſior, *quæ motu animorum*, non verborum diluvio, *conciliat in dicendo fidem* per argumenta ita expanſa, evolutáque, ut vel hebetiorem auditorem plenè edoceat, & ad aſſenſum permoveat.

Quotuplex eſt Amplificatio? R. Duplex, *Verborum*, & *Rerum*. De illa libro tertio, de ornatu Verborum, commodior erit agendi locus, id ſolùm advertas velim, cùm unum ſæpè verbum vim, amplificationem, & efficaciam majorem præ alio verbo habeat, nequaquam id eſſe dilatare, ac amplificare. Dividitur item in amplificationem, quæ fit primò per Congeriem. 2. per incrementum.

Quæ eſt Amplificatio per congeriem, & qui ejus fontes? R. Fontes omninò iidem ſunt, qui argumentorum, nempe enume-

enumerati hactenus Loci Rhetorici. Hoc ſolùm diſcrimine, quòd non unam v. g. Definitionem, Simile, &c. ſed plura ſimul congeſta (unde Congeriei nomen) ſtipatáque afferat; quæ veluti denſata in unam meram tela impreſſionem longè majorem, quàm ſingula faciunt. Fit igitur Primò per Congeriem, ſeu frequentationem Definitionum. 2. Plurimarum Partium. 3. Adjunctorum. 4. Cauſarum, & Effectorum. 5. Contrariorum, Diſſimilium. 6. Similium exemplorum, Comparationum. 7. Synonimorum. 8. Figurarum.

Caput XXXIV.

De Amplificatione à Definitionibus conglobatis.

Quid eſt Amplificatio à Definitionibus conglobatis? R. In qua variæ ejusdem rei Definitiones afferuntur. Hujus, & aliorum Locorum exempla luculentiſſima habes in vehementiſſima illa in Piſonem oratione, in qua pugnatricis illius, ac veræ amplificationis ſpeciem, ſi uſpiam, pulcherrimè expreſſam videbis, & admiraberis, quam adeò curatè legendam, relegendámque ſuadeo. Vide hominis pulchras Definitiones: *Ego iſtius pecudis, aut putidæ carnis conſiliò uti volebam, quam in hoc animali reperire non poſſem? qui tanquam truncus, & ſtipes ſi ſtetiſſet modò, potuiſſet ſuſtinere titulum Conſulatûs, &c.* Item: *O tenebræ! ô ſordes! ô paterni generis oblite, paterni vix memor, &c.* Item: *Miſerum me! qui dum hac me cum peſte, atque labe confero.* Item: *Templum illud te Conſule conſtituebatur arx civium perditorum receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum ſàrenſis latrocinii, buſtum legum omnium, ac religionum.* Pro Mil. *Curia templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, ara ſociorum, portus omnium gentium, ſedes ab omni populo Romano conceſſa uni ordini.* En ſex Definitiones Curiæ.

Quæ eſt partium Congeries? R. Ut in eadem Piſoniana: *Non commemoro rapinas, non captas, non imperatas; non neces ſociorum, non cædem hoſpitum, non perfidiam, non immanitatem, non ſcelera prædico.* Ibidem: *Id me delectat, quòd de vobis Senatus, haud ſecus ac de hoſtibus teterrimis opi-*

opinatur: quòd Equites Romani, quòd cæteri ordines, quòd cuncta civitas odit: quòd nemo civis vos oculis non fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa vestri Consulatûs perhorrescat. Ibidem: *Quem socii, quem fœderati, quem liberi populi, quem stipendiarii, quem negotiatores, quem publicani, quem universa civitas, quem Legati, quem Tribuni, quem reliqui milites omni cruciatu dignissimum putant.*

Quæ est Adjunctorum, Antecedentium, & Consequentium frequentatio? R. Ita in eadem desperati hominis Adjuncta quàm vivacissimè adumbrata habes: *Videre te cupiebam abjectum, contemptum, desperatum à cæteris, à te ipsa etiam desperatum, & relictum, circumspectantem omnia, quidquid increpuisset pertimescentem, adulantem omnibus, talem te videre volui; vidi.* Itidem luxuriosum convivium describit. *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, nihil præter libidines sumptuosum. Toreuma nullum, maximi calices, & hi quidem Placentini; exstructa mensa non conchyliis, & Piscibus, sed multa carne subrancida; servi sordidati ministrant, nonnulli etiam senes: idem coquus, idem atriensis; pistor nullus, cella nulla, panis, & vinum à propola, atque de cupa, &c.*

Quid est Contrariorum, & Dissimilium Frequentatio, & conflictio? R. Nobilissimæ orationis pars magna in hac conflictatione versatur, quâ suam Consulatus petitionem in eodem gesta, ab exilio reditum cum ejus petitione, rebus in Provincia gestis, reditu Romam occulto confert: *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione famosarum imaginum: mihi Populus R. novo homini honores omnes detulit; homini, non generi; moribus, non Majoribus; virtuti perspectæ, non auditæ nobilitati; tu Consul es renunciatus, impeditis Reipublicæ temporibus, dissidentibus Consulibus; me tuncta Italia, me omnes Ordines, me universa civitas non priùs tabellâ, quàm voce priorem Consulem renunciavit.* De suo, & illius Consulatu Contrapositа: *Ego Kalendis Januar. Senatum legis Agrariæ metu liberavi; Ego in C. Rabirio perduellionis reo Senatûs authoritatem sustinui, & contra invidiam defendi; ego L. Catilinam eâdem Senatûs, interitum urbis molientem egredi ex urbe jussi, &c. Aude nunc ô furia!*

ria ! de tuo dicere, cujus initium Ludi Compitalitii restitutio, &c. De utriusque Romam reditu lectu dignissima ex ipso fonte petas licèt.

Quid est Congeries Effectorum, & Causarum? R. Est in qua multæ unius rei causæ, & effectus conglobantur. Sic Cicero causam perditi exercitûs in Gabinii scelera refert : *A te Jovis Velsuri Templum sanctissimum direptum est : tua scelera Dii immortales in nostros milites expiârunt ; qui cùm in uno genere morbi affligerentur, neque se recreare quisquam posset, qui semel incidisset, dubitabat nemo, quin violati hospites, Legati necati, pacati ac socii nefario bello lacessiti, fama vexata, efficerent hanc tantam vastitatem.* Sic belli ab irritatis sociis illati effecta censet: *Vectigalia nostra perturbârunt, urbes cœperunt, vastârunt agros socios nostros in servitutem abduxerunt, familias arripuerunt, pecus abegerunt.* Consequentia, & effecta exilii sui deinceps recenset : *Tu luctum senatûs, desiderium equestris ordinis, tu squallorem Italiæ, tu Curiæ taciturnitatem annuam, tu silentium perpetuum judicii, & fori, tu cætera illa in maledicto pones ; &c.*

Quid est Similium, vel Exemplorum congeries? R. Tali exemplorum frequentatione Cicero per Ironiam Pisonis sapientiam explodit, negantis se triumphi cupidum : *P. Servili, Q. Metelle, C. Curiò, P. Africane cur non audistis tam doctum hominem priùs ? ô stultos Camillas, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Metellos, Maximos ! O amentem Paulum Æmilium, rusticum Marium, nullius consilii ambos horum Consulum Patres, qui triumphârint, &c.* Instat deinde : *L. Crassus homo sapientissimus spiculis propè scrutatus est Alpes, ut ubi hostis non erat, triumphi causam aliquam quæreret : eadem cupiditate C. Cotta nullo certo hoste flagravit.*

Quid est congeries Synonimorum? R. Cùm plura ejusdem veri, vel etiam sententiæ, idem, vel propè idem significantia afferuntur, quæ coacervatio sæpè acriorem facit, ac vehementem orationem, ùt ibidem : *Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, suâ audaciâ de sanitate, ac mente deturbat : hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.* Ibidem : *Me Cn. Pompejus multis obsistentibus ejus erga me studii,*

ſtudii, & amoris, ſemper dilexit, ſemper ſua conjunctione digniſſimum judicavit, ſemper non modò incolumem me, ſed etiam ampliſſimum, atque ornatiſſimum voluit eſſe.

Quid eſt Amplificatio per Figuras? R. Quando eorum quos hactenus recenſuimus Locorum conglobatio, per illuſtriores figuras inſuper extollitur, & acuitur, ùt ſunt Apoſtrophe, Exclamatio, Proſopopæja &c. Exempla paſſim ſunt obvia, atque de his ſuo loco.

Quid eſt Amplificatio per Incrementum? R. Cùm per gradus creſcit oratio, & ad ſummum pervenit: ſeu cùm in uno argumento exponendo ita elaborat orator, velut ſi præterea nihil ſupereſſet: pòſt autem ad aliud longè graviùs progreditur; eóque probato tandem ud ultimum, firmiſſimúmque deſcendit, ùt in Romana acie Principes haſtati, haſtatos Triarii, fortiſſimum militum genus excipiebant. Cic. *Facinus eſt* vinci e *civem Romanum; ſcelus* verberare; *propè parricidum* necare; *quid dicam* in crucem tollere? *Nihil addi poſſe videtur ad hanc amentiam, improbitatem, crudelitatem.*

Hoc amplificandi genus ſi non partes ſolùm, ſed orationis totius corpus, & ſtructuram pervadat, ad movendum longè eſt validiſſimum, & inter præcipua Rhetoricæ artificia; Sacrorum oratorum Principibus Segnerio, ac Burdalœo perfamiliare.

Sic: Si hæc fertis judices, fiet, ut non modò *clàm*, verùm hìc *in foro* etiam *ante tribunal*, etiam *ante pedes* veſtros cædes fiant. Non decet mentiri *puerum;* minùs *virum*, ac *Nobilem;* minimè omnium *Regem*. Quispiam de ſuo Rege magnificè: Magnus *pace*, major *bellò*, *Religione* maximus. Vicit Pyratas Pompejus; vicit una æſtate, ita vicit, ut ſe deinceps colligere nunquam poſſent. Fregit juratam fidem, fregit ipsâ, quâ juraverat, die. Non contuliſtis auxilia ad vincendos Turcas; ne vinceremus, bellò nos è fœdere, & à tergo impetiſtis. Viros clariſſimos interfecit Nero, quid? ipſum Præceptorem; quid? ipſam Matrem. Media pace invaſit urbem, 2. deditam pactis contra datam fidem diripuit, 3. totam cum templis antiquiſſimis incendiò delevit, 4. ipſa mortuorum oſſa effodit, 5. Rudera murorum operibus exſcidit. Turpe fuiſſet Antonio

tonio tantum vini ingessisse, ut vomeret postridie, 2. nec id domi, sed in cœtu Populi Rom. 3. & negotium publicum gerens, 4. & Magister Equitum.

Ad Caput XXXIII. *De Affectibus.*

AN Oratori necessaria est hæc de Affectibus doctrina? R. Quàm maximè. Est enim hæc inventionis pars præstantissima, quæ animi affectus, mortísque regat. Nam cùm in hoc consistat eloquentiæ laus, & triumphus, ut in animos dominetur, atque idcirco Regina flexamina vocetur à Cicerone, nunquam imperitus, & siccus Orator cœtus hominum tenebit, nec vim afferet animis, qui non istam tractandorum Affectuum artem noverit. Cùm verò multiplices sint ejusmodi motiones, aliæque in aliis concionibus excitandæ, peculiares quoque Loci commonstrandi sunt, è quibus singuli moveri possint, & acui.

Quid est Affectus? vel ùt vulgò loquuntur, *Passio?* R. Est motus animi ex apprehensione boni, vel mali exortus. *Vel* est quidam animi impetus, vel æstus, quo impellimur vehementiùs ad aliquid appetendum, vel aversandum. Hanc doctrinam, quam in suis Rhetoricis omnino exhausisse videtur Aristoteles, paucis Soarius, nos aliquantò pluribus prosequemur.

Quotuplex est Affectus? R. Vehementes sunt quidam, lenes alii, placidè nempe animum afficientes. Plures quidam, pauciores alii numerant. Præcipui sunt: Amor, desiderium, odium, fuga, ira, mansuetudo, tristitia, commiseratio, indignatio, invidia, spes, confidentia, desperatio, timor, gaudium, æmulatio, pudor.

Amor, Odium.

Quid est Amor? R. Quo alicui bene volumus, non nostri, sed ipsius gratiâ. Differt ab amicitia, quæ mutuum amorem postulat, quòd verus amor etiam ejus sit, qui non redamatur.

Quibus è fontibus excitari potest Affectus Amoris? R. Movent ad amandum hominem. 1. *Clara virtus, & excellens;* fortitudo in agendis, & ferendis; incorrupta justitia; magnificè, aut piè pro salute communi gesta, sapientia singularis, & animi magnitudo. 2. *Beneficentia, & liberalitas*

facilè

facilè tribuéntis, & magna, & libenter, & opportunè; qui gratuletur de noſtris bonis, doleat de malis perindè ac ſuis; amet amicos noſtros, averſetur adverſarios; nec pecuniæ, ſuive emolumenti cupidus. 3. *Innocentia*, à quo nemo ſibi malum metuat; qui tardus ſit ad iram, eámque facilè placabilem; malefacta, & injurias obliviſci amet; nemini maledicat, ac de abſentibus, & mortuis honorificè meminerit. 4. *Modeſtia*, qui procul omni faſtu, patulus omnibus, facilísque, nihil ſimulatè agat, dicátque; minimè contentioſus, & pervicax, in loquendo verecundus, à libidinibus continens. 5. *Jucunditas*, & in conſuetudine quotidiana amœnitas, forma venuſta, vox dulcis, cultus quidem in veſtitu, & in omni vita nihil affectata mundities; talem qui viderint, omnes ament, neceſſe eſt.

Qui ſunt fontes odii? R. Ex iis, quæ his contraria ſunt, patebunt, nempe ſi in aliquo ſit. 1. *Improbitas* inſignis, deſidia, ſtultitia, religionum contemptus. 2. *Sordes*, rapacitas, avaritia. 3. *Crudelitas*, animi ferocia, maledicentia, libidines effrænatæ. 4. *Arrogantia*, contemptus aliorum, elatio animi. 5. *Barbaries*, frontis ruſticitas, ſqualor, &c.

Ubi hic Affectus excitandus eſt? R. In exornativo genere præprimis, ac Panegyricis, de Divorum Cœlitum, Ducum, & magnorum virorum laudibus. *Deſiderii* affectum, cum toto deliberativo genere contineatur, nec ab Ariſtotele tractetur, prætermiſimus.

Ira, Manſuetudo.

Quid eſt ira? R. Appetitus ultionis ex apprehenſione, ac dolore injuſti contemptus noſtri, vel noſtrorum ortus. Differt ab odio, quod eſt ira inveterata.

Qui ſunt fontes iræ? R. Videndum quinam ſint, & quas ob cauſas maximè iraſcamur, hoc eſt, quibus nos contemptui eſſe exiſtimemus. Sunt autem 1. *Deriſores*, contumelioſi, ſubſannatores, maledici, qui neminem non contemnere videntur. 2. Qui *injuriam, vel damnum* inferunt, non ut inde commodi quid rapiant, ſed nobis ægrè faciant. 3. Qui *ſtudia*, quibus ducimur, ùt Philoſophum, Philoſophiam proſcindunt, præſertim ſi ipſi artium, quas contemnunt,

nnunt, prorſus imperiti ſunt. 4. *Amici* etiam magis, quàm inimici; quia durius eſt ab his vilipendi.

5. Et minoribus iraſcimur promptius: quàm majoribus. Quare Regum Iræ graviſſimæ ſunt. 6. Et iis, quibus in amoribus, & exiſtimatione eſſe cupimus, vel quos ob ſapientiam æſtimamus. A talibus enim ſperni plurimùm dolet. 7. Et iis, qui adverſæ noſtræ fortunæ mala videntes, & ſcientes, ſcire, ac videre diſſimulant, nec compatiuntur, nec juvant, præſertim ſi alios juvare ſint ſoliti. 8. Et iis, qui erga alios liberales, erga nos contracti ſunt, quos nempe indignos cenſeant. 9. Addit Ariſtoteles: iis, quorum nomina ex oblivione ignoramus; proficiſcitur enim oblivio è negligentia, hæc è vilipenſione.

Dicet igitur Orator, tales eſſe eos, quibus auditorum iram concire voluerit.

Quid eſt manſuetudo? R. Iræ depreſſio, vel ſedatio, eadem cum clementia. Sedatur porrò, cùm opinionem deponimus, non ab iis contemptos fuiſſe. Tales verò habentur 1. Qui non voluntate, quàm errore, vel neceſſitate aliqua nobis obfuêre. 2. qui perperam à ſe actum confitentur ingenuè, & dolent. 3. qui animos jam demiſſos, nihil inſolens præferunt, minores ſe agnoſcunt, nec adeò contemptores. 4. Viri alioquin boni, à contumeliis, ac malignitate alieni; denique ab eorum moribus remoti, quibus ferè nos iraſci meminimus.

Commiſeratio.

Quid eſt Commiſeratio? R. Dolor conceptus ex malis alterius indigna patientis, quibus ſe quoque, aut ſuos affici poſſe cognoſcit. Quare ad commiſerationem facillimè commoventur ſenes, prudentes nimirum, & malorum experti: Docti mali gravitatem meliùs ponderantes: Humilis conditionis homines ſimilibus malis propiores, magiſque expoſiti: ii, quibus mater, pater, agnati, clientes: quibus ejusmodi mala evenire poſſunt.

Quæ mala maximè commiſerationem movent? R. 1. Quæ corpori inimica, dolorem afferunt, ùt ſunt vulnera, mutilatio, ſenectus deſerta, morbi, fames, paupertas, mors, 2. Quæ à *fortuna*, ut è florente delapſum in miſeram; nullos

habere amicos; inimicis uti domeſticis. decidiſſe in delirium, amentiam; hebetem eſſe ingeniô, mancum, imbecillum, enervi corpore, deformem; inde malum accepiſſe, unde bonum ſperabatur; immeritò infamiam pati.

Quos cæteris commiſeratione digniores cenſemus? Rx. 1. Nobis cognitos, propinquos, æquales ætate, moribus, dignitate, conditione, qui admonent ſcilicet, iiſdem malis nos tangi poſſe. 2. Quos coràm in oculis habemus, vel nec tempore longiùs, nec loco diſtantes. Præterita namque ſæcula, vel futura non perinde, ùt præſentia feriunt animos. Quare longè remota mala, orationis vivacitate repræſentanda ſunt. 3. Eósque, qui hæc corporis, animíque adverſa fortiter tolerant, quò pertinent dicta morientium. 4. Maximè eos, qui virtute excellunt, malísque ejuſmodi immeritò conflictantur.

Ubi hic affectus opportunè excitatur? Rx. Cùm de cruciatibus Servatoris, de operibus miſericordiæ cùm corporalibus, tum ſpiritualibus, de pœnis purgantium flammarum pro concione agitur.

Indignatio.

Quid eſt Indignatio? Rx. Dolor de ſecunda fortuna illius, qui eâ indignus judicatur; vel de malis à deteriore meliori illatis. Quo pacto ab invidia, commiſeratione, ira, differat, non curat Rhetor, & è definitionibus intelligi poteſt.

Quinam ad indignationem proniores ſunt? Rx. 1. Qi ſibi probi, ac virtute præditi videntur, quorum eſt odiſſe, quod injuſtum videtur. 2. Ambitioſi, qui id ſibi appetunt, deberíque putant, quod indignus alter conſecutus eſt. 3. Qui ſe rebus, quæ immerentibus obtigêre, dignos putant. Quare ſerviles, & humiles animi ad indignationem minùs proclives ſunt, gnari ſcilicet, nihil ſibi deberi.

Quibus indignamur faciliùs? Rx. Iis, qui cùm nullius virtutis, aut meriti ſint, felices nihilominus præ cæteris mortalibus, opibus, potentia, clientelis, Principis gratia affluunt, quibus tamen bonis bonos beari unicè conveniret. 2. Magis autem iis, qui majorum hæreditate opulenti ſunt facti; illi enim rem quodammodo alienam, certè indebitam poſſidere videntur. 3. Iis, qui cùm perinde flagitioſi ſint,

ac felices, hâc suâ fortunâ insuper insolentiores, bonos, sed tenuiores aspernantur, insultant, supercilia attollunt, &c.

Ubi huic affectui locus? R. Rarior in sacris dictionibus, Cicero in judiciali genere indignationem ciet pro Roscio in Chrysogonum libertum prædivitem; pro Quintio in Nævium, &c.

Invidia.

Quid est Invidia? R. Animi dolor de bono, quod alteri genere, ætate, conditione propè simili obtigit, non equidem quòd illo bono frui ipse cuperet, sed quòd id ab altero haberi nollet, eò quòd inde suam dignitatem minui existimet.

Quinam procliviores ad inveniendum? R. Qui præ cæteris clari, è rebus gestis gloriam consecuti, ac vel sapientiæ existimatione, vel armorum scientiâ præstantes habentur. Hi cùm alios item magna feliciter moliri, & inclarescere vident, utuntur scilicet, animóque perturbantur, velut suis luminibus præstrueretur: aut sibi detraheretur, quod aliis accrescit.

Quibus invidemus? R. 1. Qui propinqui sunt loco, tempore, rebus secundis. Iis, qui ante mille annos fuêre, vel in media Africa habitant, nemo invidet. 2. Iis, qui de honore, & fortunis inter prope æquales contendunt, unde figulus figulo, mercatori mercator invidet. 3. Qui sine labore, & compendio obtinent, quod nos serò, nec sine magno impendio consecuti sumus. 4. Iis, qui id habent, quod & nos possidemus, & possidere jam non possumus, ùt senes invident juvenibus, debiles robustis, &c.

Æmulatio.

Quid est æmulatio? R. Dolor de bonis, & fortunis alterius, non quòd eum carere vellemus, sed quia iis nos destitui ægrè ferimus. Vel: est appetitus æquandi alterius ornamenta, ùt: virtutem, gloriam, opes, doctrinam, &c. Itaque æmulatio nonnisi proborum est, ad eadem bona bonis artibus consequenda semet incitantium: invidia contra improborum, in horum consecutione alios præpedire studentium.

Qui ducuntur æmulatione? R. Egregia indole juvenes,

& excelſiore mente nobiles. 2. Qui talibus animi dotibus inſtructos ſe arbitrantur, quibus ea obtineri poſſe confidunt, quæ admirantur in aliis, ùt principatum, honorem, divitias. 3. Qui clariſſimis familiis progeniti ad ſuperanda Majorum ſuorum decora, civium, vel æqualium laudibus ad ardua tentanda incaleſcunt.

Quos autem æmulari ſolemus? Rſ. 1. Quorum laudes ab Hiſtoricis, ac Poëtis decantantur magnificè. 2. Qui literarum, aut armorum commendatione in eam conditionem evecti ſunt, ut quamplurimis benefacere poſſint. 3. Quos à nobis æquari poſſe confidimus. Contrà hos deſtitutos, & quantumvis fortunatos, ac magnos, niſi honeſtate item præcellant, contemptim negligimus.

Quis huic affectui locus eſt? Rſ. In ſuaſoriis, & hortatoriis, ubi plurimùm valent exempla, ac comparationes, præſertim in laudationibus Sanctorum, exceptis iis, quæ multis miranda ſunt potiùs, quàm imitanda.

Timor.

Quid eſt Timor? Rſ. Perturbatio animi orta ex apprehenſione gravis mali, periculi, damni, vel interitûs. Eò major eſt, quò propinquius creditur malum, & velut Hannibal ad portas. Nec enim remota ſolicitudinem creant, ne mors quidem malorum ultimum; quam utì certam ſcimus, ita longè abeſſe plerique putamus. Contrà ad oſtenta, & omnia, quæ videmus, vel audimus, ùt inſtantium calamitatum ſigna trepidamus. Inter timenda porrò *Homines*, vel *Res* ſunt terrificæ, & perniciem afferre natæ.

Quos homines timemus? Rſ. Qui averſi à nobis, vel injuriâ affecti, creduntur velle nocere, & poſſe. 2. Judex, & magiſtratus injuſtus, & præceps, à quo nec voluntas malefaciendi, nec facultas unquam abeſt. 3. Conſcii, ſociique facinorum, in quorum manu noſtra fama, & ſalus eſt. 4. Quibus malum dedimus, ſemper enim palàm, vel ex inſidiis intenti ſunt in occaſionem vindicandi. 5. Competitores inter, ac rivales ejusdem rei, quæ non niſi uni obtingere poteſt, perpetuum eſt diſſidium, metúsque mutuus. 6. Qui timentur à majoribus, formidandi magis

ſunt

sunt minoribus. 7. Inimici taciti, pallidi, dissimulatores, magis, quàm in dicendo liberi, vel in iram præcipites, vel segnes. Inter *Res* timendas, terroris habent plurimùm, quæ corrigi nullo pactô possunt. 2. Contra quæ vel nemo, vel perægrè auxilium ferre possit. 3. Quæ in aliis spectata commiserationem excitant.

Ubi movendus est hic affectus? R. Cùm de profundis judiciorum divinorum, peccati fœditate, pœnis æternis, ac temporalibus sermo fuerit.

Spes, & Confidentia.

Quid est Spes? R. Appetitus, vel opinio boni ardui, & propinqui, quod tamen labore obtineri queat. Audacia verò, vel *Confidentia* est spes firma obtinendi desiderata ob persuasionem, quòd ea, quæ absint, vel non sint, vel longè absint.

Quænam speramus? R. Quæ vel nostra contentione, ac operâ, vel alienô certô; ac validô auxiliô consequi nos posse confidimus. 2. Si vel nullum habeamus illius boni, vel debilem, vel amicum competitorem. 3. Si multa nobis prosperè, nunquam aut rarò siniſtri quid acciderit, ùt mare non timent, nec hostem, qui sæpè è tempestate, vel prælio salvi redierit. 4. Quibus favent oracula, vel ostenta alia, è quibus se Deo curæ esse conjiciant. 5. Sperant item, qui se à viribus satis in omnia obstacula comparatos credunt, ùt in bello, cui argenti, veterani militis, fidorum sociorum, munitionum, paratûs belliei abundè sit.

Ubi locus est spei injiciendæ? R. Cùm pœnitentibus ad fiduciam obtinendæ veniæ, desperatis vitæ æternæ, in publicis, seu privatis calamitatibus divini auxilii, timidis victoriæ, &c. spes facienda est.

Verecundia.

Quid est Verecundia, seu pudor? R. Animi perturbatio ex malis, quæ infamiam generant, seu præterita sint, seu præsentia, seu futura. Videndum igitur primò, de quibus rebus magis verecundemur, deinde coram quibus.

Ad quæ magis verecundamur? R. Ruborem quidem vitia omnia incutiunt, magis tamen ea, quæ infamiam ma-

jorem generant; ùt ſunt ea, quæ animum vilem, vel malignum arguunt, ſi in apertum producantur. Ut ſunt primò: abjectis armis fugiſſe è prælio. 2. Ab hominibus ſordidis malo dolo quæſtum ſordidum captâſſe. 3. Petiiſſe mutuum animo non reddendi, vel abnegâſſe depoſitum. 4. Adulari humiliter divitibus. 5. Rebus alienis gloriari, & ùt propriis ſe efferre. 6. Defugere laborem, quem ſenes tamen & illuſtri loco nati non detractent. 7. Carere ornamentis, quibus alii conditione æquales floreant. 8. Mentiri, quod animi vani, & puſilli eſt. 9. In fœda libidine, vel furto deprehendi. 10. Ebrioſum eſſe, haberi.

Coram quibus verecundamur? R. Primò: Quos admiramur, & quorum auxilio egemus. 2. Quibuscum aſſiduò verſamur. quorúmque ſocietatem defugere non poſſumus, vetere enim proverbio: *Pudor in oculis reſidet.* 3. quorum honeſtas, morum gravitas, dignitas longè à turpibus ejuſmodi abhorret. 4. Qui errorem non facilè condonant. 5. Coram loquacibus, & malignis blateronibus, qui quod ſciunt, latè different. 6. Apud quos diu in optima exiſtimatione fuimus.

Ubi ſervit hic Affectus? R. Cùm vitia ejusmodi turpia inſectabimur: & generatim ad invectivas in genere ſuaſorio, judiciali.

Ne affectuum ſingulis nonnulla è Cicerone exempla ſubjicerem pro more, argumenti vaſtitas, inſtituti opuſculi brevitati minimè commenſa obſiſtit. Hæc qui conſideraverit, Analyſin Ducygnianam, ſi ad manum fuerit, conſulat, cujus index pulcherrimus ùt âd affectus, ita ad cætera Rhetoricæ præcepta, è Ciceronis orationibus plurima ſubminiſtrat.

De Moribus.

Quomodo intelligendi ſunt Ariſtoteles, & ex eo Cicero, quando de Oratione Morata præcipiunt? R. Morata oratio dicitur, quæ ſe moribus audientium accommodat; ut enim aliter morati ſunt nobiles, divites, ſenes, juvenes, viri, fœminæ, Romani, Athenienſes, ita aliter, alitérque ad alios dicendum: ad eorum mores flectenda oratio; aliíque affectus movendi erunt. Nec adeò abs re fuerit, quæ de moribus acutiſſimè habet idem Ariſtoteles, compendio adſcribere.

Quo-

Quinam ſunt mores Juvenum? R. Quæ cupiunt, ardenter cupiunt: in voluptatem maximè proclives: in cupiditatibus ſuis mutabiles faſtidiunt hodie, quod heri efflictim deſideraverant: promptæ, ac vehementis, ſed placabilis iracundiæ: excellentiæ, ac victoriæ ſtudioſiores, quàm pecuniæ, nempe nullam adhuc inopiam experti: ſimplices plerumque, & procul artificio aperti: credùli, quia nondum decepti: confidentes ſunt, & multùm ſperant, ſanguinis æſtu fervidi, ùt ebrii vino: ùt ſperare, ita decipi faciles; nec in periculis cordati admodum: verecundi ſunt, eáque ſolùm pro inhoneſtis habent, quæ ab inſtitutoribus, legibúſque vetari, ac puniri, vituperari audiêre: ſodalitio gaudent, & æqualium convictu, ludis, riſu, dicacitate: alienis malis facilè moventur, ad amicitiam tamen ob inſtabilitatem minimè idonei: nuſquam medium tenent, nimis amant, nimis odêre, nec aliud minùs cupiunt, ac illud ſapientis: *Ne quid nimis.*

Qui ſunt mores Senum? R. Omnino juvenibus oppoſiti: cùm diu vixerint, ſuíſque erroribus, & aliena fraude lapſi ſint ſæpiùs, cautiores ſunt, & diffidentes: nihil planè affirmant, ſed diffidentium inſtar addito *fortaſſe*: malitioſi, in deteriorem partem ſuſpicaces: longa experientiâ docti lentè credunt: amant frigidè, ùt odio habituri, odêre, ùt amaturi: animo puſilli præter vitæ neceſſaria nihil appetunt: liberales contra, ac præparci, experti ſcilicet, quantâ operâ res conficiatur, quámque facilè dilabatur: frigidi, ac inde timidi: amatores vitæ, præſertim ſenio extremo: de rebus omnibus queruli, ſpernunt præſentia, laudatores temporis acti: lucrum magìs, quàm voluptatem ſectantur: nec id ex humanitate, ùt juvenes, ſed imbecillitate.

Qui ſunt mores mediæ ætatis? R. Inter utramque ætatem mediocritatem tenent, nec timidi, nec confidentiores; nec prodigi, nec parci, ſed rebus ſuis intenti: non niſi ratione minùs credùli: fortes, nec minùs modeſti, pericula nec appetunt, nec fugiunt.

Qui ſunt mores Nobilium? R. Cùm nobilitas nihil aliud ſit, quàm *honor cum ſanguine veniens à majoribus*, ac nemo non bonis ſuis acceſſionem aliquam facere geſtiat, honoris ante omnia ſunt cupidi: quamquam multi dege-

neres ſint, ignavi, nec ambitione ducantur, generoſæ quidem, ſed effœtæ ſtirpis ſurculi.

Qui ſunt mores divitum? R. Naturâ contumelioſi ſunt & arrogantes, ut qui in nummis ſibi habere videantur omnia, nec amicorum egere: delicati ſunt, & faſtidioſi oſtentatores, non ignari, multos à ſe ſperare, ipſoſque admirari: principatu ſe dignos, & magiſtratibus reputant: longè pejores, qui ex humili nuper evaſêre, & impotentiſſimi ſunt.

Qui ſunt mores potentûm? R. Ob authoritatem, quâ valent, multùm cum divitibus conveniunt, honoris tamen inde ſunt cupidiores, quòd rebus magnis intenti, leviora ſtudia negligunt: magnitudinem temperant; quoque majores ſunt, hoc facilioris acceſsûs: ita in fortunis ſuis confidunt, ut erga Deum tamen religioſi ſint, à quo hæc donantur.

Quid in tractatione Affectuum obſervandum?

Quid in tractandis Affectibus obſervandum? R. 1. Spectandi ſunt mores audientium, eóque impellendi, quò ſuapte pendent, ut juvenes ad iram, ad miſericordiam ſenes; viri maturi, doctíque, utì & agreſtes, ac ſtupidi leniores affectus vix perſentiſcunt, indignationis tamen, & triſtitiæ flammam aliquando concipiunt. Ipſe ardeat oportet orator, ſi ardorem ſuum Auditorio afflare velit. Videatur dicere ex animi ſententia, alioquin Exclamationes, obteſtationes, &c. omnes ſcenicum quid habebunt; ſonabunt, nec penetrabunt.

3. Ne unquam in affectum graviorem aſſurgas, niſi aſſumpto ritè amplificato, ritéque probato. Perducto ad aſſenſum intellectu haud difficilis ſequetur voluntas. Nec longè, aut violenter accerſatur affectus; ex re ipſa, velut naturâ enaſcatur, nihil enim ejus vim omnem elidit certiùs, quàm artis oſtentatio; nec juſtò diutiùs protrahatur, ſed brevior ſit potiùs, ne vim ſibi intentari animadvertat, aut fatigetur Auditor.

4. Poſt orationis, pluribus partibus conſtantis, membra ſingula brevis aliqua recapitulatio, leniórque affectus dextrè ſubjungi poterit. In Peroratione verò arietes omnes admo-

movendi, omne artificium erit expromendum. Utile fuerit Perorationes Ciceronis omnes attentè perlegere, útque ſe in partes omnes verſet, roget, lachrymetur, miſericordiam Deûm, hominúmque imploret, jucundè obſervare.

Ad Caput XLII.

De Inventione, & ſingularibus Locis Generis Demonſtrativi.

CUr præter Locos omnibus communes, Loci ſingulares pro tribus cauſarum generibus traduntur? R. Etſi ſingulares hos communes illi reipſa continent, è quibus omnis in cujusvis generis orationem manat inventio, ad minuendum tamen diſcentium laborem, & inventionem promptiorem, ſeorſim de ſingulis præcepta tradidêre veteres, atque de Judiciali imprimis, quod tum florebat maximè, hodie à Roſtris ad Forum translatum eſt.

Cur de exornativo multùm item egêre Eloquentiæ Magiſtri? R. Quia nullum genus orationis, aut ad dicendum uberius, aut hodie frequentius, quàm quo clari homines laudantur, aut improbi vituperantur; in quo adeò qui verſari velit, multam ſibi cognitionem cauſarum, effectorum, Adjunctorum virtutis, & vitii comparet, oportet.

Quænam laudari ſolent? R. Præter hominem, præcipuam nempe laudis materiam, alia item animata, ſeu inanimata aſſumuntur, ùt Regiones, Urbes, Palatia, Animalia, Plantæ, &c. Quin nonnulli vel Academicæ Exercitationis, vel oſtentationis causâ, etiam ſtultitiæ, Peſtilentiæ, & abſurdiorum Encomium adornârunt.

Homines verò laudantur à bonis *internis*, & *externis*. Interna conſiſtunt in virtute, quæ duplex eſt: Cognitionis, ſeu *Intellectionis*, & Actionis, ſeu *voluntatis*. Externa bona ſunt alia *fortunæ*, alia *corporis*. Conſiderari item poteſt, quid homini acciderit *ante vitam*, *in vita*, *poſt mortem*, de quibus paucula tangenda.

Quæ ſunt virtutes intellectionis? R. Memoriæ bonitas, ac tenacitas ad ſeram ætatem, linguarum doctarum, vel exoticarum cognitio; indoles excelſa, vivida, ad res ma-

gnas nata; literaria ſtudia, eloquentia nativa, & arte perpolita, patrii ſermonis elegantiâ; Philoſophiæ, Logicæ naturalis, moralis, mathematicæ, &c. rerum divinarum, & humanarum ſcientia. Si Theologus, Juris-conſultus, Medicus laudandus eſt, harum facultatum partes erunt exequendæ; Sapientûm de eo teſtimonia: libri editi, nova inventa, &c. Huc pertinet *Prudentia*, ſeu rerum expetendarum, vel fugiendarum ſcientia, in conſilio capiendo ſagacitas, & providentia, in exequendo induſtria, in accipiendo docilitas.

Quænam ſunt virtutes actionis, ſeu voluntatis? R. Prima eſt *Temperantia*, quæ eſt rationis in libidinem, aliósque pravos motus firma, & moderata dominatio, ad quam referuntur: in vitæ cultu, veſtitu, habitatione, ſervitio modeſtia; frugalitas citra ſordes; in cibo, potúque ſobrietas; erga omne miſerorum genus liberalitas; in benemeritos munificentia; pudicitia, morum caſtimonia, manſueta comitas, &c.

Quid eſt fortitudo? R. Conſiderata periculorum ſuſceptio; animi excelſitas, nihil humile molientis, nihil arduum formidantis; intrepidus, & ſibi in diſcrimine præſens animus; rerum futilium geneoſa deſpicientia; æmulatio: invicta laborum, & dolorum perpeſſio; vitam ſuam ſine ſuo privato emolumento ſaluti patriæ poſthabuiſſe, &c.

Quæ eſt Juſtitia? R. Quæ in hominum ſocietate tuenda, & ſuum cuique tribuendo verſatur, cujus partes ſunt: erga Deum, divináque non fucata Religio; charitas, & merita de patria; pietas in parentes, ſanguine junctos, clientes; obſervantia ſuperiorum, & obedientia Principi debita; fidelitas in promiſſis; clementia in ſubjectos; in jure dicendo integritas; moderata ſeveritas erga pervicaces; legum accurata cuſtodia; erga æquales popularitas, animi demiſſio, humanitas.

Harum, aliarúmque virtutum ſingulas actiones, officia, gradus, præter Ethicos aſcetici item libri deſcribunt, qui Oratori ſacro magno ſubſidio eſſe poſſunt.

Quæ ſunt bona corporis, vel fortunæ? R. Talia ſunt: formæ venuſtas, ſeu dignitas, nempe elegantis animi imago; vires, & robur corporis ad res magnas pro Deo, ſeu patria

patria gerendas; longævitas, & viridis ſenectus &c. quorum ſi aliqua defuêre, virtute expleta fuiſſe dicantur. *Fortunæ*: divitiæ vel à majoribus, vel induſtriâ propriâ acquiſitæ; Honores, & Magiſtratus geſti; gratia apud ſummos, infimósque; potentia, numeroſæ clientelæ; multi, & præclari filii; amici plurimi; fama, & æſtimatio etiam ad exteros diffuſa; conſtans, & nuſquam turbata felicitas, &c. quæ etſi hominem meliorem non reddant, ſæpè tamen pro juſto virtutis præmio habentur.

Quid ante vitam extolli poteſt? R. *Patria*, illuſtrium virorum, & ingeniorum fertilis, optima Reipublicæ forma, ac cœlum ſalubre, &c. *Parentes*: à quorum virtute nihil degeneravit, quibus etiam honori fuit. *Nobilitas* antiqua, multis imaginibus clara, fortunis ſplendida. *Natales*, hora, menſis, dies, præcedentia ſomnia, vaticinia, oſtenta. *Educatio* à bonis inter bonos, à ſolicitis parentibus, inſtitutoribus optimis: infantiæ item ſi quæ ſunt memorabilia.

Quid in vita? R. Ea quæ ſuprà recenſita ſunt. Equidem Plinius totam ferè Trojani vitam, & ejus exemplo veteres Panegyriſtæ complexi ſunt, ne tamen Panegyris in librum abeat, vel hiſtoriam, vel una quæpiam virtus, vel factum illuſtrius deligendum, & idonea amplificatione exornandum videtur, ut infra de ſacro Panegyrico exponemus.

Quid poſt vitam? R. Quo morbo confectus, quî comparatus, qua fronte mortem exceperit, quæ fuerint morientis ſuprema dicta; luctus bonorum, deſiderium ſui relictum; decreti honores, funeris pompa, monumentum ſplendidius, ſtatuis, arísque adornatum. Atque hæc ſunt, quæ in homine laudari, aut ſi contraria inſint, vituperari quoque poſſint.

Ad Caput XLIX. *De Laude Urbium.*

E *Quibus Locis laudantur Urbes?* R. His laudi ſunt: cœlum temperatum, purum, ſalubre: ſoli circumjacentis ubertas, & frugum copia: ſitus naturâ, vel circumductis operibus, ac firmo præſidiô munitus: magni fluminis opportunitas, atque mercatura opulenta; frequentia civium, exterorum confluxus: conventus, conſilia publica; vicorum

rum amplitudo, turrium multiplicitas; domorum ſublimitas, ac ſplendor; Baſilicæ, Fora, Curiæ, Xyſti, armamentaria, xenodochia, ad magnificentiam omnia: cives naturâ ſolertes, artium periti, hoſpitales, moribus ſuaves, opibus affluentes, religione præſtantes, quorum multi bellô, vel literis illuſtres. Præterea antiquitas, origo memorabilis, Conditoris claritudo.

In *Regione* laudanda ſe itidem offerunt: Regiminis forma, finium amplitudo, flumina piſculenta, & navigationi commoda, urbium multitudo, ac dignitas; armentorum, ſegetum, arborum fœcunditas; montes, vel ſylvæ inſignes: portus commodi, metallorum ſecturæ: indigenarum nativa ad artes habilitas; merces domeſticæ, & extraneæ.

Ad Caput L.

De Inventione peculiari in Genere Deliberativo.

Estne hodie Locus aliquis Generi Deliberativo extra Eccleſiam? R. Eſt aliquis, quantumvis rarior, nec ût illâ Ciceronis, vel Demoſthenis ætate. Ariſtoteles deliberationes, & conſultationes omnes ad quinque capita refert. 1. De vectigalibus, ac reditibus. 2. De bello, pace, fœderibus. 3. De munitionibus, præſidiiſque limitum, ac annona. 4. De iis, quæ inferuntur, & efferuntur, hoc eſt, de Commerciis. 5. De Legum latione. Hæc omnia in ſanctiore Principum conſilio inter paucos tractantur. Quin & apud liberos populos, ût Venetos, Batavos, Helvetos, Polonnos, Britanos, &c. Etſi patentior longè eſt eloquentiæ campus, de ſummis tamen Reipublicæ negotiis, non tam à populo, quàm delectis paucis Senatoribus deliberatur; inter ſapientes autem ſapiens eſt, nec ad popularis orationis formam oratio. Hodiernæ igitur ſuaſiones ferè umbratiles, & Declamationes ſunt.

Quinam ſunt Suaſorii generis Loci proprii? R. Quinque. Primò: A *poſſibili.* 2. A *facili.* 3. Ab *honeſto.* 4. Ab *Utili*, quò pertinet 5. *Jucundum.* Et ſubinde 6. *Neceſſario.* Vel è contrariis capitibus, cùm eſt diſuadendum aliquid. His utemur in ſuaſione, hortatione, conciliatione, conci-

conciliatione, commendatione, petitione, ſeu oratione, ſeu epiſtola fiant.

Quid eſt poſſibile? R. Id, quod in Deliberatione primùm quæritur, nam ſi quid fieri non poteſt, omnis conſultatio tollitur, etiamſi honeſtum, & utile ſit. Oſtendendum igitur, difficultates omnes, propriis, vel alienis viribus ſuperari poſſe. Ita Scipio apud Livium de transferendo in Africam bello agens, primùm demonſtrat: poſſe Annibalem vinci in Africa: deinde qua id dignitate populi Rom. & famâ: denique qua utilitate futurum ſit.

Quid eſt facile? R. Quod ſine magno labore, ſumptu, moleſtia, vel periculo, & brevi tempore fieri poteſt; quæ maximo ſunt ad perſuadendum momento. Fruſtra enim ſuadetur, quod vix, aut ægrè admodum effici poſſe creditur. Ita Cicero docet, facilè vinci poſſe Catilinam, collatis ejus, & Reipublicæ viribus.

Quid eſt honeſtum? R. Quod detracta omni utilitate per ſeipſum laudabile eſt, & expetendum; ùt eſt laus, gloria, honor, admiratio, Hiſtoriarum monumenta, nominis immortalitas, quæ animos optimè inſtitutos maximè incitant. Afferentur item his contraria; ùt dedecus, & infamia ad ſeram poſteritatem. Ita cuidam ſuadebis, ut exemplo M. Attilii Reguli malit ad mortem, & vincula reverti, quàm fidem vel hoſtibus fallere. Cicero probat ſuſcipiendum bellum Mithridaticum, ut deleatur ignominia, quam Populo Rom. Mithridates inuſſerat. Negat alibi mittendos ad Antonium Legatos, quod id turpe, & majeſtate Senatûs indignum ſit.

Quid eſt utile? R. Quod propter commodum expetitur, ſive adjunctam habeat honeſtatem, ùt honor, &c. ſive non habeat, ùt divitiæ, valetudo, tranquillitas, malorum depulſio, imperii prolatio, & ſecuritas, &c. In diſuaſione ſunt contraria, objiciendo metum damnorum, ùt leviſſimus quisque naturaliter magìs ducitur malorum timore, quàm ſpe bonorum. Pulchrum eſt exemplum in oratione Catilinæ ad ſuos conjuratos: *Nobis eſt domi inopia, foris æs alienum; mala res, ſpes longè aſperior. Denique quid hactenus reliqui præter miſeram animam? Quid igitur expergiſcimini? En illa, quam ſæpe optâſtis, libertas; præterea*

tereà divitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſunt. Fortuna ea omnia victoribus vobis præmia poſuit.

Quid eſt jucundum? R. Quod honeſtam habet animi, vel corporis voluptatem, ùt tranquillitas, indolentia: jucundum à *juvando* dicitur, quod alterutrum juvet. Hinc illud Tullii: *Hoc velim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis à te proviſum eſſe intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam voluptatem eſſe capturum.* Poteſt tamen & ad utilium claſſem accenſeri.

Quid eſt neceſſarium? R. Quod ni fiat, non malum aliquod, ſed pernicies ipſa, & interitus inſtet: vel eſt id, ſine quo res *nec eſſe* poſſit, unde nomen traxit. Compendioſa hæc eſt ſegnibus perſuadendi ratio. *Ita Cicero. Agitur enim, non qua conditione victuri, ſed an victuri ſimus, aut cum ſupplicio, ignominiáque perituri.* Suam ſibi necem hìc vaticinatus eſt Orator, paulò poſt ab Antonio proſcriptus, & cæſus.

Quidam hoc loco multa ex Ariſtotele *de majore, vel minore bono* afferunt ſcitu utiliſſima, & magni tum ad probandum, tum amplificandum uſûs, quæ tamen pluribus proſequi per libelli brevitatem non licet. Cætera quæ peculiariter in ſuaſione obſervanda, quid ſpectandum in iis, quibus ſuadetur, ac in eo, qui ſuadet; *vid. apud Soarium c. 52. 55. 56.*

APPENDIX.

DE ORATIONE SACRA.

SEU

INVENTIONE CONCIONATORIA.

CAPUT I.

De Locis Concionatoriis.

AN præter communes Rhetoricos, peculiares ſunt Concionatorii Loci? R. Certè. Cùm enim in Eccleſia non de fundo, vectigalibus, aut vili capite, ſed Sacroſanctis Religionis Chriſtianæ Myſteriis, humanum ſenſum longè ſuperantibus, de moribus ad ſeveritatis Evangelicæ normam conforman-

formandis, de æterna animarum ſalute agatur, firmiora longè argumenta, nec ex humana Philoſophia duntaxat petita ſint opportet. Peculiares adeò è quibus eruantur Loci, indicandi ſunt.

Qui ſunt Loci Concionatorii? Ꝛ. Primò Sacræ Litteræ. 2. Sancti Patres, ſeu Eccleſiæ Doctores. 3. Theologici Loci. 4. Scriptores aſcetici probatiores. 5. Hiſtoria Eccleſiaſtica.

I. Sacræ Litteræ. *Quid ſunt Sacræ Litteræ?*

Ꝛ. DEI ipſius, nempe æternæ Veritatis Verbum ab hominibus divino Spiritu afflatis, tum à JESU Chriſto, Patris Verbo, hominibus prædicatum, ínque certos Libros, quos Sacra Biblia, vel Scripturam ſacram vocamus, relata, qui ab Eccleſia pro Authenticis, certáque Fidei, & morum norma agnoſcuntur. Hoc illud immobile, firmiſſimúmque ſolum eſt, quo uno nititur Chriſtiana oratio, ſine quo in Academicum Sermonem migrabit. Unde Concioni adeſſe Germanis idem eſt, ac *Verbum DEI audire*, & Concionatores, Miniſtros Verbi (intellige Divini) vulgò appellamus.

An in omni Themate Sacræ Scripturæ authoritate utendum? Ꝛ. Huic uni firmamento inædificanda eſt Sacræ dictionis fabrica. Quamquam pro Thematum diverſitate, in alio parciùs, in alio liberiùs, ſententiis, ſeu Enthymematis inde petitis uti deceat. Sunt enim themata quædam, quæ communia: alia, quæ Evangelica appellare libet.

Quænam ſunt themata communia? Ꝛ. Sunt eæ Doctrinæ, quæ ſolùm DEI verbo ſcripto, intimis animis gentium etiam Barbararum inſita, etiam à Philoſophia humana, & naturali ratione docentur, ùt ſunt pleraque Decalogi præcepta: Deum colendum, non pejerandum, honorandos Parentes: homicidio, adulterio, mendacio, furto abſtinendum. Item arrogantiam, avaritiam, ingluviem, iracundiam, perfidiam, ingrati animi vitium, &c. evitanda; opes contemnendas; ſeipſum noſcendum, &c. Quibus de rebus multa Socrates, Plato, Zeno, aliíque Philoſophi, & egregia commenti ſunt, & poſteris tradidêre. In ejuſmodi thematis divina Scriptura pro fundamento quidem erit ſubſternenda, amplificationi tamen haud paulò plùs, quàm pluri-

plurimorum textuum congeriei ſtudendum. Vel unus Divinæ authoritatis Locus ſatis fuerit ad perſuadendum firmiùs doctrinam. humanæ rationi alioquin conformem, à cujus contrario homo non ſceleratus naturâ abhorreat.

Quæ ſunt Evangelica Themata? Rſ. Doctrinæ antiquis Philoſophis incognitæ, naturali ſenſui repugnantes, ac à Chriſto, fidei, vitæque Magiſtro unicè ſectatoribus ſuis traditæ, ùt ſunt *Dogmata:* De Deo remuneratore bonorum, eóque uno, & trino, animæ immortalitate, æternis pœnis, vel gloria, de Filii Dei Incarnatione, Angelis, Gratia, Eccleſiæ authoritate, vi, & uſu Sacramentorum, Divorum cœlitum cultu, &c. vel præcepta, ac leges, ùt: de parcendo, & diligendo inimicos, de carne ſua odio habenda; de ſui ipſius deſpicientia, refrænando appetitu ipſo rei injuſtæ, aut turpis; ſumma corporis, animíque caſtimonia, beatitudine eorum, qui perſecutionem patiuntur, &c. Hæc ut ſola Dei loquentis authoritate conſtant, ita hac pugnandum maximè, nec tamen amplificatio, aliáque artis Rhetoricæ ſubſidia omittenda, quibus obſcurum per ſe, & apud multos per vitia offuſcatum fidei lumen adjuvetur. In eam rem probantibus ſcripturæ Locis magis utendum, quàm affirmantibus.

Quos vocas Scripturæ textus affirmantes, quos probantes? Rſ. *Affirmantes, ſeu ſimplices* voco eos, qui ſimpliciter effantur, ſtatuúntque vel credendum dogma, vel agenda præcipiunt, vetántve. *Probantes*, ſeu compoſiti ſunt, qui præter nudum effatum, argumentum item, ſeu Enthymema ſeu rationem dicti continent: v. g. ùt ſi miſericordiam in pauperes ſuaſurus dicas è Lucæ c. 6. *Omni petenti à te tribue:* ſimplex erit, & nuda ſententia; at ſi ex eodem capite dixeris: *Date, & dabitur vobis:* jam præter effatum, effati probationem, ſeu rationem, ſeu Enthymema amplificationi aptum afferes: erit enim argumentum, *danti dabitur, ergo dandum eſt.* Manifeſtum eſt autem, Probantibus hiſce textibus, vim ad perſuadendum longè majorem eſſe, quàm ſimpliciter affirmantibus; eſt autem authoritas ſimul, & ratiocinatio, eadem fidei baſi nixa.

An Probantes hæ Sententiæ non item ad locos Rhetoricos, è quibus argumenta petuntur, referri poſſunt? Rſ. Haud dubiè,

biè. Exemplum eſto in Themate propoſito, quo probare velis, eleemoſynam dandam pauperi: à Definitione: *Frange eſurienti panem tuum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Iſaiæ c. 58. Fac argumentum: mendicus *caro*, ſeu frater tuus eſt; ergo, &c. Ab Enumeratione partium: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, ſitivi, &c.* Matth. 25. Ubi reliqua charitatis opera enumerata habes. A Similitudine: *Ignem ardentem extinguit aqua, & elemoſyna reſiſtit peccatis.* Eccl. 3. A Contrariis: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperum, ipſe clamabit, & non audietur.* Prov. 21. Item: *Ite maledicti in ignem æternum, eſurivi enim, &c.* Matth. 25. Ab Adjunctis: *Ne dicas amico tuo, vade, & revertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare.* Proverb. 3. Item: *Cùm facis elemoſynam, noli tubâ canere ante te.* Matth. 6. A Cauſis: *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus; honorat autem eum, qui miſeretur pauperis.* Prov. 14. Ab Effectis: *Peccata tua elemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* A Comparatione: ùt Hoſpitalitas Abrahæ, *Gen. 18.* Vidua Sareptana Eliæ altrix, 3. *Reg. v. 17.* Tobias, *Tob. 4.* Job, qui de ſe: *Oculus fui cæco, pes claudo, pater eram pauperum, &c.* E quo exemplo vides Rhetoricam profanam revera ſacræ ancillam eſſe, & miniſtram.

II. Sancti Patres.

Qui ſunt Sancti Patres? R. Eccleſiæ Doctores, quos vetuſtas, vitæ ſanctimonia, omnigena eruditio, S. Spiritûs Unctio ſingularis, ac imprimis Eccleſiæ authoritas, divinarum ſcripturarum legitimos Interpretes conſtituit. Hi inveniendorum pro quavis materia argumentorum fontem præbent inexhauſtum, & locupletes ſunt adeò, ut nihil propè incogitatum: indictúmque reliquerint; mirúmque ſit, eſſe, qui rivulos putidos conſectati, Plutarchum, Senecam, &c. in ſacro pulpito perſonent. Quod autem ſuprà de ſcripturæ ſententiis monui: non negligendæ quidem erunt *Affirmantes*, præſertim in Themate difficili; prahabendæ tamen *Probantes*, nempe quæ per argumentationem, & amplificationem expolitæ, ipſum orationis corpus ſuapte conſtituent. Exemplum eſto in eodem Themate:

A Definitione: *Hæc* (eleemoſyna) *eſt ſolatium grande*

credentium, virtutis noſtræ præſidium, munimentum ſpei, medela peccati, corona pacis, ſacrificium Chriſtiani, &c. Auguſt. in Lib. de eleemoſ. Ab Enumeratione partium: *Eſurientium panis eſt, quem tu detines; nudorum indumentum, quod tu includis; miſerorum redemptio, pecunia, quam tu in terram defodis, &c.* Auguſt. Serm. in Dom. Pentec. A Simili: *Manus pauperum eſt gazophylacium Chriſti, quidquid pauper accipit, Chriſtus acceptat.* Chryſol. Homil. de Jejunio, & eleemoſ. Item: *Bona negotiatio, in qua parvo emitur, & magno venditur.* Chryſoſt. Serm. de Pœnit. Item: *Quaſi fœnum trajectitium facis, hìc das peritura, ibi recipis æterna.* Auguſt. ſuper Pſalm. A Diſſimili: *Quid Judici reſpondebis miſer? parietes veſtis, hominem non veſtis; equos phaleris ornas, fratrem lacerum aſpernaris.* Ambroſ. lib. de Nabath. A Contrariis: *Crudeles adimunt pauperi neceſſaria, ut mollia, & ſuperflua dent ventri.* Baſilius. Item: *Si non paviſti, occidiſti.* S. Ambroſ. Item: *Pauper, & dives duo ſunt contraria, duo ſunt ſibi neceſſaria.* Auguſt. Ab Adjunctis: *Date omnibus, ne ſi cui non dederitis, Chriſtus ipſe ſit.* Auguſt. Item: *Vera eleemoſyna eſt ſic dare, ut gaudeas te dare.* Chryſ. A Cauſis: *DEUS pauperes in hoc mundo eſſe voluit, ut divites peccata ſuâ redimerent.* Aug. Ab Effectis: *Eleemoſyna in utraque vita claros efficit: in iſta famam comparans, in altera gloriam æternam.* Chryſoſt. A Conſequentibus: *Non memini mala morte mortuum, qui opera charitatis exercuerit.* Hieron. A Comparatione: *Non enim minoris criminis eſt tollere, quàm cùm poſſis, & abundes, denegare.* Auguſt. A Comparatione: *vide infrà.*

III. Theologia. *Quid ſunt Loci Theologici?* R.

Sunt ea, quæ de fidei dogmatis, vel moribus, Chriſtianiſque hominis Officiis in Theologia Scholaſtica, Poſitiva, Polemica, Morali docentur. Hæc divinarum rerum cognitio penitior omnino neceſſaria eſt Concionatori, ne quid à recto tramite, & Eccleſiæ doctrina deviet, atque ambigua pro certis, parùm ſolida, & errori vicina pro indubitatis, multitudini credulæ venditet. Ùti cavendum eſt contrà, ne in ſubtilitates Theologicas immittat ſe, quas vel non intelligat populus, aut ſiniſtrè intellectas in offendiculum trahat.

Cupe-

Cuperem hujusmodi exemplum? R. Consules igitur Theologiam, quid de eleemosyna communiter statuat. Reperies tria doceri. 1. Charitatem Christianam duo complecti: dolorem de aliena miseria, & auxilium. 2. Eleemosynam non consuli tantùm, sed præcipi, nec enim ob ejus omissionem consilii alioquin olim dictum iri: *Ite in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis, &c.* Esse namque hanc divinæ providentiæ legem, quâ tantam in rebus humanis inæqualitatem induxit, ut egerent alii, abundarent alii, sed eâ causâ, ut illorum penuriam suis opibus sublevarent. Item voluisse DEUM, ut alter per submissionem, alter per moderatam liberalitatem gratiam in ordine supernaturali consequerentur. Hinc in Deuter. c. 11. *Præcipio* tibi, ut aperias manum pauperi. Et 1. Timoth. 6. *Præcipe* divitibus, *facilè tribuere.* 3. Docent Theologi: dandum è superfluo, & quidem ex officio justitiæ: definit, quos fines, limitésque habeat superfluum, & an quæ evenire non item prævideri possint, fortuitæ necessitates ab hoc præcepto eximant: docet denique, quo sensu accipiendum sit illud, quòd eleemosynis peccata deleantur. Inde advertes, non argumenta tantùm, sed & copiam ex his locis manare.

I. *Quinam sunt* Scriptores Ascetici? R. Qui de Christianæ vitæ, virtutisque perfectione multa piè, & utiliter conscripsêre. Delectu tamen adhibito præferendi, qui non tantùm voluntatem afficiant suaviter, sed solidis etiam, veræque Theologiæ consentaneis doctrinis intellectum collustrent, quales sunt: Ludovicus Granatensis, Rodericus, Sanintjuure, Causinus, Arias, Drexelius, Crassetus, Nepueu, Manna animæ Segnerii, ejúsque opuscula omnia, ac complures alii. Nullum ferè est thema prædicabile, seu Concioni aptum, de quo non spiritualia ejusmodi opuscula extarent. Præ cæteris digna sunt magnorum Theologorum S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Cajetani, Bellarmini, Lessii, &c. opuscula. Huc accedunt celeberrimorum Ecclesiasticorum sermones, Segnérii, Fabrii, Biroati, Bourdaloüei Commentarii, aut operum Indices, qui sine plagio magnam supellectilem suppeditabunt.

V, Hiſtoria Eccleſiaſtica. *Quid eſt Hiſtoria Eccleſiaſtica?* R. Quoniam in ſuaſorio genere ad plebem plurimùm valent exempla, ſeu Comparationes partium, majorum, minorum, horum item fontes à profana Hiſtoria diverſos nôſſe, ab his egregiè comparatum eſſe oporteret Concionatorem. *Primum* hìc locum tenent exempla Biblica veteris, ac novæ legis; *Secundum* Eccleſiaſtica Hiſtoria primorum ſæculorum, cui fides, & authoritas major eſt: deinceps recentiores Annales Baronii, aliorúmque; nec non vitæ Sanctorum, à probatis authoribus conſcriptæ, Annales variorum Ordinum, &c. quibus fidem tribuere vir ſapiens non vereatur. Longè verò habendæ ſunt neſcio quæ Legendæ, Chronica, &c. ignoratiſſimo ævo ab obſcuris Scriptoribus conſarcinata, quæ Cathedræ majeſtatem minimè decent. Quin ſunt primi nominis oratores, qui ſibi hiſtoriolarum ejuſmodi narratione omnino interdixêre, quòd inde juſtæ orationis curſum infringi, tempúsque eripi exiſtimarent. Nec tamen reprehendendi ſunt, qui ruri ſermoni cuilibet probatam quampiam Hiſtoriam ſubnectere amant. Exempla, ùt quæ longiùs excurrunt, addere non attinet.

Non ignoro objici poſſe, uberrimos quidem eſſe hos Scripturæ, Patrum, Theologiæ, Aſcetarum, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & ſuperfluentes fontes, verùm paucos eſſe vel is facultatibus, ut tantum librorum numerum comparent, vel ſic abundent tempore, ut in immenſos hos campos toto vitæ curriculo vix emetiendos expatientur. Interim non rarò adoleſcenti, & è ſcholis recenti Presbytero jam aggrediendum ad opus Evangelii; Curatos porrò veteranos, Miſſionarios, & ferventes alioquin Eccleſiaſtas, ſæpè rei familiaris curis, excurſionibus longinquis, confeſſionibus audiendis eum in modum obrui, ut ad hæc temporis nihil vacet.

Quî ſuppleri poteſt hic librorum, vel temporis defectus? R. Utendum erit adjumentis pro compendio laboris, per viros doctos elaboratis: ùt eſt Polyanthæa Zwingeri, Theſaurus Coccii, variæ Catenæ Patrum, Bibliothecæ Labatæ, Lohneri, Spanneri, Manſii, &c. ac cæteris omnibus plenior P. Vincentii Houdrii, quæ ut è Gallico latinè verteretur,

tur, optandum foret. His ſubſidiis adjutus incipiens, aut admodum diſtentus Concionator facilè Enthymemata, & exempla pro quavis materia conquiret, quæ Rhetoricâ, ac imprimis amplificandi arte accedente, in elegantis, utilíſque orationis formam conſtruantur.

Caput II.

De Amplificatione Orationis Sacræ.

AN alia eſt Orationis Sacræ, quàm profanæ amplificatio? R. Poſtquam ad thema propoſitum è ſcriptura, & Scripturæ interpretibus Patribus unum, vel plura argumenta inveneris, eodem artificio, ex iisdem Rhetoricæ Locis, Definitionum, ſimilium, contrariorum, cauſarum, effectorum, Adjunctorum, exemplorum frequentatione, & congerie, perinde ùt quævis alia oratio amplificanda, figuris, & affectibus acuenda, ad plebis captum in plena luce ponenda erunt. Certè ſi hodie ſacer quidam Tullius conſcendat cathedram, nec tam Verrem, Piſonem, Antonium, nec è jure, aut legibus Romanis, ſed vitia, luxum, avaritiam, libidines, &c. è ſacro Codice inſectaretur, non minores facturum credo motus animorum, nec minùs admirationi futurum in pulpito, quàm olim in Roſtris fuerat, aut Senatu. Inter cauſas corruptæ eloquentiæ Eccleſiaſticæ hæc princeps eſt, quòd genuina hac amplificandi ratione ad docendum, movendúmque tam neceſſariâ diſceſſum eſt à plerisque; ídque quia vel laborioſior (ùt eſt certè operæ non levis) videbatur, vel quòd multi Rhetoricæ præceptis tincti magìs, quàm eruditi, nec quibus oportebat armis inſtructi, in campum deſcenderunt. Inde factum, ut priore, & hoc ſæculo alia, atque alia amplificandi genera in regionibus diverſis invaleſcerent.

Quæ ais amplificandi genera diverſa? R. 1. Sunt, vel fuêre quidam, qui multiplici profana eruditione, 2. quidam, qui figuris Biblicis, ac Conceptibus (ùt ajunt) Scripturiſticis; 3. Alii, qui congerie plurimarum gnomarum, ſeu ſententiarum, concionatoriam amplificationem definiunt, atque adeò tres veluti in ſectas diſcedunt.

I. *Quid tibi vis nomine eruditionis profanæ?* R. Inſpergunt largiter Locos è profana, quin & fabuloſa hiſtoria petitos, & paſſim Alexander M., Cæſar, Pompejus, &c. etiam è ruralibus ſuggeſtibus audiuntur: vel ex hiſtoria naturali de certis animalium, plantarum, arborum, mineralium proprietatibus, & admirandis è Plinio, Solino, Aldrovando, &c. vel de variarum gentium ſingularibus legibus, moribus, ritibus, è Suida Laërtio, aliiſque partem orationis magnam implent, voluptate fortaſſe audientium aliqua, fructu, morúque propriè nullo.

Cur hos eruditos minùs probas? R. Etſi nihil ſit in rebus humanis, naturalibus, artificialibus, è quo non ad moralem doctrinam quamliber, convenientiam aliquam exſculpere liceat; ad perſuadendum tamen vim habebit nihilo majorem, quàm ſimplex ſimilitudo, in quam denique reſolvuntur. Hanc autem ut ad illuſtrandum argumentum aliquid faciat, argumenti tamen nomen vix mereri alibi diximus, nec ad amplificandum admodum valere. Ita ſi de certo palmæ genere, quod Indis cibum, potum, indumenta, tectum, medicinam, navigia, vela præbet, latè differueris, nihil plùs eleemoſynam perſuadebis, ac ſi dicas: quemadmodùm hæc arbor Indis omnia præſtat, ita homo in egenos liberalis eſt claudo, oculus cæco, &c. Quòd ſi eruditiunculæ ejusmodi unde unde coacervatæ, ad perſuadendum vim etiam haberent maximam, Chriſtianæ tamen cathedræ ſanctitatem vix deceret, miſcere ſacra profanis, ſæpiúsque Plutarchum, aut Plinium, quàm Hieronymum nominare: præſtaret naturali, & obviâ Allegoriâ, vel comparatione conferre hominem in miſeros largum, canali, nihil ſuperfluum retinenti; quàm de admirandis Aquæductuum Romanorum, &c. multis pertractare, vel de Baſilico narrare, quòd etſi ſolus prædam vorare amet, poſtquam tamen ſaturaverit ſe, leni ſibilò advocet animalia alia, ad abſumendum, quod is reliquerit. Equidem Aſceticæ Doctores, ùt: Drexelius, Nierembergius, Roderitius, &c. haud parcè his ornamentis utuntur, nempe quòd miſcendum ſibi utile dulci putarent, quò rerum de quibus agunt, aſperrimarum lectionem hoc condimento ſuaviorem redderent, faſtidiúmq; diſpellerent: quos tamen in cathedra imitandos non exiſtimo.

II. *Quid*

II. *Quid de Figuriſtis, & eorum amplificatione cenſes?* R. Figuriſtas dico, qui rejectâ profanâ, eruditioni ſacræ liberaliùs indulgent; è figuris Biblicis totam ferè orationem ædificant: in myſtico, anagogico, & tropologico ſenſu exponendo, varios textus variè inter ſe combinando, plurimùm immorantur. Cujuſmodi merces ab exteræ cujuſdam gentis Commentatoribus ſubtiliſſimis, magnô numerô nobis invectæ fuêre, & vulgò *Conceptus Scripturiſtici* audiunt, quibus permulti utuntur, uſque ſunt tantò liberiùs, quòd hæc Sacræ eruditionis ſpecies ingenii, & doctrinæ opinionem conciliet Concionatori, ſimul minimi laboris, temporiſque ſit. Labitur hora, dum duas, trésve figuras ejuſmodi variè circumductas evolvant denique.

Quid inquam de Conceptibus Scripturiſticis? R. Primò: Sine *authoritate* ſunt. 2. Sine *robore*. 3. Sine *fructu*. Dum enim in quolibet verbulo Scripturæ, myſteria neſcio quæ recondita venantur, dum in eam rem varias variorum Interpretum lectiones, Patrum medii, ac felicis ævi, ac ſæpè Rabbinorum cogitata variè inter ſe combinant, interpretationes denique exſculpunt longè petitas, violentas, mirum in modum contortas, ac minima authoritate præditas; cùm non immeritò dubitari poſſit, an divinus Spiritus, cujus ſimplex eſt cum ſimplicibus ſermocinatio, in eum ſenſum, ac per tot ambages loqui voluerit. Quid autem incerta hæc, & ſuſpecta humanæ ſapientiæ commenta inſectamur, cùm infinita ſuppetant Scripturæ loca aperta, minimè dubia, ac promptæ intellectionis; cùm item magno numero ad manum ſint Commentatores graviſſimi, qui in genuino, ac litterali ſenſu exponendo, tam feliciter, tam copiosè elaborârunt?

An ſine robore ſint hæ Subtilitates? R. Splendoris habent nonnihil, ût adulterini adamantes, & quod de profanis eruditionibus diximus in ſimilitudinem (quod ipſum figuræ nomen indicat) denique deſinunt; hoc ſolùm à profana diverſam, quòd hæc Protaſi, ſeu fundamento fide certo, illa humano nitatur. Utraque verò laboris ad perſuadendum minimum habet. Nec puto, ullum unquam grandem peccatorem his deliciis ad inoliti virii fugam, & horridæ virtutis amorem permotum. Gladius acutus eſt

verbum DEI, ad diviſionem animæ pertinens, ſed qui his ingenii ludis hebetatur magis, quàm acuitur.

An etiam ſine fructu ſunt? R. Accedit, quòd conceptus ejuſmodi ab imperitiſſimo vulgo ne intelligantur quidem, tædiò corripiatur Auditor, atque dum longo circuitu Protaſis figuræ, Symmachi, Aquilæ, &c. verſiones; Rabani, Hincmari, &c. commentationes evolvuntur, diu quò res evaſura ſit dubius, ac ſuſpenſus obliviſcatur priorum, ac poſt concionem rogatus, quid dictum ſit, reſponſionem non reperiat. Quantò altiùs in animum deſcendiſſet oratio ſine tam longis diverticulis, perpetua, pugnax, ampla, ad unum finem directa, plebis captui commenſa?

An igitur Biblicis figuris abſtinendum eſt? R. Minimè omnium. Quin in Myſteriis ſanctæ noſtræ Religiois exponendis digniratis, & efficaciæ ſunt maximæ, neque ullo pacto prætermitti poſſunt. In materiis verò moralibus minimè ſcilicet obſcuris, ac controverſiis, ſobriè, parcéque, & eatenus tantùm utendum, ut locò profanæ ſimilitudinis, vel exempli, vel comparationis, ſacra adhibeatur; nequaquam autem ut veluti corpus amplificationis; faciat continentis orationis curſum interſiſtat; tantúmque corporis occupet, ut ad cætera minùs relinquatur.

II. *Quid de frequentatione gnomarum, ſententiarum è Scriptura, & Patribus ſentis?* R. Sunt permulti hujus ſectæ, qui poſt delectum thema concionis plurimum laboris in conquirendis undecunque ſententiis ponunt, inter Affirmantes, & Probantes nihil diſcriminis faciunt, iisque repertis, concionem jam probè perfectam ſe habere credunt: eáque in re Polyanthæarum fabricatores imitantur. Etenim ſi *affirmantes* tantùm ſententias, & in materia nihil controverſa coacervaveris, v. g. Patrem honorandum, actum ages: & erit, qui tibi oggerat: *Quis autem id negat?* At ſi divini hujus præcepti naturam, partes, cauſas, effecta, adjuncta, conſequentia eloquenter exaggeraveris, etiam degeneri lachrymas excuſſeris, ac duritiem emoliveris. Quòd ſi *Probantes* etiam fuerint, ſed eæ ſine amplificatione Rhetorica nudæ, minùs feceris, quàm ſi unam unicam, ſed ampliter, & explicatè deductam attuliſſes. Ut unum telum dextrè libratum, altiùs penetrat, quàm ſi faſcem bene magnum

gnum ſpiculorum in alterum conjiceres. Certè qui ad virum gravem, cordatúmque hoſti ſuo capitali conciliandum catenam integram gnomarum ex utroque teſtamento, SS. Cypriano, Auguſtino, Hieronymo, Chryſoſtomo, &c. adde & Seneca, &c. voce contenta ingereret, reſponſum ferret fortaſſe: *De hoc hominem Chriſtianum dubitare neminem; ſed injuriam eſſe graviorem, quàm ut condonari poſſit, nam &c.* Tum enim vivida, validáque amplificatio, velus ſupremus aries obſtinato admovendus erit.

Quid de latinis ſententiis dicis? R. Etſi principes ad amplificandum ſententiæ, majoris fidei ergò non modò afferri, ſed iterari etiam latinè ſoleant, poſſintque, eorum tamen mos haud quaquam probandus eſt, qui ſtipatas, eásque plurium Periodorum prælongas, primùm latinè recitant; tum citationes faſtidioſas libri, capitis, verſûs, numeri, editionis, circa medium &c. ſubjungunt; ac demum vernaculè ad verbum reddunt; ut ſi putare velis, latina ſubinde quintam, ſextámve orationis partem faciant. Fieri certè non poteſt, quin tot velut repagulis, tot peregrinæ linguæ non intellectæ interjectis intervallis, ſiſtatur orationis alveus, & animi audientium ab inſtituto aliò dilabantur. Meliùs imitaberis ſummos ævi noſtri Concionatores, & eloquentiæ Chriſtianæ lumina, qui poſtquam ſumptum è ſancto Doctore Enthymema, ſeu ſententiam Probantem ſatìs amplicavêre, tum ſententiam ipſam, ídque paucis ſubjiciunt, v. g. Audite, ùt Chryſoſtomus in illud Pſalmi, *Eleemoſynas enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum*, ratiocinetur: Gloriam quæritis ex eo, quòd pauperi negatis, ſuperfluo? at enim non inde majoris fietis, ſi ſuperbo veſtitu, palatiis, &c. vos efferetis, quin inde ſordes veſtras, vel rapacitatem arguent. Quin ſi virtute famam quæritis, erunt, qui juſtitiam veſtram, crudelitatem; patientiam, animi vilitatem, &c. dicent: ſola in miſeros beneficentia extra cavillos eſt, omnibus grata eſt, & probata: *Non juſtitiam, non prudentiam, non patientiam, ſed eleemoſynas enarrabit omnis congregatio Sanctorum.* Ita Chryſoſt. Totam ejus ratiocinationem ad verbum latinè recitare odioſum fuiſſet.

NOTÆ

NOTÆ

IN LIBRUM II. RHETORICÆ CYPRIANI SOARII.

Ad Caput I. *De Diſpoſitione.*

Quid eſt Diſpoſitio ? R. Rerum inventarum in ordinem diſtributio. Quemadmodum enim in campo ſolers aciei ſtructura ad victoriam ; in corpore humano, membrorum conformatio ; in ædificio, lapidum, & cæmenti compoſitio idonea ad commoditatem ; ita argumentorum inventorum collocatio apta, ad robur, & venuſtatem orationis plurimùm confert. Firma argumenta conquirere, amplificare, & verborum ornatu conveſtire, ingenii eſt ; aptè verò diſponere, judicii, & prudentiæ. Nec aliud imperitiæ inſignis certius eſt argumentum, quàm cùm incondita, & perturbata oratio non cohæret ſibi, multa repetit, multa tranſilit, nihil ut primum ſit, nihil ſecundum, & ùt ajunt : *ſcopæ diſſolutæ.*

In quo ſita eſt diſpoſitio? R. Quando negotii quid nobis pertractandum, vel ab alio quid petendum eſt, naturâ duce *Primò* prætermittimus aliquid, quò benevolentiam nobis conciliemus ; *tum* exponimus breviter negotium, cujus causâ venimus ; *deinde* momenta cauſæ, ac rationes afferimus ad id, quod contendimus ; *denique* inſtamus, precamur, promittimus, ut aſſenſum extorqueamus. Quare ùt naturalis, ſic artificialis Diſpoſitionis partes ſunt quatuor : 1. Exordium. 2. Narratio. 3. Confirmatio. 4. Peroratio. Plures alii ſtatuunt, ſed quæ ad quatuor iſtas meliùs reducuntur, nempè : Exordium. 2. Propoſitio, & Partitio. 3. Confirmatio, & Confutatio. 4. Peroratio. Prima, & poſtrema valent ad motus lenes, aut vehementes excitandos ; reliquæ ad fidem faciendam.

Quis eſt ordo argumentorum ? R. Principio locatur firmum quid, ne ſi leviculum quid prodiret, nihil deinceps attentione magnopere dignum, habituram orationem ominetur Auditor ; ultimum firmiſſimum eſſe convenit, ut tantò altiùs hæreat animo mox diſceſſuri ; ſimúlque ad affe-

ctus

ctus in Peroratione movendos viam sternat. Mediocria in mediam turmam conjiciantur. Primis, ultimísque conserta, vim aliquam obtinent, quæ singula, ac separata infirmiora fuissent. Quænam autem argumenta firmitate sint majore, prudens Orator, qui hæc ponderaverit magìs, quàm numeraverit, seipso discernet, Quòd si tota oratio per incrementum se diffundat, alius ordo erit tenendus, ùt alioquin patet.

Ad Caput II. *De Exordio.*

Quid est Exordium? R. Ingressus in orationem, quò auditoris animus disponitur, ut cognoscat, qua de re dicturi simus, & benevolè velit attendere. Aliud est *legitimum*, aliud vehemens, & ex *abrupto*, quo sine prævia auditoris præparatione, per vehementem aliquem affectum ad rem ipsam aggreditur. Celebre est illud Tullii: *Quousque abutêre patientiâ nostrâ Catilina?* &c. Et C. Mutii Scævolæ Porsenam apud Livium alloquentis: *Romanus sum civis, C. Mutium vocant. Hostis hostem occidere volui: nec ad mortem minùs animi est, quàm ad audendum fuit.* Veturia ad Coriolanum filium sine ambagibus abruptè: *sine, priusquam amplexum accipio, sciam an ad hostem, an filium venerim?* Manlius ad seditiosos concitandos: *Quousque tandem ignorabitis vires nostras? quas natura ne belluas quidem ignorare voluit?* Valerius Corvinus militem ad strenuè pugnandum adhortans, ita orditur: *Pacta mea, non dicta vos milites sequi volo, &c.*

Quid est Exordium legitimum? R. Hujus triplex est officium. 1. Reddere auditorem benevolum. 2. attentum. 3. docilem.

Quomodo reddendus est benevolus? R. Primò: *à persona oratoris*, cùm suum de auditorum commodis studium, merita, amorem, vel reverentiam officiosè commemorat, ac ingenuam quandam modestiam, pudorem, probitatem, candorem ore ipso profert. Deprimere se, infantiam suam, & ingenii tenuitatem, argumenti majestati imparem excusare, solitum est Tyrunculorum exordium; in viro nisi rei magnitudo aliud postulet, probari non potest. Universim cum in principio, tum decursu orationis nihil, aut mini-

nimirùm de se prædicabit orator prudens, illúdque tritum diligenter observabit: *Nec te laudâris, nec vituperaveris ipse.* In judiciis tamen res ipsa fert, ut de se loquendum sit. Ita Cicero pro Archia gratum suum erga Magistrum animum commemorat: *Pro Archia Poëta adductus sum Judices officio,* Suam modestiam de legibus agrariis: *De me ipso vereor, ne arrogantis sit apud vos dicere.* Suam amicitiam pro Rabirio: *Me cùm amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, tum vitæ meæ perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum hortata est.*

2. *A Persona Auditorum?* R. Si modestè, rectéque laudentur ab ea præsertim, quæ in rem nostram est, virtute v. g. à benignitate pro reo. Cicero pro Marcello dicturus orditur ab extollenda Cæsaris clementia. Pro Milone Pompeji æquitatem; pro Q. Roscio Aquilii Prætoris fidem commendat. In judiciis olim etiam 3. *à persona clientis*, seu rei benevolentia captabatur, ejus inopiam, desertionem ab amicis, injurias toleratas exaggerando, vel inimicorum potentiam, Judicum suspectam integritatem invidiosè traducendo. Exempla habes in quovis Ciceroniano pro reis exordio.

Quomodo conciliatur attentio? R. 1. Petendo apertè, ut studiosè attendere velint. Ut pro Roscio: *Obsecro vos Judices, attentè, bonâque cum venia verba mea audiatis.* Pro Milone: *Adeste animis Judices, nam si unquam de fortibus viris potestas vobis judicandi fuit, &c.* Subinde etiam sub ipso orationis cursu, cùm auditor principio alacer, & erectus, languescere, aurésque fatigatæ peregrinari incipiunt, repetenda est attentio. Pro Cluent. *Vos quæso, ut adhuc attentè me audistis, item quæ sunt reliqua, audiatis.*

2. *Promittendo*, nos dicturos de rebus minimè vulgaribus, sed magnis, utilibus, & jucundis auditu. Ut pro Roscio: *Sic enim existimare debetis Quirites, post hominum memoriam, rem nullam magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, ad populum Romanum esse delatam.* 2. Pollicendo brevitatem, quæ una est fovendæ attentionis ratio certissima, si reâpse pollicitis stetur.

Quomodo paratur docilitas Auditoris? R. 1. Si breviter, dilucidè, simplicitérque proponas, qua de re sit dicendum; hoc est, si propositio sit talis, qualem infrà describemus.

bemus. Pro Manil. *Dicendum eſt enim de Cn. Pompeji eximia, ſingularique virtute.* 2. Si totam orationem in duo, vel tria ſummùm capita perſpicuè partiaris, de quo item mox. Philipp. 7. *Cur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt*, quæ tria dum explico, peto, ut qua ſoletis benignitate me audiatis.

Ad Capus III

De variis Cauſarum Generibus.

AN eadem eſt ubique exordiendi ratio? R.- Ut varium eſt cauſarum genus, ita erunt exordia. Aliud *honeſtum* eſt, *dubium*, vel *humile*, abſurdum, & incredibile, vel cujus *opinione contraria* imbuti ſint Auditores, vel *admirabile.*

In cauſis honeſtis ùt exordiendum eſt? In his de benevolentia captanda minimè laborandum; Concionatoribus maximè, cùm nempe ab eodem, & propè ad eosdem, & quot hebdomadis, & de rebus omnium honeſtiſſimis, virtutis amore, vitiorum fuga, Evangelica doctrina dicitur; quid verò hujus loco præſtandum ſit, infrà reperies.

Quòd ſi materia fuerit *humilis*, & *incredibilis*, præmunitione aliqua, & artificiô, vel ironiâ prævertendum erit tædio. Ut ſi ad Senatum referas de cloacis purgandis, de tribus capellis, de calceorum modo, &c. Velut magna quædam ingenia ad eloquentiæ jactationem in abſurdis ſe, & incredibilibus thematis exercuêre, ut cùm Lucianus aſinum, Eraſinus ſtultitiam, quidam Podagram, Polycrates mures, Majoragius lutum, Calcagninus pulicem, Douſa umbram, Heinſius pediculum, Scaliger anſerem, Paſſeratius ipſum nihil dilaudârunt.

Si *dubia*, & *anceps* ſit cauſa, confidentiæ, ac ſecuritatis oſtentationem deſiderat, ùt pro Ligario: *Habes igitur Tubero, quod maximè accuſatori exoptandum eſt, confitentem reum.* Et pro Rabirio: *Nihil me iſte clamor commovet.* Si opinione contraria teneatur Auditor, ea præjudicia erunt evellenda, ut pro Milone magnam exordii partem facit locus communis: *Non omnem homicidam damnandum.*

Ad

Ad Caput IV.

Cujusmodi exordia esse debeant?

Quæ sunt virtutes exordii? R. 1. Sit accuratum. 2. Instructum sententiis, & aptum verbis. 3. Causæ proprium. Erit autem 1. *accuratum*, si curâ aliquantò majore, quàm cæteræ partes elaborabitur, ut sta im permulceat, alliciárque Auditorem, qui contrà terrebitur, si fluitans, malè cohærens, & velut temerè effusum, nihilque meditatum fuerit.

2. *Instructum sententiis*, hoc est, sensibus minimè trivialibus, & dignitatem habentibus contextum: *Verbis aptum*, politis, ac bene rotundatis periodis suave, & quod periti solent architecti, *vestibula, aditúsque sint illustres*, ut monet Tullius, ne incultus ingressus nihil boni portendat ingredienti. Ut enim optimè notavit Fabius: Pessimus sanè videretur Gubernator ille, qui è portu solvens statim navem ad scopulos allideret. Vitandus tandem, & scopulus alter, ne nimis artificiosum, diligens, comptum, pictúmque sit, quod orationi fidem admit, ac juvenilem quandam ostentationem spirat, præsertim si fatigatione subeunte cætera nequaquam eâdem curâ, ac labore perpoliuntur, atque adeò *desinit in piscem deformem mulier formosa supernè.*

3. Sit *causæ proprium*, seu, ut ajunt, è causæ viscéribus eductum, cui nempe opponitur *separatum*, & *commune*, quod nunc exequemur.

Ad Caput V. *De Vitiis Exordii.*

Quot sunt exordii vitia? R. Septem vulgò enumerantur: Vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra præcepta.

Quid est vulgare exordium? R. Est, quod nihil ferè addendo, vel demendo in plures causas potest accommodari, ut idem ephippium pluribus equis. Talia sunt: ut qui in panegyrico genere generatim à laude virtutis inciperet; aut in judiciali: cuique suum tribuendum. Vel qui causæ gravitatem, suámque ingenii debilitatem excusaret, vel vulgari illa præteritionis figurâ uteretur: Dicant aliqui hunc

sanctum

ſanctum *ſolem*, alii *aquilam*, nonnulli *cedrum*, &c. ego verò avem paradiſiacam, &c. Vel qui in funerali, in mortis ſævitiam inveheretur, &c. hæc enim & ejusmodi in quoquo orationis laudatoriæ, ſuaſoriæ, &c. genere commodè adhiberi poterunt, ùt caput ſtatuæ exemptile ad quemlibet truncum aptari.

Quod eſt commune? R. Quod nulla re commutata, etiam in contraria quæſtione adhiberi poteſt. Ut ſi pro Roſcio dicturus unicè Aquilii Judicis æquitatem perſpectam extolleres; nam eodem item accuſator uti poterit. Aut ſi exponeres: *imperitis à DEO corporis, animique donis non eſſe abutendum*, ex eodem capite laudabis, his bene, & vituperabis malè uſum. Hinc affine eſt *commutabile*, quod paucis mutatis ex parte contraria dici poteſt, ùt ſi pacem ſuaſurus dicas: *omnium conciliorum regulam eſſe debere civium felicitatem*, leviter flectes, & bellum item ſuadebis.

Quod eſt exordium longum? R. Vitium eſt ſanè pervulgatum, in ſolennioribus præſertim panegyricis, tam Auditori odioſum, quàm Oratori parum honorificum. Quis enim neſcit, imperitum vulgus nec ratiocinari aſſuetum, rerum quantumvis optimarum auditione facillimè fatigari, horrere Concionatores ultra horam prolixos, hoc prolixiores autem ominaturos, quò productius fuerit exordium. Quod ſi confirmationis partes moderatæ brevitatis ſequentur, exiſtimabunt Oratorem artis, vel ignarum, vel neglectorem, ut qui homulo Polyphemi caput appingat, vel caſæ anguſtæ ingens atrium præſtruat. Præſtabit adeò brevem eſſe, ſpiritúsque, vocem, &c., nihil debilitata ad confirmationem integra ſervare.

Quod eſt ſeparatum? R. Quod cum cauſa, ejúsque partibus nihil omninò cohæret. Sic ut non niſi violentè propoſitioni aptetur. Ut ſi quis in Feſto S. Joſephi, cum illo ridiculè ordiretur: S. Joſephus fuit faber, fabricavit ergo etiam ſedes confeſſionales; quare de confeſſione dicam: vel de fundo controverſo acturus inciperet ab Adamo: vel diſſidentes inter ſe conciliaturus de Algebra diſputare: vel vitæ ruſticæ commoda prædicaturus, de Typographiæ utili-

utilitatibus præfaretur, cujus beneficio Ciceronis, & Varronis ea de re ſcripta ad nos devenêre.

Quod eſt translatum? R. Quod aliud efficit, ac cauſæ genus poſtulat, ùt quod in benevolentia concilianda totum verſaretur, cùm attentio magìs movenda, aut contrà. *Contra præcepta eſt*, quod nec benevolum, nec attentum, nec docilem reddit, nec verbis aptum eſt, nec ſententiis.

Ad hæc tot vitia evitanda author eſt Cicero, & multorum uſus eſt, ut ne ante perfectam jam Orationem de exordio cogitetur; ut prævisis cæteris hoc aptiùs connecti cum propoſitione queat; nam ſi primò id evincere velis, nullum niſi exile, nugatorium, aut vulgare occurret.

Ad Caput VI. VII.

De Exordio, vel Exordiorum fontibus in Exornatione, Deliberatione.

Equid Judiciale Genus prætermittis? R. Ut veteribus id primo, ita nobis poſtremo loco eſt, neque niſi in declamatione progymnaſtica uſum habet, ùt cum in Cainum, in Iſraëlitas vitulum adorantes, in matrem ſuppoſititiam coram Salamone actio inſtituitur: aut Maria Scotorum Regina, Jonathas paulum mellis deguſtans, &c. defenditur. Declamatori ejusmodi exordium præbebit Quintilianus, ſi laudibus conciliârit Judicem; leniter allegârit pro reo illuſtri ejus dignitatem; pro Plebejo juſtitiam, pro infelice miſericordiam, ſeveritatem pro læſis, ſi removeat metum, animet ad æquitatem, &c.

Qui ſunt fontes exordiorum in laudando, & ſuadendo? R. Sunt iidem, è quibus argumenta, & amplificationes petuntur, loci intrinſeci cauſæ, quæ tractatur, eíque adeò cohærentes. Præcipui ſunt 1. à *genere*, & *forma*. 2. à *contrario*. 3. ab *adjunctis*. Exordiri item licebit à *ſententia* quadam inſigni, quæ in partem utramvis trahi poſſit. Ab *exemplo* hiſtorico, vel *eruditione* aliqua ſacra, vel profana.

Quale eſt exordium à genere? R. Cùm hypotheſis revocatur ad theſim, ùt ſi de virtute, vel alia re ſingulari conſtabit dictio, ejus univerſale pro exordio aſſametur.

Ita

Ità laudaturus Virgilium Homeri imitatorem, univerſim probæ imitationis utilitates recenſebit. Suaſurus moderandum conviviorum luxum de parſimoniæ frugalis emolumentis: Theologiam Scoti, de Studii Theologici eminentia: Belgradum muniendum, de belli cùris pacis tempore non omittendis; Livii lectionem, de Hiſtoriæ dignitate: Hannibali, ne Capuæ hybernet, de voluptatum malis.

Obſervandum tamen diligenter, ne genus aliquod generaliſſimum, ſeu latiſſimè patens etiam pro exordio aſſumatur, ùt: *virtutem colendam, fugiendum vitium, &c.* Vulgare foret hoc, & commune, & commutabile, & vitioſum exordium, cùm eodem ad omnem morum doctrinam quàm latè patet, nulla re immutata uti poſſit. Non idem eſt de genere ſubalterno, ùt ſi virtutis cujuſpiam ſingularis actum ſingularem commendes, ritè incipies à laude *charitatis* Chriſtianæ, atque inde ad hypotheſim, de *docendis* errantibus deſcendes.

Quomodo exordium ducitur ab Adjunctis? R. Vix ulla eſt Ciceronis Oratio, qua non à ſua perſona exordiatur, vel in judicium, aut auditorum laudes excurrat, vel *temporis* occaſionem ſequatur, vel à *loco*, cæteriſque circumſtantiis materiam deſumat, ùt pro Dejotaro loci anguſtias, pro Cælio temporis inſolentiam, pro Milone novam rationem judiciorum, &c. Item in Academicis exercitationibus, publicis ſolennitatibus, euchariſticis, gratulatoriis, epiciniis, &c. quæ ſeipſis adjuncta ejuſmodi trahunt, imitari licebit.

Quale eſt exordium à contrario? R. Hæc exordiendi ratio, præſertim in ſuaſoriis longè pulcherrima eſt, eadémque facillima, cùm nempe Orator dubitare aſſimulat, utri è duabus ſententiis aſſentiatur. Sic Alexander ſuis patriæ, reditúsque deſiderium excuſſurus: *Minimè*, inquit, *mirum eſt, vobis deſiderium quietis, & ſatietatem gloriæ occurrere. Ego quoque ad parentem, ſororémque, vel renitentibus vobis erumperem, etſi &c.* Hæc concedentis inſtar præfatus, in confirmatione cauſas affert continuandi belli, ínque Indias ultimas importandi. Probaturus *bellicam laudem litterariæ poſtponendam*, dicet multos veterum, & recentiorum in ea opinione fuiſſe, ut ab armis plùs utilitatum, quàm literis in Rempublicam fluere crederent: *Cedant arma togæ.* Ci-

cero Librum de Inventione problematica ejusmodi quæstione auspicatur: *Sæpè, ac multùm hoc mecum cogitavi, bonîne, an mali plùs attulerit civitatibus eloquentia?* Deinde argumentis in utramque partem allatis, eligit primam, validéque confirmat. Sic Camillus adhortans cives, ne Vejos è Roma combusta demigrent, agnoscit calamitatem, penuriam, ædificandi difficultatem, Vejorum integræ urbis commoditatem, &c. tum verò longè firmiora sententiæ adversæ momenta profert.

Hi tres exordiendi modi, nempe ex ipsis causæ visceribus deprompti, usitatiores fuêre antiquis, quàm recentioribus, quibus venustius videtur, lectâ aliquâ sententiâ, exemplô, apophtegmate, simili à re naturali petito, adagiô non insulsô, aut alia quavis conditione oblectare, ac benevolum, attentúmque, ad cætera reddere auditorem. Hæc in Academicis, ac Panegyricis placere possunt haud dubiè, & in sacris nec parcè ab Italis usurpantur; ita tamen tractanda sunt, ut non ad oblectationem modò, sed & fidem faciendam, viam aperiant.

Ut exordimus à sententia, seu effato illustri? R. Ita Catilina suos ad bellum adhortans incipit: *Compertum habeo milites:* verba virtutem non addere, &c. Et Minutius magister equitum servatus à Fabio: *Sæpè ego audivi, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit, secundum, qui bene monenti obediat; qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, extremi ingenii esse.* Item Cæsar pro Catilina orans: *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amentia, ira, atque misericordia vacuos esse decet.*

Ut ab exemplo, historia, vel fabula? R. Disuasurus choreas incipiens à Domitiano Imperatore, qui Cælium Senatorem, saltâsse deprehensum Senatu ejecit. Pro justitia, quam vocant distributivam, acturus, Caligulam adduces, qui equum suum Consulem renunciari jussit. Phaëtontis, vel Arachnes fabula serviet in superbiam dicturo. Sic Menenius ab ventris, & cæterorum membrorum discordia fabulosa orsus est. Atque hic fons tam inexhaustus est, ac ipsa historia.

Ut ab eruditione? R. Sic maledicentiam insectaturus afferes aphorismum Hippocratis: *Lingua atra, malum.* Constantiam

ſtantiam ſuaſurus *Chamæleontis* indolem expones. De proprietatibus animalis Americani *Pigritia* dicti contra pigros præfaberis, &c. Quidam ab Hieroglyphico, ſymbolo, ænigmate occipiunt, iisque ſe ingenioſos putant, non item graviorum Oratorum exemplis tuebuntur.

Quomodo amplificandum eſt exordium? R. Propoſitioni genericæ, vel contrariæ, ſententiæ, exemplo, &c. rationem aliquam excogitabis, eámque brevi argumentatione deduces. Cæterùm verborum amplificationi magis ſtudendum, cùm Oratorii numeri ſuavitas, & periodorum venuſtas accuratum alioqui, & amplum faciat exordium. Leniores item, & quaſi inchoati affectus inſpergendi, quales in omnibus Ciceronis exordiis reperies.

Ad Caput VIII. & IX.

De Narratione.

Quid eſt Narratio? R. Quem hodierni Jurisperiti *Speciem facti* nominant, atque in Judiciis unicè locum habet. In hac, quoniam ad univerſæ cauſæ evictionem plurimùm ſitum eſt, plurima præcepta Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus tradidêre, quæ noſtris item Advocatis magno uſui eſſe poſſint. Cæterùm quoniam Rhetori jam nullus eſt in foro locus, nec exornativum, ac deliberativum genus narratione indiget, & de hac alioquin jam in Progymnaſmatis Candidati actum fuit, ſupersedebo penitùs repetam nihilominus paucis, quæ de ejus virtutibus, *brevitate*, *perſpicuitate*, *probabilitate*, *ſuavitate* Soarius tradit, ac non in oratione ſolùm, ſed & conſuetudine quotidiana, cùm narrandum eſt quidpiam, decorem habent.

1. *Brevis* eſt narratio, ſi omittantur adjuncta non neceſſaria, digreſſiones inutiles, circumlocutiones ſuperfluæ.
2. Semel res dicatur, neque nimis minutim, minùs ut ab ovo repetatur, quo nihil odioſius.

2. *Perſpicua* erit, ſi verbis uſitatis, & propiis fiat, ordo temporis, & rei geſtæ ſeries ſervetur, ſenſus, & periodi ſint breves, nec circumductæ, nec multa parentheſi, vel relativis interſtinctæ, nec interruptè narretur.

3. *Probabilis* erit, si res nitatur authoritate viri fide digni; simpliciter, & sine fuco narretur; adjuncta personarum, loci, temporis sint ejusmodi, ut suaptè verisimilitudinem pariant.

4. *Suavis* erit, si verbis utatur nitidis, & elegantibus, inprimisque figura hypotyposis. Aliàs admirationis, Dialogismi, exclamationis, metûs, doloris, ac eodem tenore, sed stylo jam prolixiore, jam breviore. Inspice libellum *Narrationes Ciceronis*, præcipuè è Verrinis sumptas, quibus ad ideam justæ narrationis effingendam nihil absolutius.

Quia verò hodie in locum narrationis *propositio*, ejúsque *divisio* successit, quâ quid, quóque ordine dicendum sit, exponitur, de his aliquantò pluribus erit agendum.

De Propositione Orationis.

Quid est Propositio Orationis? R. Brevis, & aperta explicatio status, quæstionis; seu argumentum, seu thema orationis, quæ statim exordio subnectitur. In hac observanda sunt 1. ut sit vera, 2. non nimis generalis, 3. perspicua, 4. Una, 5. Conveniens Oratori, 6. nova.

1. *Vera debet esse propositio?* R. Non mentita, paradoxa, sed quam ipse Orator sibi veram esse persuadeat. Absurdum thema foret, si contenderes: Muretum Ciceroni præferendum: Venetiarum Rempublicam Republica Platonica meliùs constitutam: Peccata omnia esse æqualia: unum libellum pluris esse magnis Bibliothecis: Scivisse, quidquid ab homine sciri potest: S. Josephum supparem toti SS. Trinitati: afflictiones corporis spontaneas dulciores esse gaudiis Paradisi: Religiosum quempiam Ordinem non minùs ordinatum, ac Angelicam Hierarchiam, &c. si quæ sunt ejusmodi abhorrentia.

2. *Ne sit nimis generalis.* Id enim si nec in exordio quidem tolerandum est, quantò minùs placiturus est, qui tota oratione non aliud negat, ac: *Virtutem esse persequendam: Procurandam civibus felicitatem: Bonas artes excolendas.* Quis generatim urbibus, avibus, piscibus, &c. panegyricum struxit? Igitur in laudatione non tota Herois vita, quod Historici esset, assumenda erit, & in suasione una

una aliqua virtutis ſpecies, aut hujus pars includenda; quin quò magis ad ſingularia deſcenderit, hoc ingenii, artis, & quod caput eſt utilitatis majoris erit oratio.

3. Sit *perſpicua*, adeò, ut non intelligi non poſſit. Fieri enim poteſt, ut quod diu apud te meditatus ſis, tibi non perinde, ùt audienti, obſcurius videatur: vitanda idcirco ſuperflua Synonima, ne prolixitas ipſa obſcuritatem pariat.

4. *Simplex*, *& una*, ne ex una duæ evadant orationes. Erit ſimplex ſententia: Monarchia optimum gubernationis genus: Imperio in jura Sacerdotii involandum non eſt: Equeſtris ordinis eſt, caſtra ſequi: Etiam egenis liberalitatis virtutem exercere datur. Non ſervant hanc unitatem orationes problematicæ, in quarum confirmatione, ex æquo partis utriusque momenta traduntur, ac demum ſub perorationem alterutri acceditur; ùt: An Monarchia Ariſtocratiæ præhabenda? Parentibus plùs honoris habendum ſit, quàm inſtitutoribus? An maritimæ urbes præſtent mediteraneis? In Gymnaſio plùs diſcatur, an domi privatim? Typographiæ, an pulverum pyriorum inventio Germaniæ ſit honeſtior? Fœdius ab hac ſimplicitate deviant, qui à propoſito aberrantes, extra rem multa afferunt, & ùt dicitur, extra oleas evagantur: de eleemoſyna promittunt, & de Miſſæ utilitatibus admiſcent multa; ſobrietatem commendant, & à curſu abrepti in avaritiam debacchantur. Inſcitæ ejusmodi exerrationes, quas utinam rarò audire eſſet, magnam artis imperitiam notant, & ſteriles ferè reddunt dictiones.

5. Sit *Conveniens* Oratori, Auditori, loco, tempori. Orator ebrioſitatis vitio notatus ſobrietatem vix perſuaſerit: nec continentiam à libidinibus infamis; nec munificentiam notæ avaritiæ Euclio. Aliud item thema virum ætate, ac dignitate gravem: aliud ex adoleſcentia vix egreſſum decebit *Auditor* agreſtis non intelliget ſubtiliora Theologiæ explicantem, & ridebit, de veſtium luxu, ſpectaculorum noxa, ambitionis malis declamantem. Nec æquis auribus accipiêre, ſi apud Helvetos de Monarchiæ bono, vel in Paſchate de cruciatibus Domini diſputes.

6. Sit *nova*, ùt ex trita, ac vulgari quandam novitatis

ſpeciem induat, & attentiorem reddat Auditorem. Cavebis tamen, ne dum nova quæruntur, in ridicula, obſcura, ac inania delabaris. Novitatis porrò conciliandæ variæ ſunt rationes: Ut ſi 1. propoſitionem abſolutam problematicè efferas, v. g. loco: *Ambitio eſt Reipubl. perniciosa*; quæres: *an plura commoda, vel incommoda Reipublicæ afferat ambitio?* Ita tamen, ut pars problematis altera, vel exordium faciat, vel confutationem. Item: *An Auguſtus magis timuerit cives, an cives Auguſtum?* 2. Elegantior eſt comparativa, quàm abſoluta. Ut pro: *mali ſunt aliquando utiles virtuti*, dices: *Virtus plura debet improbis, quàm probis.* 3. Si confletur ex contrariis, ùt loco: *mors miſeris eſt minùs dura, quàm felicibus*, dices: *felicitatis genus eſſe, infelicem mori.* Sic loco: *homo ſibi ipſe ſuorum malorum author eſt*, dices: *nemo læditur, niſi à ſeipſo.*

De Partitione.

Quid eſt Partitio? R. Seu diviſio eſt partium orationis, ordine collocata enumeratio; de qua Græci, ac latini eloquentiæ præceptores multa egregiè præcepêre, quam ſuis ipſi orationibus expreſsêre, etſi tectam adeò partitionem ſæpiùs habeant, ut niſi adhibita ſingulari attentione animadverti vix poſſit. Apertè dividit Cicero pro *Quintio*: 1. Cauſa non fuit, cur Nævius à Prætore poſtularet, ut bona Quintii poſſideret. 2. Ex edicto Prætoris poſſidere non potuit. 3. Non poſſedit. *Pro Sext. Roſcio Amerino*: 1. Roſcius non habuit cauſam occidendi patrem; 2. nec facultatem. *Pro Lege Manilia.* 1. Bellum in Aſia gerendum, quia 1. ex genere ſuo grave, & neceſſarium; 2. magnitudine periculoſum. Præficiendus Pompejus, quia in eo ſunt imperatoriæ virtutes: 1. Scientia rei militaris; 2. virtus; 2. authoritas; 4. felicitas. Philippica pacem cum Antonio diſuadens: Pacem nolo, 1. quia turpis eſt; 2. periculoſa eſt; 3. fieri non poteſt. *Pro Muræna*: Intelligo, tres eſſe accuſationis partes, unam 1. in reprehenſione vitæ; 2. alteram in contentione dignitatis; 3. tertiam in criminibus ambitûs eſſe verſatam. *Agraria ſecunda*: Lex Agraria tollenda, 1. quia iniqua, & noxia; 2. inutilis. *Pro*

Ra-

Rabirio : 1. Rabirius non occidit Saturninum ; 2. arma contra eundem jure ſumpſit. *Pro Archia* : 1. Nihil obſtat Archiæ, quò minùs ſit civis ; 2. etiamſi non eſſet, adſciſcendus fuit. Similem orationum omnium diſtributionem (ita partitionem appellat Ducygne) habes in ejuſdem laudatiſſima Analyſi.

An in omni oratione partitione utendum eſt ? R. Si Cicero, Demoſthenes, aliique rariùs apertâ illâ, & expreſsâ utuntur, egêre de reorum cauſis, aut Reipublicæ negotiis admodùm variis, & involutis, quæ ſæpè narrationibus interjectis, ac digreſſionibus ab æquabili curſu avertunt. At in hodiernis, ſeu Academicis, ſeu ſacris orationibus haudquaquam omittenda videtur propter inſignia ejus commoda ; quia 1. lumen præfert *Auditori*, ut intelligat, quid, & quo ordine dicendum ſit ; adjuvat memoriam, ut facilè reminiſcatur, quid primum, quid ſecundùm fuerit ; levat faſtidium, & recreat animum admonitione ſingularum partium, quemadmodum viatorem reficiunt ſpatia, certis lapidibus, & intervallis diſtincta. *Oratori* verò ſervit ad moderandam ſingularum partium molem, omnia ad unum finem referenda, evitandas faſtidioſas iterationes, certósque ſibi figendos terminos, quos ultra, citráque exire non liceat, memoriam denique ad firmandam. Mirum autem quàm hæc partitio, ſummis mediis, imis placeat, ut huic aſſueti, vix alium, ſolutiùs nec eodem ordine dicentem ferant.

Quot ſunt partitionis membra ? R. Mos hodiernorum obtinuit, ut ferè duobus membris, aut tribus finiatur, quod intra tempus ad dicendum, conceſſum commodè pertractari queant. Quintilianus tamen ait : illos non probaverim, qui partitionem vetant ultra tres partes extendere. *Hoc enim numero velut lege non eſt alligandâ, cùm cauſa plures poſſit deſiderare.* Cæterùm Quintilianus de cauſis judicialibus loquitur, quarum alia à noſtris ratio eſt.

Quæ ſunt leges bonæ partitionis ? R. 1. Sit plena, & fidelis membris inter ſe aliquam relationem habentibus, vel oppoſitis ; 2. plana ; 3. perſpicua ; 4. ordinata.

Quæ eſt plena partitio ? R. Quæ capitalium argumentorum in confirmatione afferendorum nullum prætermittat, ſed ſimul, omnia ſub unum conſpectum ponat. *Fidelis* ſit

præterea, ne harum, quas pollicita eſt partim, ullam omittat, aut alio ordine collocet. Si amplior opinione materia, quæ intra horam exhauriri nequeat, ſe obtulerit, membrum alterum vel ſupprimendum erit, vel differendum.

2. *Membra habeat inter ſe relata, vel oppoſita*, non equidem ut antitheſin contineant, ſed ne unum membrum in alio includatur. Sic vitioſa eſſet diviſio: *In Pompejo fuit ſcientia rei militaris; 2. peritia caſtra metandi; 3. virtus, &c.* Peritia caſtra metandi, ſcientia militaris continetur; utì & iſta: dicam *primò de ejus fortitudine, ſecundò de mortis contemptu*, qui eſt actus fortitudinis. 2. Neque diviſionis nomen meretur, ſi diſparata tractes, dicásque, agam primô locô *de damno pravæ ſodalitatis, deinde de eloquentiæ ſtudio*, quibus inter ſe, niſi remotè admodum nihil commune eſt. Melior illa, etſi fortaſſe nimis generalis: *Dicam 1. de cauſis: 2. damnis; 3. remedio iræ.* Talis enim diviſio libri potiùs foret, quàm horariæ concionis. 3. Relationem verò inter ſe habebunt membra, ſi v. g. ſint effectus ejuſdem cauſæ, vel ejuſdem totius partes, vel relata propriè dicta, ùt: *Magiſter diſcipulus, dare accipere*, &c. id quod ex iis, quæ ſubjiciam, exemplis magis eluceſcet.

3. *Plana* ſit, naturalis, obvia, minimè contorta, aut quæ ingenii plùs habeat, quàm ingenuæ, ſimplicísque veritatis. Studioſè exquiſita Antitheta ſcholam ſapiunt, & artem; offuſcant, quam illuſtrare debebant orationem. Nempe quidquid ad naturam accedit proximè, decoris habet plurimum. Quid ſimplicius ac: 1. Amicitia vel pares reperit, 2. vel facit? Studendum Hiſtoriæ, quia 1. delectat, 2. docet. Calumniantibus facilè credere, 1. vel improbi ingenii eſt, 2. vel puerilis. Homo per omnia felix, nam 1. opes poſſidet, 2. & mentem. Linguæ impera, nam 1, multos pœnituit locutos fuiſſe, 2. neminem tacuiſſe.

4. *Perſpicua ſit, & brevis*, verbis propriis, & maximè ſignificantibus, nec multo ſynonimorum circumductu, ne quod claritatis, ac facilioris intellectionis causâ inventum eſt, obſcurum fiat. Quamquam ſacri Oratores nonnulli partitionis argumentum aliis, aliísque formulis ita exponunt, nihil ut lædatur, perſpicuitas.

5. Sit

5. Sit *ordinata*, ita ut præmittantur ea, quibus præmiſſis cætera faciliùs intelligi poſſunt. Quando per *Incrementum* ſtruitur oratio, ùt ſtruitur elegantiſſimè, conſtat alioquin, primum firma, firmiora ſecundum, firmiſſima poſtremum facere partitionis membrum; ùt: *Pax cum Antonio turpis eſt*, apud cordatos, & arrogantes Romanos multùm valet argumentum ab honeſto: *periculoſa eſt*, ab utili aliquantò validiùs percellit: *fieri non poteſt*, deliberationem omnem ſimpliciter abrumpit. In eundem modum: *Roſcius non habuit cauſam occidendi patrem*, multùm probat: *non habuit facultatem*, planè convincit.

E quibus fontibus petenda eſt juſta partitio? R. Ut idoneo aliquo nexu cohæreant inter ſe partitionis membra, ſinguli ferè loci Rhetorici ſervient. Ut 1. A *definitione illuſtri*: Hiſtoria eſt 1. Lux veritatis colluſtrando intellectui. 2. Magiſtra vitæ dirigendis vitæ actionibus. *Item*: Cave C. Octavi dedere Antonio Ciceronem 1. Patrem Patriæ. 2. Patrem, quem vocabas tuum. Joſephus Imperator 1. ſuorum amor; 2. hoſtium terror. *Item*: Philoſophia 1. indagatrix virtutum; 2. expultrix vitiorum.

Ab Enumeratione partium, ùt: belli tam gravis, tam diutini onus jam non ferunt opulenti, ac nobiles; 2. ſuccumbunt cives; 3. ad incitas rediguntur aggreſtes. *Item*: Diſciplinam militarem reſtituit 1. otium exercitatione diſcuſſit, 2. Rapacitatem ſubvecto largiter commeatu repreſſit; 3. Pervicaciam ſeveritate fregit. *Item*: Auguſtus Senatui, 2. populo, 3. militi ex æquo charus.

A Cauſis: Templum auguſtum 1. à materia, 2. ab arte, 3. religionum cultu. *Item*: non eſt bellum indicendum, quia 1. nec ſubeſt cauſa, 2. nec adſunt vires. *Item*: in Belgrado expugnando multùm potuit 1. Fortitudo Ducis, 2, nonnihil felicitas, 3. plurimùm prudentia Eugenii. *Item*: inclinat in lapſum reſpublica, quia labat 1 antiquum religionis ſtudium, 2. Juſtitia in tribunalibus, 3. Clementia in populum.

Ab Effectis: Curſitatio per exteras Provincias exturbat ex animis 1. nativam probitatem, 2. è corpore valetudinem, 3. è loculis argentum. *Item*: qui laudant ingenia Novatorum, 1. fallunt ſeipſos, 2. Rempublicam in pericu-

riculum conjiciunt. *Item:* Bella, & diſſidia litteraria 1. plures litteratos procreant, 2. litteris ipſis novas acceſſiones faciunt. *Item:* Corcordia Chriſtianorum Principum 1. felicem faceret Europam, 2. Turcis liberaret Aſiam. *Item:* magna pars vitæ elabitur nihil agentibus, major aliud agentibus.

A Contrariis, & Relatis. Filii ſæpè officio deſunt erga Parentes, 2. ſæpè parentes erga filios. *Item:* in natali magni Principis gratulor Patri filium natum, 2. Regno Patrem, *Item:* Multum Auſtriæ debet Religio orthodoxa, 2. plùs Religioni Auſtria. *Item:* Eminuit Adoleſcens inter condiſcipulos, 2. Vir inter Doctores. *Item:* Si ſteterit Carthago, nihil oberit Romæ, 2. multum etiam proderit.

Ab Adjunctis Temporis. Ingratus perdit beneficia, quæ accepit; 2. nulla accipit in præſenti; 3. non accipiet. *Item:* Conſiliarius ſapiens, 1. in judicandis, æſtimandiſque præſentibus Imperii negotiis, 2. perſpicax, & cautus in providendis futuris. *Loci:* Eloquentia victrix in Eccleſia, 2. in Curia, *Item:* Princeps domi amatus, 2. foris formidatus. *Ætatis:* Labor honeſtus juventutem, 2. nec minùs ſenectutem decet. *Item:* Mendacium indecorum viro, 2. magìs Chriſtiano, 3. magìs Sacerdoti. *Item:* Therſites noſter corpore deformis, 2. animo longè turpior. *Proprietatibus:* Palatium nulli cedit nec firmitate, 2. magnificentia, 3. nec venuſtate.

Ab Antecedentibus, Conſequentibus. Ituri in prælium majores veſtros cogitate, 2. & poſteros. *Item:* Ut ne te efferas, reminiſcere, quid fueris, antequam naſcerêre, 2. quid futurus ſis. *Item:* Exponam, ùt ſe habuerint bonæ litteræ ante inventam Typographiam, 2. poſt inventam. *Item:* Virtute ſuperavit majores, 2. vix ſuperabitur à poſteris,

A Comparatione. Major Auguſto, 2. Trojano melior. *Item:* Pace magnus, 2. bello major, 3. Religione maximus. *Item:* Imperator Carolo M. non minor, 2. par Ottoni M. *Item:* Nemo inde à Cæſare vel Ducum, aut plures retulit in campo victorias, 2. aut grandiores.

Non

Non alii item ſunt fontes aptæ Partitionis? R. Præter Locos ſunt item argumentationes reliquæ, & quibus ſuapte fluit, ùt ab *Enthymemate*: Ut mundus conſilio aliquo regitur, ergo 2. ab æterna illa mente, & providentia, quem DEUM vocamus. *A Dilemmate:* Cicero mortem contemnendam probat; ſi enim, ùt quidam, cum vita ſenſus reſtringuuntur, fugiendum non eſt carere ſenſu, 2. ſi immortalis eſt animus, optandum meliore ſenſu vigere. *A Sorite:* Idem de Affectibus moderandis; Qualiter affectus quis, talis eſt homo; 2. qualis homo talis ratio, & ſermo; orationi facta, vitáqua eſt ſimillima. *Item:* Voluptas egeſtatem, 2. egeſtas rapinas, & omne ſcelus parit.

Ad Caput X. *De Confirmatione.*

Quid eſt Confirmatio? R. Eſt ipſum corpus orationis, in quo argumenta, eorúmque amplificatio ad fidem faciendam reponuntur, unde & ab Ariſtotele *Fides* appellatur. Ejus pars eſt *Confutatio*, quâ objecta ab Adverſario, vel quæ objici poſſent, rationes diluuntur, aut negando, aut redarguendo, aut elevando. Hæc in Judiciali Genere rarò omitti poterat, ne in ſuaſorio quidem facilè omittenda eſt, præſertim ſacro, ínque thematis, vel dogmatis ſenſui admodum repugnantibus, ubi ita ſtabilienda ſingula, ut effugium omne præcludatur; luce veritatis Evangelicæ perſtricta convincatur humana ratio; & vel elabi volentes, quaſi reti concluſi teneantur.

De Confirmatione, ac Confutatione, de Statu, ejúsque generibus, de Ratione, Firmamento, Judicatione multa è veteribus congeſſit Soarius, quæ Juriſconſulto, ac forenſi neutiquam negligenda, & legenda ab Rhetore, qui in criminali, vel civili cauſa declamando ſe exercere voluerit. Pluribus immorari non eſt operæ, & utilioribus ſervandum breve alioquin ſcholaſticæ inſtitutionis tempus.

Ad Caput XVI. *De Argumentatione.*

Quid eſt Argumentatio? R. Eſt artificioſa argumenti explicatio. Namque cruta è locis, & in partitione recenſita argumenta, ex ſe imbecilla ſunt, & exilia, niſi accedat

dat argumentatio, quæ eſt nervus orationis, & in eo diſtinguitur ab argumento, quòd hæc *modus*, ſeu ratio ſit, illud explicandi; argumentum verò *materia* ſit argumentationis.

Quot ſunt argumentationum ſpecies? R. 1. Ratiocinatio, ſive Syllogiſmus, 2. Enthymema, 3. Epicherema, 4. Collectio, 4. Sorites, 6. Dilemma, 7. Inductio, 8. Exemplum.

Caput XVII.

De Ratiocinatione, & Syllogiſmo.

QUid eſt Syllogiſmus? R. Argumentatio perfectiſſima conſtans tribus partibus: Propoſitione, Aſſumptione, Complexione, quas Dialectici *Majorem*, *Minorem*, & *Conſequentiam* vocant, quo loquendi modo etiam ſubinde deinceps utemur. Ratio porrò conficiendi Syllogiſmi in eo eſt, ut Hypotheſin ad Theſin reducas, atque alterutra generica ſit, additis vocibus partitivis, *Omnis*, *nullus*, *quandocunque*, *ubicunque*, &c. ſaltèm ſubintellectis. Erit hæc pars una, deinde id, de quo ſermo eſt, ſub uno genere contineri; denique quod generi, hoc etiam ſingulari convenire dices, quæ erit pars ſecunda, & tertia, v. g. Propoſitio ſit: *Omne, quod nocet, fugiendum*, ſubjice Generi particularem thematis, vel ſubjecti, *ſed voluptas nocet*: è Generali, & particulari exiſtet complexio, ſeu Conſequentia: *Ergo voluptas eſt fugienda.* Item: Nemo magìs liber eſt, ac is, cui licet vivere, ùt vult; atqui mihi licet vivere, ùt volo, ergo liber ſum. Atque hic Syllogiſmus Philoſophicus eſt magìs, quàm Oratorius.

Quid eſt Syllogiſmus Oratorius? R. Qui præter tres illas, duabus inſuper partibus conſtat, nempe Probatione Majoris, & Probatione Minoris, itaque quinque-partitus eſt. Ut in ſuperiore exemplo: *Quidquid nocet, fugiendum*, Probabis ex eo, quia nocere dicuntur illa, quæ dolorem, vel interitum afferunt, & à quibus ipſa bruta naturâ abhorrent. Minorem, ſeu quòd voluptas noceat, proba[illegible], *quia corpori morbos, animo dolorem, fortunis jacturam affert.* Talis eſt illa Ciceronis ratiocinatio: Quod conſiliò, & providentiâ regitur, optimè regitur. *Prob. Major. Exercitus enim,*

enim, cui præpositus est sapientissimus Imperator, commodè regitur. Mundus autem consiliò, & sapientia regitur. *Prob. Min. Nam & Signorum obitus, & ortus: qui definitum quendam ordinem servant, & annuæ quædam commutationes ad utilitatem rerum omnium sunt accommodatæ, sapientissimum aliquod numen esse ostendunt, à quo reguntur*: Providentiâ igitur mundus optimè administratur.

Sit thema: Æneidem Virgilii etsi non elaboratam, nequaquam tamen (quod ille jusserat) cremandam, *Argumentum*, quia qualis qualis est, magnam Romano nomini gloriam afferet. *Major:* Nequaquam abolendum est, è quo Romano nomini gloriæ aliquid accedet: *Prob. Maj. Hanc enim charitatem Patriæ boni omnes cives debemus, ut non modò vitam, & salutem, ejus salute posteriora ducamus, sed & de gloria augenda velut de re nostra pugnemus.* Minor Æneis autem imperfecta perhonorifica erit nomini Romano. *Prob. Min. Tanti enim ingenii, ac sapientiæ opus est, ut Homericæ Odysseæ, solùm propè mille annos concedat, & gloriarì possit Roma, Græciam à se, ùt armis, ita ingenio victam. Igitur ignibus nequaquam abolenda est.*

Thema. Ciceroni in castra Pompeji eundum non est. *Argumentum.* Præstat, ut Pacificatoris, & Sequestri partes sustineat. *Major.* Cujusvis boni civis est, si efficere se aliquid posse speret, potiùs Pacem inter assidentes pro virili procurare, quàm se in partes dare. *Prob. Maj. Bella enim civilia, utram in partem abeat victoria, malorum extremum sunt, & patriæ certissima pernicies. Minor.* Cicero verò, & bonus civis est, & ad pacem efficere aliquid potest. *Prob. Min. Quis autem Patriæ amantior Tullio, quam vel capitis sui periculo oppressa Catilinaria conjuratione ab interitu servavit? aut quis Pompejo simul & Cæsari, vel charior, vel minùs suspectus? quis eloquentiâ, vel authoritate majori Sequestrem aget?* Igitur nec in Pompeji castra, nec alterius partes eundum.

Thema. Cavendum est à relapsu in peccatum. *Argumentum.* Peccatum relapsi majus est, quàm lapsi. *Major.* A majori peccato magis cavendum. *Prob. Major. Cui nempe, & majores à DEO vindice pœnæ constituræ, & major rectæ rationis, aut Divinæ legis contemptus inest. Minor.*

Sed

Sed gravius eſt relapſi peccatum, quàm lapſi. *Prob. Minor. Nam ſæpè primò ex inconſiderantia labitur; at ſi recidamus, vel malitiâ fit, vel præſidentiâ de venia mox impetranda; certè magna adversùs DEUM ingratitudine, quæ longè graviora ſunt.* Igitur valde cavendum, ne vetera peccata novis augeamus, ſed ita ſurgamus à primo, ut non relabamur in ſecundum.

Sempérne quinque-partitus erit Syllogiſmus Oratorius? R. Nequaquam. Si enim Major, aut Minor alioquin non probabilis tantùm, ſed certa, perſpicua, & propè evidens ſit, quadripartipartitus erit, aut tripartitus, ſi utraque. Quid enim rem nemini dubiam, omnibus certam firmare inſuper, lucémque luci affundere velis? Ita in propoſitis Exemplis Probatione minimè egent generales illæ: *Quidquid nocet, fugiendum. Non abolendum, quod Romæ gloriæ ſit, &c.*

Quid aliud in Syllogiſmo obſervandum? R. Syllogiſmo cuilibet ineſſe argumentum à Genere, præter Argumentum è quoquo alio loco ductum. 2. Perinde fore, ſeu univerſalis in majore, vel minore ponatur; 3. Nequaquam tam ſiccè, & jejunè tractandum Syllogiſmum, ùt Logici ſolent, & niſi amplificatio accedat, ſine robore in concione fore.

Ad Caput XIX. & XXII.
De Enthymemate, & Epicheremate.

QUid eſt Enthymema? R. Syllogiſmus imperfectus, duabus tantùm partibus conſtans, quarum prior, *Antecedens*, altera *Concluſio* dicitur. Omittitur autem pars generalis, utpote notior, nec probationis egens, ſubinde & particularis. Ut: omnes artes ſunt expetendæ, igitur & Rhetorica. Vel Rhetorica eſt ars, igitur expetenda. Eundem in modum è ſuperioribus Syllogiſmis Enthymemata facies: Mundus rectiſſimè gubernatur, ergo à DEO. Nocet voluptas, ergo fugienda. Æneis honorifica erit Romanis, igitur ſervanda. Cicero Pacificatoris partes meliùs egerit, ergo in caſtra non eundum. Graviora ſunt relapſorum peccata, igitur magis cavenda.

Quis uſus Enthymematum? R. Rhetori crebrior, quàm Philoſopho; partim ut artificium occultet, quod agnitum

oratio-

orationis robur infringit; quâ causâ etiam Syllogismi partes ad varietatem transponi solent; partim ut ne Tyronum more in locos communes evagetur Orator; probet, quod nemo negat, & velut candelam accendat in meridie; validiùs item penetrant punctímque, ùt ajunt, & cæsim feriunt ejusmodi frequentata Enthymemata; quò tectiora sint, ferè per figuram aliquam efferuntur, ùt: *Pacem vult Antonius, arma ponat.* Arma non ponit, ergo pacem non vult. Item: *A quo M. Cato Consulem æquiùs est defendi, ac à Consule?* q. d. Consul sum, quare æquum est, ut Murænam item Consulem defendam.

Quid est Epicherema? R. Enthymemate contractior, & unica propositione constans argumentatio, quâ tamen reliquæ Syllogismi partes subintelliguntur, ùt: *Sine causa servus Dominum accuset?* Æquivalet huic Syllogismo: Sine causa servus Dominum accusare non debet, quia naturæ servitutis repugnat: sed hic servus est Titii, quia pretio ab eo emptus, ergo sine causa Titium accusare non debet. Ita Syllogismum contingeret: *An unicus nobis Pacis author relictus Cicero in castris Pompeij cernatur? Æneis opus Romæ tam gloriosum cremetur?*

Ad Caput XX. *De Inductione.*

Quid est Inductio? R. Argumentatio, in qua ex multis singularibus non dubiis infertur aliquid ipsis simile; Ut: navigaturus navem quærit non coloribus illitam, vel aurô, sed firmam, & velocem: In gladio aciem spectas, non vaginam gemmeam; Regulam, non quàm pulcra sit, sed quàm recta quæris; Itaque & hominem intueberis, non quàm dives, sed quàm bonus sit. *Item:* Quis optimus arborum fructus, nisi qui dulcissimus? Quod astrum primum, nisi quod clarissimum? Quænam summa pulchritudo, nisi in qua lineamenta omnia perfecto ordine consentiant? Quænam igitur præstantissima virtutum, nisi prudentia, cujus fructus optimi, fulgor eximius, ordo perfectus. Hoc argumentandi genus, quia Socrati familiare, Socraticum dictum fuit.

Quotupliciter fit Inductio? R. Ab Enumeratione partium specificarum; *Vir est insigni modestiâ, humanitate singulari,*

nec

nec vulgari prudentia, ergo virtute præditus. Verùm hæc ratio nihil à loco differt.

2. A Congerie similium, ùt: putent aquæ, nî moveantur: Aër deses fit pestilens; rubigine eroditur ferrum, nî exerceatur, æs ærugine; senticeta fiunt agri inarati, ergo otium non erit sine vitio. *Item:* Faciem, manúsque abluis, & perpurgas studiosè, cinnos concinnas, vestem componis, domô sordes everris, equum ipsum ornatum cupis, & animum partem tui optimam incultum finis? *Item:* Surgit è thalamo suo aurora; aves læto cantu novam lucem salutant; fabri primo diluculo incudem fatigant, & tu bonarum litterarum studiose quando evigilabis?

3. A Comparatis, seu exemplis pluribus: Ovidius. Si felix fuisset Troja, quis Hectorem nôsset? Si nulla tempestas, quis Typhin? Si nulli morbi, quis Machaonem? Igitur duris è rebus venit gloria. Pulcherrima autem est illa Ciceronis inductio: *Quibus gradibus Romulus ascendit in cælum? quibus Numa Pompilius? puto rebus gestis, & virtutibus. Quid Bruto præter officium in Patriam propositum fuit? Quid C. Mutium ad cædem Porsenæ incitavit? Quæ res Horatium Coclitem in ponte animavit? Quæ vis Patrem Decium, quæ filium devovit orco? Quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victûs M. Curii sectabatur? quid duo Scipiones, & horum ætati interjectus Cato? An horum quisquam sibi in vita quidquam expetendum cogitabat, nisi quod laudabile, & præclarum videretur?*

Quid est Exemplum? R. Inductio imperfecta, qua ab uno pari ad aliud simile fit argumentum, & vix differt à loco comparationis v. g. M. Horatius, cùm manu sua sororem interfectam fateretur, populi Romani judiciô absolutus est, ergo non omnis capitalis est, qui à se hominem occisum fateatur. Differt ab Enthymemate, quòd in hoc semper aliquid genericum ponatur, vel intelligatur.

Ad Capur XXIII. *De Sorite.*

Quid est Sorites? R. A Græco Σόρος, *Cumulus, Acervus*, quasi Acervalis argumentatio, qua ex multis propositionibus, quarum una ducatur ex altera, aliquid infertur.

tur. Ut Cicero. *Si Prætor pecuniam dedit, ùt eſt ſcriptum, à Quæſtore numeravit; Quæſtor à publica menſa; publica menſa ex vectigali, & tributo: ergo ſi Prætor pecuniam dedit, ex vectigali dedit.* Item: *Affricano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit, igitur Affricano induſtria &c.* In eundem modum argumentabere: Ciceroni labor eloquentiam, eloquentia habilitatem, habilitas æſtimationem, & amorem, æſtimatio Conſularem dignitatem peperit, ergo labor Tullium Conſulem fecit. Tale eſt illud Filii Themiſtoclis: Quod mihi placet, placet & Matri; quod Matri, probatur & Themiſtocli Patri; quod Themiſtocli, videtur & Athenienſibus. Sic item dices: frequens in graviora peccata relapſus conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem, neceſſitas remedii deſperationem inducit, ergo frequens relapſus ſpem ſalutis abrumpit.

In captioſo hoc, & fallaci argumentandi genere, quo Zeno Stoicorum Princeps uti amabat, attendendum ad ſingula membra; uno enim gradu fallace, gradatio tota perturbatur. Ut eſt vulgare illud: Bibliopola habet multos libros, eósque ſæpè evolvit; qui hos ſæpè evolvit, multùm ſtudet; qui multuùm ſtudet, evadet doctus, ergo Bibliopola evadit doctus. Fallit prima propoſitio, quæ verbum *evolvo* pro *lego ſciendi causâ* accipit. Huic genuinum eſt: Qui bene bibit, bene dormit, qui bene dormit, non peccat, qui non peccat, venit ad cœlum, ergo qui bene bibit, venit ad cœlum.

Ad Caput XXIV. *De Dilemmate.*

Quid eſt Dilemma? R. Latinè utrinque captio, eſt argumentatio conſtans duabus partibus contrariis, quæ utrinque adverſarium capiunt, unde cornutus Syllogiſmus appellatur, cujus alterum cornu, ſi effugeris, in alterum incurres. Sic probabis dolorem æquè ferendum: *Levis eſt dolor, vel vehemens: Si levis, tolerabilis eſt, ſi vehemens, haud erit diutinus.* Cicero Legatos ad Antonium mittendos diſuadens: *Legatos mittitis, an ut deprecentur, an ut imperent? ſi deprecentur, contemnet: ſi imperabunt, non audientur.* Idem in Piſonem: *Triumphi, vel prædæ cupiditas te ad Provinciæ petitionem rapiebat: non triumphi, ùt tuæ*

profiteris, igitur prædæ. Idem in Philippicis: *Interfectores Cæsaris vel sunt Patriæ liberatores, vel parricidæ: Si liberatores, stultè arguor à te socius eorum fuisse; si parricidæ, cur à te honoris causâ nominantur?* Pro Roscio: vel per se, vel per alios occidit Patrem: non per se, quia cùm occideretur, Romæ non fuit: non per alios, quorum proferri nullus potest. Ita Tertullianus contra edictum Trajani, prohibentis inquiri in Christianos, at si deferantur, necari jubentis: *Vel Impii sunt Christiani, vel non: si impii, conquirendi sunt, & necandi, sin minùs, nec cùm deferuntur, puniendi sunt, quòd Christiani sint.* Qui differt pœnitere, vel putat sibi fore tempus, & gratiam pœnitendi, vel non: si putat, impius est, si non, amens.

Quomodo solvi potest Dilemma? R. Si verum sit, solvi nequit; si falsum, diluitur, vel negando, vel retorquendo, vel distinguendo. Ita dilemma illud Ciceronis: *Si placabiles sunt iræ, summa levitas; si inexorabiles, summa acerbitas*; infirmari potest dicendo: *Si oblata honesta parcendi occasione placabiles sunt, summa lenitas potiùs erit, quàm levitas; si inexorabiles, justáque de causa susceptæ, & confirmatæ, summa justitia.* Memoriam meretur celebre illud Evathli, qui cum Protagora Eloquentiæ Magistro magnam pacuniæ summam pactus fuerat, si primâ quam acturus erat causâ, victor evaserit. Jam Rhetoricæ præceptis plenè institutus, negat pactam mercedem: Causam intentat Protagoras Magister: *Debes*, inquit, *mercedem, si enim vicero, debes ùt condemnatus: si viceris, debes è pacto.* Retorsit vafer discipulus: *Nihil habebis*, ait, *si enim vicero, è Judicum sententia nihil debeo; causâ si cecidero, nihil debeo.* Ajunt sapientissimos alioquin Areopagitas ita confusos, ut lis in hanc diem pendeat.

De Collectione.

Quid est Collectio? R. Nihil equidem hujus Soarius meminit; meminêre Præceptores recentiores plerique, & magni usûs est, & parùm differt à Syllogismo quinque-partito: Est enim argumentatio quinque item Partibus constans. 1. *Propositione:* quæ minùs nota est, seu major sit, seu minor. 2. Propositionis *Ratione.* 3. Rationis *Confirmatione.*

matione. 4. Confirmationis *Exornatione*, ſeu Amplificatione. 5. *Concluſione*, quæ cum Propoſitione eadem eſt. Exemplum afferunt è Catilinaria ſecunda, & tertia, quarum utraque, quanta eſt, tali Collectione finitur. Secundæ propoſitio eſt: 1. Utile eſt, Catilinam cum ſuis urbe ceſſiſſe. 2. Ratio: Quia intra urbem horum inſidiæ magis timendæ erant. 3. Confirmatio rationis: Nimis enim audaces, callidi, flagitioſi, vix ut ab iis ſatis caveri poſſet. 4. Exornatio, ſeu amplificatio Confirmationis: Colluvies illa foris non ſubſiſtet contra legionum robur, Conſulis vigilantiam, Deorum auſpicia. Complexio: ergo bene actum, quòd urbe exceſſerint.

Catilinariæ tertiæ: 3. *Propoſitio*: Hic dies, quo oppreſſa eſt conjuratio, ſupplicatione Deorum eſt celebrandus. 2. *Ratio*: Quia Cicero hodie Rempublicam propè deletam conſervavit. 3. *Confirmatio* Rationis: Nam conjurationem tectiſſimam manifeſtis indiciis deprehendit. 4. *Exornatio* Confirmationis: ídque brevi tempore,, ſine internecione civium, togatus Conſul. 5. *Complexio*: Hic ergo dies ſupplicatione celebrandus eſt.

Turpis eſt maledicentia de abſentibus: *Ratio*, quia charitatem, primam Chriſtianorum tantopere commendatam virtutem graviter lædit. *Confirmatio*, namque & offendiculum offert præſentibus; & abſentem, de quo maledicitur, ad vindictam incitat. *Exornatio*, qui rem abſenti malo dolo eripit, graviter lædit, at longè acerbioris ſenſûs eſt famæ imminutio. *Complexio*, ergo turpis eſt maledicentia.

Propoſitio, Nullum vitiorum impuritate periculoſius; *Ratio*, quia in hoc pendemus naturaliter, & hoſtem, incitatorémque domeſticum intra nos alimus. *Confirmatio*, Alitur is à nobis victu delicato, mollitie veſtium, libris, picturis parùm pudicis, paſſim ob oculos verſantibus, conſuetudine inverecundorum. *Exornatio*, Hic hoſtis nullas inducias præbet, diebus, noctibus inſidiatur, nullum hinc effugium. *Complexio*, ergo vitiorum omnium periculoſiſſima eſt impuritas.

De Tranſitione.

Quid eſt Tranſitio? R. Eſt nexus quidam orationis, quo fit, ut aptè inter ſe copulatæ illius partes concinnè

cohæreant, & unum quaſi corpus efficiant. Alia eſt perfecta, qua breviter monemus, & quid dictum ſit, & dicendum reſtet; ùt pro Manil. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Alia imperfecta, qua alterum tantùm exprimitur, ùt: *Age, jam illa videamus, quæ conſecuta ſunt.* Petuntur Tranſitiones plerumque ex aliqua figurarum, certa tamen præcepta dari nequeunt. A lectione Authorum, & ſuo cujusque ingenio pendet, argumentationes, ſeu partes orationis appoſitè inter ſe conjungere. Illa nimìs ſcholam olent, & jejuna ſunt: *Videte hujus rei, aſſerti rationem firmiſſimam &c. Quæ eſt hujus rei cauſa? reſpondet S. Auguſtinus, &c. Dicet aliquis, &c. Cui reſpondeo, &c. Rem probo ſic, &c.*

Igitur ſollicitè curanda eſt apta Tranſitio? R. Quoniam hæc incipientibus ſæpè moleſtiam faceſſit, & ſine hac parùm conſiſtit, ùt murus ſine calce, venuſta alioquin oratio. Ejus, ùt cæterorum omnium mirus eſt artifex Cicero, è quo excerptas ejuſmodi Tranſitionum Formulas adjeciſſe juverit.

Breviores ſunt: His adde. Huc accedit, quòd. Eódem pertinet. Jam verò quid dicam? Age verò explicemus nunc. His ſimillimum eſt. Poſtularet hic locus, ut dicerem. Reſtat, ut dicam. Nunc verò ſupereſt. Ex quo debet intelligi. Quid? quod & illud ſit. Omitto domeſticas tuas ſordes. Jam illud, quid attinet, commemorare? Ita eſt, quemadmodum dixi, &c.

Satìs multa de genere belli, nunc, de Imperatore deligendo dicendum videtur.

Hactenus de turpitudine; dicam deinceps, quod propoſui de periculo.

Uni criminationi reſpondi, venio nunc ad alteram.

Sed nimìs multa de nugis, ad majora veniamus.

Verùm ubi rerum teſtimonia adſunt, nihil opus eſt verbis.

Sed hæc vetera, illud recens: Cæſarem meò conſiliò interfectum.

Sed ne ex multis aliquid tranſiliat oratio, ad lupercalia veniamus.

Jam pondus rei, gravitatémque cognoſcite.

Sed jam ſatìs multa de cauſa: quid reſtat, niſi ut orem vos, & obteſter.

Quæſturâ illius demonſtratâ, reliqua attendite.

Atque

Atque ut inde oratio mea proficiſcatur, unde hæc omnis cauſa ducitur.

Atque ut faciliùs intelligere poſſitis, quid factum, ſi ab initio rem, quemadmodum geſta ſit, vobis exponam.

Sed hæc omittamus, loquamur potius de levitate hominis.

Id quò faciliùs facere poſſitis, dabo operam, à principio res quemadmodum geſta ſit, cognoſcatis.

Sed finis ſit, neque enim præ lachrymis jam loqui poſſum.

Sed quoniam emerſiſſe jam è vadis; ſcopulisque prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur.

Plura de hoc dixi, quàm conſtitueram, cætera videamus.

Ad ejus Tribunatum, qui ad ſe jam dudum me vocat, gradum faciamus.

Atque hæc oblectationis; illa neceſſitatis.

Hæc mihi ferè in mentem veniebant, quæ de dignitate dicerem, ſupereſt, ut:

Quibus rebus expoſitis ſatìs docuiſſe videor, quæ ſit animi præſtantia.

Sed quid ego longinqua commemoro?

Sed quid ego his argumentis utor, velut res obſcura foret, ac dubia?

Magna ſunt hæc, imò maxima. Jam verò quantò majus videbitur.

Multa hujusmodi proferre poſſem, ſed ad alia eundum eſt.

Nolo in hac re multus videri.

Sed quid ego hæc tam levia recordor?

Itaque fateamur neceſſe eſt, nihil difficiliùs eſſe.

Quid loquar, quanta voluptas hiſtoriam comitetur.

Jam verò illa notiora ſunt, quàm ut inhæream, illud obſcurius.

Vereor, ut quod dicam, perinde intelligi poſſit, atque ipſe cogitans ſentio.

Sinite me illa minora, & quotidiana prætermittere.

Illud etſi ad exitum feſtinet oratio, prætermittere nullò modò poſſum.

De turpitudine ſatìs dictum eſt, deinceps ad periculum tranſeamus.

Quod ad turpitudinem hactenus, nunc reliqua pertexamus.

Tempus eſt ad cæteras partes orationis proficiſci; deinceps igitur.

De ſtatutis diebus dixi, nunc de animalibus dicam.

Hæc de hero, quod ſequitur, de pecore.

De multitudine quoniam quod ſatìs eſt, admonui, de obſcuritate pauca dicam.

Hactenus de principio, quod ſequitur, de monſtro.

Jam quantum illud eſt, quod in occupationibus ſummis nunquam intermiſit ſtudia doctrinæ.

Utinam verò mihi ſatis eſſet ad dicendum, vel facultatis, vel temporis.

Hìc hìc Auditores animos ad inſignis facti memoriam ſempiternam erigite.

Sed hæc utcunque ferenda: illud verò quis ferat?

Audiſtis graviſſima, audite nunc graviora.

Sed hæc privatim, nunc quæ publicè geſta ſunt, videamus.

Verùm hæc miſſa facio, illud quàm.

Nihil jam dico de iſto ſcelere.

Poſtularet hic locus, ut dicerem de.

Ad Caput XXVI.

Quomodo Oratoriæ Argumentationes ſint tractandæ.

Quomodo tractandæ ſunt Argumentationes? R. Niſi varientur, tædium afferunt Auditori. Varietatem autem afferunt, 1. Si non eædem ſemper, ùt continentes Syllogiſmi, perpetua Enthymemata, &c. aſſumantur; ſed jam Dilemmate, deinceps collectione, &c. pugnetur. 2. Jam Major primùm, aliàs minor aſſumatur. 3. Aliàs una pars omnino omittatur. Ut Complexio, vel Conſequentia, quæ ſæpè poſt plures argumentationes rejicitur. 4. Si varietur amplificatio, alióque & alio ornatu excolantur Enthymemata. Ad quod maximè ſerviunt Figuræ. 5. Cùm orator, quod ſimpliciter affirmari poſſet, imperantis, operantis, dubitantis, communicantis, interrogantis, alloquentis, exclamantis more exponit.

Ut variari poteſt eadem argumentatio? R. Id in exemplo diſcas velim. *Propoſitio;* Præceptores laude afficiendi ſunt. *Argumentum* ab effectis: quia de Republica bene merentur. *Argumentatio* per Syllogyſinum; Qui de Republica bene merentur, laude afficiendi ſunt; hujuſmodi ſunt Præceptores, ergo laude afficiendi ſunt; Mutari poteſt hic Syllogiſmus in quinque-partitum: *Major:* Laudandi ſunt, qui de Republica bene merentur, *Prob.* Quia laus eſt præmium virtutis, ſolétque honeſtis viris tribui propter merita, in cives, patriam, & omne hominum genus. *Minor:* Præceptores bene merentur. *Prob.* Quia teſte Tullio

Tullio nullum munus Reipublicæ majus, meliúsque afferre poſſumus, quàm ſi doceamus, & erudiamus juventutem, iis præſertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omni ope coërcenda, & refrænanda ſit. *Concluſio.* Quis igitur dubiter, Præceptores omni laude, ac præconiô dignos?

Per Enthymema? Præceptores bene merentur de Republica, ergo laudandi.

Idem per Collectionem. Propoſitio: Præceptores ſunt laude afficiendi. *Probatio, ſeu ratio:* Quia docendo de Republica bene merentur. *Confirmatio:* Quid enim hoc munere docendi Reipubl. ſalubrius, ac utilius? *Exornatio:* Alii armis, alii togâ, ſcriptísque Reipublicæ ſtudeant, nos præceptis juventutem imbuamus, ex cujus recta inſtitutione omnis Imperatorum, togatorum, Scriptorúmque induſtria, ac virtus emanat. *Complexio:* Igitur Præceptores laudem merentur.

Per Soritem: Si quid laudis, ac virtutis habet puer, debet id Præceptori, illud autem adoleſcens pueritiæ bene inſtitutæ; vir adoleſcentiæ, virili ætati ſenectus, ſenectuti Respublica adſcribat, cujus hæc authoritate nititur, & ſapientiâ; ergo ſi quid laudis, virtutis, conſilii reſidet in Republiba, id peritis, ac ſedulis inſtitutoribus acceptum referat, oportet.

Per Dilemma: Traditi Præceptoribus Pueri, vel proderunt olim Reipubl. vel ignaviâ vaneſcent: ſi proderunt, Præceptorum opera laudabitur: ſi noxii erunt, & ignavi, vituperandi quidem iſti optimorum præceptorum neglectores, non inde minoris ſunt habendi illi, qui officiô functi fuerint ſuô.

Per Epicherema: Præceptores docendo bene de Republica merentes, laudem non commereantur?

Per Inductionem à pluribus exemplis: Socrates, Plato, Ariſtoteles, Quintilianus, aliíque ſingulis ætatibus clariſſimi viri magno in pretio fuêre, quòd in Gymnaſiis, ac Lycæis juventutem formarent, ergo. *A Similibus:* Laudantur hortulani, qui germina, ac plantas ſcitiſſimè educant; Laniſtæ, aut Choragi, qui ad gladiatoriam, aut ſaltatoriam majore ſuos induſtria inſtituunt; quin armentorum Paſtores, ſi hinnulos,

nulos, pullósque ſollicitè ad maturitatem procurent: & præceptores bonarum artium minùs in honore ſint?

Ad Caput XXVII.

De Peroratione.

Quid eſt Peroratio? R. Artificioſus terminus, vel exitus orationis, in quo id, quod oratione agebat orator, majore vehementia evincere, & obtinere contendit. In poſtema igitur hac parte vis omnis, ac nervi eloquentiæ exerendi, nempe à qua unicè pendet victoria. Quare graviter errant *Primò*: ii, qui diutino componendi labore defeſſi, poſtquam & eleganter exorſi, & aliquanto orationis curſu feliciter provecti utcunque fuêre, relangueſcunt, ac veluti deſtinatæ vento naves propè in portu adhærent; quando contrà æſtimatores boni, non aliunde meliùs, ac ex Peroratione de Oratoris præſtantia judicant. Item ii, qui in Confirmatione nihil moderantur ſibi, & vociferando ita ſe exhauriunt, ut ad extremum, ubi ſummâ & ſpirituum, & vocis contentione utendum eſſet, irrauceſcant, & ægrè intelligantur. Nota tamen, præter extremam hanc, cujuslibet orationis, ſeu Partitionis membro tectam aliquam Perorationem ſubjici poſſe; id quod ad ejus Partis argumenta, auditorum memoriæ magis imprimenda, multùm conferet.

Quæ ſunt Perorationis partes, ſeu officia? R. 1. Enumeratio argumentorum Confirmationis, recapitulatio, quæ Græcis Anacephalæoſis dicitur. 2. Affectus, cujus locus proprius, Peroratio eſt.

Quid obſervandum in Anacephalæoſi? R. Repetuntur argumenta præcipua, & validiſſima; quæque audientium animis maximè infixa velis. Si omnia repetes, nova erit oratio. Imitandi pictores, qui grandes tabulas artificio in tabellam exiguam contrahunt. Nec levis artis eſt, diffuſam orationem in compendium redigere tam aptum, ut qui ſub initium Perorationis venerit, nihil eorum ignoret, quæ per diſcurſum dicta fuerint. 2. Ne crambe diſſipiat, repetenda erunt, aliis verborum, & figurarum coloribus, ita tamen, ut ne juſto prolixior fiat peroratio. Ne exempla deſideres, Ciceronis Perorationes omnes legito, earúmque vim

vim, ardorem, impreſſionem miraberis. Unicam affero Manilianam, in qua Partitionis primùm membrum ita concludit: Quare videte, num dubitandum vobis ſit, omni ſtudiô in id bellum incumere, in quo 1. *Gloria nominis veſtri*, 2. *Salus Sociorum*. 3. *Vectigalia maxima*. 4. *Fortunæ plurimorum civium* cum Republica defenduntur. Rurſus in extrema oratione; Quare cùm bellum ita *neceſſarium* ſit, ut negligi non poſſit. 2. Ita *magnum*, ut accuratiſſimè ſit adminiſtrandum, & cùm Imperatorem ei præficere poſſitis, in quo ſit eximia *belli ſcientia*, 2. *Singularis virtus*, 3. Clariſſima *authoritas*, 4. Egregia *Fortuna*, dubitatis Quirites, quin hoc tantum boni, quod à Diis immortalibus oblatum, & datum eſt, in Rempublicam conſervandam, & amplificandam conferatis? En brevem, ſucoſámque totius Manilianæ epitomen.

Quod eſt alterum Perorationis officium? R. Affectus quorum hic propria ſedes eſt. Pro vario dicendi genere, commovendi ſunt varii: in Panegyrico amoris, admirationis, lætitiæ; in Deliberativo: timoris, confidentiæ, ſpei, deſiderii, diligentérque expendendum, quiſnam themati maximè conveniat, locíque, de quibus ſuprà egimus, conſulendi. Etſi verò jam convicto argumentis intellectu facilè voluntas in omnem, quò velis, partem flectatur, ardeat tamen ipſe, ardorémque voce, vultúque ipſo præſeferat Orator, ut incendat. Hac item parte ſummus fuit Cicero, clangore, & lamentatione forum perorando implere ſolitus, ut adeò de ſe ipſo prædicet: *Quid ego de miſerationibus loquar? quibus eò ſum uſus pluribus, quod etiamſi de eadem cauſa plures dicebamus, Perorationem tamen mihi omnes reliquebant, in qua, ut viderer excellere, non ingeniô, ſed dolore aſſequebar.*

APPENDIX.

De Exordio, Propoſitione, Partitione Orationis ſacræ.

DE EXORDIO.

AN alia eſt in Sacris, quàm profanis exordiendi Ratio? R. Præter jam enumeratos exordiorum fontes, is inſuper

Concionatorum proprius, maximèque uſitatus eſt, quo occurrens Evangelium, & Evangelii partem illam, è qua propoſitio ducitur, pluribus, & eum in modum exponunt, ut inde thema naturaliter fluat. Apud Gallos primi nominis Oratores vix aliud exordium reperias. Sive porrò factum aliquod exponendum ſit, amplificabitur, ùt de Narratione dictum; Si dictum, itidem à Patribus, Adjunctis, ùt Chriæ Paraphraſis, &c. paulùm deducetur. En exempla aliquot: In Evangelio de Leproſis: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, Exordium. His verbis Chriſtus ſuos, ad Sacerdotes, tanquam animarum Medicos dirigit; non ut in Synagoga, ubi Sacerdotes teſtandi quidem de ſanata lepra, non item medendi poteſtatem habebant. Mirum autem, quòd tot morbis graviſſimis conflictati, horreant hos medicos, differant, &c. Id inde eſt forſitan, quòd vim hujus medicinæ, id eſt, *Utilitatis ſacræ confeſſionis non intelligant, quas vobis pluribus exponam.*

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Exord. Naturæ hoc lumine notum eſt, ſi Domini omnibus in rebus inter ſe diſcrepent. Hoc intelligentes multi, qui DEO ſervire ſtatuerunt, cùm rebus omnibus abundarent &c. in ſolitudines, & clauſtra ſeceſſêre &c. Non id volo, ſed oſtendam, *quomodo & in ſæculum vocati, mundum fugere poſſint, ac debeant.*

Appropinquans flevit ſuper illam, quia ſi cognoviſſes & tu, &c. Exord. Prævidens innumera mala urbi ſuperventura, &c. hortatur ad reſipiſcentiam. Idem DEUS facit peccatorem videns, ut cor durum molliat, errantem ovem reducat; non equidem ſeipſo, ſed vel per ſuos miniſtros ad cor ſecretò loquitur, vel per certas inſpirationes, reprehenſiones internas, quas remorſum conſcientiæ vocamus: *Hunc remorſum, miſerentis DEI gratiam, nec negligendam eſſe oſtendam.*

Dic, ut hi duo filii mei ſedeant &c. Horum mater ſimpliciter pro filiis ſuis nuper piſcatoribus petit, non ut commodiùs habeant, ſed ut Reges fiant. Et credebat eos mereri, quod petebat, cùm duobus annis Chriſtum in tot ærumnis &c. conſectati eſſent. O quot hodie ſunt, qui ut domos, & familias ſuas augeant, non tam bonis artibus, ut

iſta

iſta mater, ſed extorſionibus &c. graſſantur: *In quæ verò pericula immoderatus hic ſuorum amor multos conjiciat, oſtendam.*

Præter communiſſimum hunc, probatiſſimúmque exordiendi modum, cæteris quoque uti licebit, quâ causâ Paradigmata quædam adjeci.

1. A Genere, ſeu Theſi: *Pax vobis, ego ſum, nolite timere.* Luc. 24. Phantaſia, & timor ſæpè in errorem inducit: ſic luna putatur major ſtellis; hæ ſtare videntur, & rapiuntur; remus in aqua curvus, naviganti ſylva fugere, Iridi veros eſſe colores, &c. Noctu quæ ſpectra timemus &c. Ita Apoſtoli Chriſtum pro ſpiritu habebant &c. Ita Chriſtiani vitam Chriſtianam, & ſpiritualem, ùt duram, & horridam aſpiciunt, *ego vobis amabilem eſſe, & jucundam demonſtrabo.*

2. Ab Adjunctis: *Remittuntur tibi peccata tua.* Luc. 7. Si Magdalena nempe publicè infamis ad ſolum Phariſæum veniſſet, ùt putatis accepta fuiſſet? ùt invectus in audacem Phariſæus? &c. per *Proſopopœjam.* At à Chriſto ſumma humanitate admiſſa, peccatis ſoluta &c. exemplo nimirum eſt: *Etiam maximos peccatores momento ſanctos fieri poſſe.*

3. A Contrario: *Chriſtus flagellô expellit nummularios.* Exord. Nunquam DEUS per ſeipſum, ſed per Miniſtros ſuos punivit, ùt Adamum, populum rebellem, Pharaonem, Sennacherib, &c. Hodie verò ipſe ſuis manibus è templo profligat impios: *Diſcite, quæ templis debeatur reverentia*

4. A Sententia: *Diligite inimicos veſtros.* Matth. 5. S. Gregorii egregia Sententia eſt: Apoſtolos vocatos eſſe non trahentes, ſed *mittentes retia ſua*, unde infert: Concionatori ſuam fore mercedem, ſi officiô fungatur, etſi nihil capiat. Metuo, ne ſterilis ſit hodie mea dictio, quâ Chriſti nomine vos rem auditu duram jubebo. Quòd ſi per veſtram duritiem nihil effecturum me præviderem, dicam tamen *diligendos inimicos.*

5. Ab Exemplo: *Quis me arguet de peccato?* Joan. 8. Carolus VII. Rex Galliæ, dum voluptatibus unicè vacat, monetur à Legato, cæſum exercitum, Provincias amitti. Is verò illi rocens ſtructa palatia, ornamenta, delicias, &c. oſten-

tendere. Tum Legatus : *Neminem vidi jucundiùs perire.* Agnovit acumen Rex, & omiſſis voluptatibus egit, quod agendum erat. Quî fieri poteſt, ut *mortali noxa conſtrictus, ludat, jocetur, rideat?* &c.

6. Ab Eruditione : *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum* &c. Trochilus quidam è naufragio ſervatus, ut domum venit, obſtrui in muro duas feneſtras juſſit, mare reſpicientes; ne ſi id placidum, amœnúmque videret, denuò libido navigandi veniret, *vitandæ nempe occaſiones ad malum allicientes.*

Opera ſua faciunt, ut videantur. Matt. 23. Phariſæi reprehenduntur, quòd bona opera facerent, ut videantur. Quot hodie Chriſtiani palàm in malitia gloriantur? Gyges Lydiæ Rex annulum habuit, quo inviſibilis factus, maxima ſceleræ perpetraverat. Is annulus hodie non emeretur, niſi leviſſimo. *Si peccare vobis certum eſt, at modeſtè ſaltem peccate.*

De Propoſitione Genrris Panegyrici ſacri.

QUandonam in Eccleſia Panegyricô utendum? R. In Feſtis Sanctorum ſolemnioribus, ùt Patroni Regionis, Urbis, Eccleſiæ, Facultatis, Communitatis alicujus, Fundatorum Ordinum Religioſorum, recens Canonizatorum, &c. in laudatorio genere, vel maximè, vel unicè verſandum. At in vulgaribus, ac ſtatis Apoſtolorum, Martyrum Feſtis, ſimpliciter doctrinæ morali inhærendum, & exemplis è vita Sancti petitis, ſi ſuppetant, in exordio, vel Confirmatione utendum.

Qualis debet Propoſitio Panegyrici Sacri? R. Itidem affecta, ùt ſuprà generatim de Propoſitione commemoravimus. *Imprimis* verò, ut quod ibidem ſecundo loco diximus, *Moderata* ſit, nec amplior, aut latiùs patens, quàm juſtæ orationis modulus admittat : deinde *Propria* magis, quàm translata, ſeu Allegorica, denique ſimul *Practica*, ſeu doctrinæ moralis ſemina continens.

Quomodo erit moderata? R. Si nec nimis multa complectatur, nec ita ſterilis ſit, ut orationem non impleat. Amplificatio, Panegyrici prima virtus, & veluti anima eſt, cui tamen locus non relinquetur, ſi v. g. D. Thomæ Aquinatis

natis virtutes omnes, quæque ante vitam, in vita, post mortem gesserit, enumerare velis, hoc est, librum conscribere. Deligentur itaque exornandæ una, duæ, aut tres virtutes; vel ex actis unum, aliúdve illustrius, ex quo una, plurésque virtutes eluceant. Sic de S. Josepho dices, satìs apparere ejus magnitudinem; quòd fuerit *Sponsus Virginis Deiparæ*, vel quòd *Nutritius Christi*. In *S. Dominico* extolles zelum adversùs hæreticos; vel quantum de Ecclesia meritus, sit, suscitato, sæpiùs ad populum prædicandi more; *Vel* Rosario Virginis in usum inducto. In S. Thoma Aquinate, vel castimoniam admirabilem, vel orandi studium, vel doctrinam divinitus haustam miraberis. *S. Ignatii* Conversio heroica aliàs tractabitur; alàs tricennarius inter pueros; iterum ejus prudentia plùs quàm humana; item quantum libello Exercitiorum boni creârit, &c. *S. Xaverius*: Ejus fortitudo, vel ardor divinæ gloriæ; mors in ipso Sinarum conspectu, &c. *Theresiæ* orandi fervor in summa siccitate, & supernæ unctionis derelictione, &c. Sic in altero Sancto paupertas Evangelica, in alio contemplandi donum, in alio singularis in DEUM fiducia, &c. deprædicabitur.

Quod erit Thema, seu Propositio in materia steriliore? R. Cùm de Sancto quopiam pauca extant, loco communi liberaliùs indulgendum, ac omnibus Sanctis Apostolis, Martyribus, Virginibus, &c. communia afferenda. 2. Si quid certi constet, potest fieri conjectura de aliis naturâ cohærentibus virtutibus. Quot enim virtutes in uno Martyrio insunt, & quanta amplificandi materia? 3. Recensèri possunt aliqua ad ejus sepulchrum prodigia: & Tutiores esse urbes à Reliquiis Sanctorum, quàm à mœnibus, &c. 4. Pars laudis ducetur à Parentibus, patria, natione, &c.

Quid sentiendum de thematis, seu Propositionibus Allegoricis? R. Servator ipse, orientalium populorum mori se accommodans, ferè in Parabolis loquebatur, semet Agricolæ, viti, agno, viæ, luci, pastori, januæ comparans. Evangelicæ doctrinæ pars magna notissimis parabolis de decem Virginibus, filio prodigo, Epulone, benefico Samaritano, talentis inter servos divisis, cœna magna, &c. continetur. Quare adeò rejiciendæ non sunt Allegoriæ hujusmodi, ut laudem mereantur, si cum dignitate graviter, & ad

& ad SS. Patrum methodum tractentur, neque tantundem Protaſi, hoc eſt, enumerandis Proprietatibus Vitis, Januæ, &c. quàm in Apodoſi, hoc eſt, fluente inde doctrina inhæreatur.

At verò probari haud poſſunt ii, qui cùm ſolemnior quidàm Panegyricus adornandus eſt, primò omnium de Allegoria circumſpiciunt, eundémque Sanctum, jam Leonem, jam Aquilam, aliàs Cedrum, Cypreſſum, ſubinde Hortum, Lilium, Roſam, &c. aliàs Solem, Heſperum, Iridem, q. in Deucalionem, Prometheum, Herculem, & neſcio quid faciunt, rémque eandem in ſexcentas formas transformant, nec minùs in Lilii adjunctis, quàm Sanctæ Virginis laudibus immorantur, ut Adeò Allegoria non unam partem occupet, ſed ipſum ſit orationis corpus. Præterquam enim, quòd hæc Sanctos Cœlites laudandi ratio veteribus incognita, probatiſſimíſque recentioribus omnino inuſitata eſt; Academicum quid, & ſcholàm ſapit; præterquam, quòd facillima eſt, nec magni, eáque-propter Tyronibus veræ Amplificationis per ætatem nondum capacibus fortaſſe permittenda. Sacrum Pulpitum *Proprium*, planúmque thema magìs decebit, ùt: fuiſſe ſui ſæculi, gentis, Ordinis ornamentum: vixiſſe ùt docuit: neminem habuiſſe, quem imitaretur, ipſum verò inimitabilem: Divinæ providentiæ à minimis ad maxima ducentis exemplum &c. De Sancto Angelo Tutelari eſſe *verum Amicum*. *S. Stephanus*: Summa ejus laudum, primum pro Chriſto mortuum. *Immaculata Conceptio*, quòd hæc quæſtio indeciſa ſit, ſummæ gloriæ Virgini cedere. *S. Joannes Baptiſta*, in uno eſſe dona omnium, ídque in gradu excellenti. *De Nomine JESU*: In hoc Nomine perfectiones divinas omnes relucere. *In Feſto Annunciationis*: Nemo fuit ſibi vilior Virgine, nemo DEO pretioſior &c. Plura exempla vide in capite ſequente.

An Panegyricum morali doctrina miſtum oportet? R. Non ideo ſolùm Sanctos laudari vult Eccleſia, ut grandem de eorum ſanctimonia exiſtimationem concipiat populus, verùm ut ad imitationem ſimul extimulet deſides, & meliores reddat admiratores. Quare è vitis ipſorum non tam quæ admiranda, quàm quæ item æmulanda ſint, eligentur; ac poſt amplificatum certæ virtutis actum ſubjicietur, quod

ad

ad mores inſtituendos faciat; modus imitandi proponetur; noſtra diſſolutio cum eorum ſanctimonia comparabitur; confutabuntur excuſationes frivolæ contra exercitium Evangelicæ perfectionis; oſtendetur facere nos poſſe, quod fecit alter, ùt nos, homo debilis &c. Hæc ratio Cœlitum encomiis ſalubres, & rei accommodatas adhortationes admiſcendi haud dubiè genuina Idea eſt Eccleſiaſtici Panegyrici. Exempla habes in Partitione.

De Propoſitione, ſeu Themate generis Deliberativi Sacri.

QUid obſervandum in Propoſitione generis ſuaſorii ſacri? R. In his minùs difficultatis, ac in Panegyricis, & materiarum prædicabilium campum aperient immenſum, Sanctum JESU Chriſti Evangelium, fons nunquam deficiens; SS. Patrum Commentarii; Octo Theologiæ Speculatricis, ac non pauci morales tractatus; Aſcetici, ac Concionatorii libri, Polyanthææ, Bibliothecæ Concionatoriæ, in quarum aditu occurrent Tituli: *Abſtinentia, Ambitio. Amor inimicorum. Amor ſui. Atheiſmus &c.* De quorum ſingulis libri extant ſingulares. Ut verò è ſylva infinita themata deligantur aptiſſima, tria præcipuè erunt obſervanda: 1. ut Propoſitio plerumque ex occurrente Evangelio ducatur. 2. quæ Auditori videatur accommodatior. 3. nec infinita ſit.

An ex Evangelio petendum eſt thema? R. Certè. Hoc enim Doctoris, & Legislatoris Chriſti verbum eſt, è quo cùm Religionis noſtræ myſteria, tum rectè vivendi præcepta interpretari, Chriſtiani Oratoris officium eſt. Pleraque porrò Evangelia in Dominicas, ac Feſta ab Eccleſia conſtituta adeò apertè certam aliquam doctrinam continent, ut ab ea diſcedere vix liceat; & ingratum ſit audienti, ſi liquidus textus aliò detorqueatur; cùm plerumque augurentur poſt Evangelium de Epulone, ſermonem fore de *periculis divitiarum*, vel *inferni pœnis*, vel *miſericordia in pauperes*. In converſione S. Magdalenæ, vel de filio prodigo: *De pœnitentia, aut morum converſione*. De ejectis Nummulariis: *De reverentia templis debita*. De ſervis torquentibus

bus conſervum: *De injuriis condonandis.* De quinque millibus paſtis in deſerto: *De fiducia in DEUM, &c.* Hâc causâ aliquibus minùs placent themata continuata, in quibus vel violentè in rem trahendum, vel deſerendum eſt prælectum Evangelium.

Quòd ſi plures materias contineat Evangelium? R. Aſſumenda erit illa, quæ captui, neceſſitati, & conditioni loci, & auditorum erit accommodatior. Alia ſunt urbium, ruralium hominum alia vitia. Etſi vulgaria ſint themata, & ſæpiùs, & à pluribus pertractata, nunquam ſatìs inculcari poſſunt.

3. *Quid infinitæ Propoſitionis nomine intelligis?* R. Eſt ea, quæ latiſſimè patet, ut ſi generatim dicas: *De officio hominis Chriſtiani: De remediis ad ſalutem: De linguæ vitiis comprimendis, &c.* Quæ librorum ſunt potiùs, quàm unius concionis argumentum. Generalia iſthæc neminem feriunt, nec niſi propiùs tangatur, quisquam ſibi dictum putat. Itaque quod alibi monitum, utiliſſima erit concio, quæ ne unam quidem virtutem ſibi exhauriendam aſſumpſerit, ſed in actione quadam ejus ſingulari enucleanda tota verſetur.

De Partitione Concionis in utroque genere.

AN in Concionibus item adhibenda Partitio? R. Si in ulla, in hac certè populari concione, ſumma dictionis tota clariſſimè, ſimpliciſſiméque partienda eſt. Perſuaſum ſibi habeat oportet Orator Auditorem ſibi eſſe, rerum à ſenſibus abſtractarum, ac cœleſtium, ſuprà quàm credi poſſit, rudem, tardum, indocilem; etſi ad cætera fortaſſis ſatìs perſpicacem, ad aſperas has Evangelii veritates propè cœcutientem; nihil adeò induſtriæ, ac artis prætermittendum, quò docilem, attentámque reddat plebeculam. Has inter artes primum locum tenet, *Divinum* hoc accuratæ *Partitionis artificium*, ſuperioris, ac fortaſſe hujus ſæculi Concionatoribus vel incognitum, vel parùm uſitatum. Hodie verò è recentioribus Italis, Gallis, quin & Hiſpanis, nullus ferè typis vulgatur Concionatorius liber, qui partitione non utatur. Sunt & in Germania noſtra nonnullis editis in lucem monumentis eloquentiæ laude inſignes, qui methodum can-

eandem, popularem adeò, & ad explicandum, & memoriam firmandam accommodatam, ſibi item imitandam duxêre. Quin ſunt quidam, qui generalem diviſionem attuliſſe non contenti, Diviſionis membra denuo ſubdividunt, iiſque limitibus circumſcribunt orationem, ut ne qua exerrare, aut memoria fallere poſſit. Exemplis res optimè declarabitur.

In Genere Panegyrico Sacro,

Sanctus Xaverius. In proferenda Chriſti lege mira fecit ut Apoſtolus, ſupravi es humanas. 2. Multa ut Apoſtolus contra regulas prudentiæ humanæ. *S. Thomas.* Thomæ incredulitas ſervit ad firmandam fidem noſtram. 2. Thomæ fides ad redarguendam incredulitatem noſtram. *S. Stephanus.* Plenus gratiâ ad annunciandum Evangelium. 2. Plenus fortitudine ad id morte ſua conteſtandum. *S. Saleſius. In fide, & lenitate ipſius Sanctum fecit illum.* Virtute lenitatis fregit hæreticos. 2. Dulcedine lenitatis inſtauravit Eccleſiam. *S. Franciſcus de Paula.* Omnes virtutes impendit ad ſe deprimendum. 2. DEUS omnes theſauros ſuos ad eum extollendum. *S. Joannes Baptiſta. Ut teſtimonium perhibeat de lumine.* Teſtimonium Joannis de Chriſto. 2. Teſtimonium Chriſti de Joanne. *Cathedra S. Petri.* Debemus Eccleſiæ obedientiam intellectûs ad credenda myſteria. 2. Obedientiam voluntatis ad implenda præcepta. *S. Magdalena.* Ejus converſio fuit prompta. 2. Generoſa. 3. Efficax. *S. Ignatius. Fidelis DEUS, qui vos vocavit in Societatem Filiiſui.* Fidelis DEUS in vocando Ignatio. 2 Fidelis Ignatius in aſſequendo vocantem DEUM. *S. Leopoldus.* Fecit ſuam Marchionis dignitatem ſervire pietati. 2. pietatem dignitati. *S. Auguſtinus.* Inter doctos ſanctiſſimus. 2. Inter Sanctos doctiſſimus. *Converſio S. Pauli.* Obſtacula Converſionis Pauli per gratiam remota, fiduciam excitent in peccatoribus. 2. Docilitas, & ſolicitudo Pauli, ut gratiæ cooperetur, pœnitentes ad Conſtantiam in propoſito animent. *S. Benedictus.* In ſolitudine docetur à DEO viam Chriſtianæ perfectionis. 2. S. Benedictus è ſolitudine eandem docet. *SS. Philippus, & Jacobus.* Secuti ſunt Chriſtum pauperem: 2. Prædicârunt incognitum. 3. Mortui ſunt pro Crucifixo amici ſinceri, zeloſi, animoſi. *S. Norbertus.* Divinâ gratiâ eductus ex aula, ac mundo. 2. Sua virtute ſublatus ad Eccleſiæ honores. *S. Paulus.* Prædicator veritatis. 2. Victima veritatis.

In Genere Deliberativo.

De Judicio temerario. Judex æquitatem habeat oportet. 2. Plenam cauſæ cognitionem. 3. Judicandi authoritatem legitimam.

Horum nobis nihil eſt. *Mala Conſcientia* impedit peccatorem, ne fruatur bonis hujus vitæ. 2. Facit, ut præſentiat pœnas futuræ. *DEI ſervitus.* Mundi bona incerta. 2. Vana. 3. Brevia. Divina contrà certa, ſolida, æterna. *Mors* inevitabilis. 2. Propinqua. 3. Sine regreſſu. *Temperantiam* ratio ſuadet, exempla docent. 2. Chriſti lex præcipit. *Iracundia* privat iratum amicitiâ DEI, quem offendit. 2. Amicitiâ proximi, cui fit odioſus. 3. Seipſo, offuſcando lumen rationis. *Avaritia.* Avarus cupiditati ſuæ ſacrificat tranquillitatem ſuam. 2. Honorem. 3. Conſcientiam. *Amor proximi* ſit ſincerus. 2. Univerſalis. 3. Efficax. *Ambitione* nihil ſtultius. 2. nihil infelicius. *Eleemoſyna.* Dandum egenis, quia homines ſumus. 2. Quia Chriſtiani. 3. Quia peccatores. *Mandata DEI.* Libertas Evangelii oppoſita ſervituti mundi. 2. Suavitas rigori. 3. Sanctitas impuritati. *Confeſſio* neceſſaria improbis, ut ſurgant. 2. Probis ne cadant. *Fiducia in DEUM.* Certiſſimum ſignum vivæ fidei. 2. Firmæ ſpei. 3. Arrha veræ charitatis. Vel è S. Bernardo: Tria conſidero, in quibus mea ſpes conſiſtit, charitatem adoptantis. 2. Veracitatem promittentis. 3. Poteſtatem reddentis. *Conſcientia falſa.* Inducit ad omne malum committendum. 2. Committendum audacter, ac tranquillè. 3. Et ſine remedio, vel ſpe remedii. *Continentia. Venerunt mihi pariter omnia cum illa.* Bonum honeſtatis. Quid DEO, & Angelis amabilius? 2. Utilitatis: gratia in hac vita, gloria in altera. 3. Delectationis: animi pax alta. *Correctio fraterna.* Chriſtiana, & ſancta eſt, ſi fiat ex charitate. 2. Salutaris, & efficax, ſi cum prudentia. 3. Meritoria, ſi ex fine divinæ gloriæ. *Timor Domini.* Timendus ſupra nos Vindex inexorabilis. 2. Infra nos inferni pœnæ. 3. Circa nos caro, & mundus. *Item.* Timens Dominum, nihil timendum habet in vita. 2. In morte. 3. Poſt mortem. *Oratio.* Orandum ob noſtram extremam egentiam. 2. DEI ſummam benignitatem. *Item.* Pauci obtinent, quia pauci petunt, quod oportet. 2. Ut oportet. *Relapſus in peccatum.* Signum falſæ peractæ pœnitentiæ. 2. Obſtaculum veræ pœnitentiæ agendæ. 3. Via rectiſſima ad finalem impœnitentiam. *Æternitas infelix.* Ad hanc credendam nos fides adducit. 2. Hanc credere nos ad exercenda fidei opera incitat. *Zelus Honoris Divini* Noſtra religio vera eſt, ergo honoranda ejus profeſſione. 2. Sancta eſt, ergo honoranda morum puritate. *Reſtitutio alienorum bonorum.* Nihil facilius, ac ad hanc teneri, nihil difficilius ac eam implere. 2. Nihil falſius ac ſe ejus impoſſibilitate excuſare, nihil verius, ac eâ non factâ, impoſſibilem putare ſalutem. *Tentatio.* In tentationibus voluntariis fruſtra ſperamus gratiam, ni occaſionem fugiamus, ac gratiam fugiendi potius, quàm pugnandi petamus. 2. In voluntariis fruſtra pugnandi gratiam petimus, niſi per carnis mortificationem in nos ipſos pugnemus.

Cu-

Cuperem & aliquot Paradigmata Subdiviſionis; R. En: *Extremum Judicium.* Mundus nos judicat, & hujus judicia timemus; 2. Nos ipſi judicamus, & perturbamur. Quantò rigidius erit divinum judicium? *Homines nos judicant.* Et timemus horum 1. Veritatem. 2. Libertatem. 3. Sinceritatem. Quantò hæc in illo Judice magis timenda ſunt. 2. *Judicamus nos ipſi*, noſtráque 1. vel vera. 2. Vel falſa. Utraque ut nos perturbant.

Oratio. Alia petimus. 2. Non, ut oportet, petimus. *Alia petimus.* 1. Vel res ſaluti noſtræ noxias. 2. Vel vanas, & ad ſalutem inutiles. 3. Vel etiam gratias ſupernaturales, nobis minimè proportionatas. *Non, ut oportet, petimus.* 1. Non qua oporteret humilitate. 2. Fiduciâ. 3. Perſeverantiâ. 4. Attentione animi.

Maledicentiæ. Nullum vitium vilius, & odioſum magis. 2. Nullum quod conſcientiam magis oneret, lædátque. *Nullum hoc vilius.* 1. Quia invadit, vel amicum, vel non inimicum. 2. Linguâ, armis indebitis. 3. Abſentem, nec ſe defendere potentem. *Nullum, quod gravet, lædátque conſcientiam magis.* Quia obligat ad reſtitutionem honoris læſi, cum periculo tui. 2. Ab hoc nos amor proprius variis obtentibus facilè abducit. 3. Quia plura alia damna inde conſequuntur.

In Feſto Sanctorum. Admirabilis DEUS in Sanctis ſuis, quos nobis Patronos dedit, & interceſſores. 2. Pro modulo, & exemplo propoſuit. *Interceſſores.* E quo elucent theſauri ſapientiæ ejus, & providentiæ. 2. Quia inde gloria Sanctorum mirificè extollitur. 3. Nobis multæ utilitates ad ſalutem noſtram proveniunt. *Pro modulo, & exemplo propoſuit*, ut nobis perſuaderet ſtudium Sanctitatis. 2. Dulce, item & amœnum redderet. 3. Obentus omnes, ab eo nos excuſandi adimeret.

EXPLICATA RHETORICA

CYPRIA[illegible]SOARII

LIBER III.

DE ELOCUTIONE.

Ad Caput I. II. III. IV. *De Elocutione.*

Quid eſt Elocutio? R. Idoneorum verborum, & ſententiarum ad res inventas accommodatio. Differt ab Elo-

Eloquentia, ùt pars à toto; illa enim ars eſt ad perſuadendum aptè dicendi. Naturâ enim priùs eſt invenire eloquenda, quàm inventa eloqui; plerique tamen Præceptores hanc cæteris præmittendam exiſtimârunt; & uſus obtinuit, ut jam in Humanitatis ſchola tradatur, ut Tyroni præ reliquis facilior. Namque ùt Cicero ait: *Inventio, & Diſpoſitio prudentis hominis ſunt*, & reliquis ſcientiis materiam Rhetori miniſtrantibus exculti; *Elocutio verò Oratoris eſt*, & uno Rhetoricæ artis beneficiô obtinetur. Si Tyroni *Rerum* adhucdum rudi colenda oratio injungatur, Magiſtri erit, cauſæ firmamenta, & ſumma capita ſuggerere; ejus verò labor in eo præcipuè verſabitur, ut amplificationem, rerum, & ſententiarum ornamenta ex artis præſcripto de ſuo conferat.

Quomodo comparatur Elocutio? R. In hac *omne ſtudium, exercitationem, imitationem*, quin *omnem ætatem ponendam* è Cicerone Quintilianus præcipit. Studium certè, & contentionem deſiderat hoc majorem, quò eſt laborioſior, cùm partes orationis omnes pervadat, nec levis operæ, aut negligentis hominis ſit, verba ſingula ad nitorem aliquem, ad ſuum Periodos ſingulas numerum, ſententias figurarum ornamentis perpolire; quem laborem niſi Tyro ſupereret, vir non egredietur. Quantumvis enim non omnia perinde picturata eſſe deceat, incomptum tamen, aut neglectum nihil relinqui oportet, quod nec tædii levis, nec operæ eſt.

Frequenti igitur exercitatione opus erit? R. Si in ulla Rhetoricæ parte, hìc certè. Etſi enim orationes Tullii legeris omnes, & relegeris; argumenta ſapienter inveneris; graviter eadem amplificaveris; cùm tamen ad ſcribendum te accinxeris, ſenties adhærere ſtylum, nec verba promptè ſequi, & aliud eſſe ſapienter cogitare, ac ſapienter cogitata ordinatè eloqui; quæ difficultas ſolo uſu, ac exercitatione minuetur. Itaque, quod & principio monui, qui in latina, aut vernacula eloquentia excellere voluerit, diem nullum ſine aliqua ſcriptione abire ſinet; ſcriptionem verò perpetua optimorum authorum lectione fœcundabit.

An etiam vernaculæ Elocutioni ſtudendum? R. Itali, Gallique jam in ſcholis ejus aliquid occipiunt, Germanis non

non eadem cura, ut qui in emolienda latinitate ſibi negotii ſatis eſſe putent. Quos tamen ad ſacram olim Cathedram rapit animus, his opera danda eſt, ut iis legendis, qui Germanicæ elegantiæ Principes habentur, ipſis initiis aſſueſcant. Tales ſunt *Opitii Argenis*, *Seleni Guſtavi Arminius*, &c. aliíque quamplurimi ſolutô, ac ligatô ſtylô, qui ſordibus vacent, ne ejus, qui linguam ornare volet, mores inquinent.

Quot ſunt Elocutionis partes? R. *Latinitas*, *Ornatus*, *Suavitas*. *Latinitas*, *& Perſpicuitas* Grammaticæ opus ſunt. *Ornatus* in Tropis, & Figuris. *Suavitas* in oratorio numero ſita eſt.

Quid de Latinitate ais? R. Ejus infima dos eſt, ne ſit ſolœca; altera, ne trivialis; denique ne eadem; nullâque verborum in eadem re varietate. Atque de his latini ſermonis virtutibus, proprietate, elegantia, copia, quæ totius elocutionis veluti fundus ſunt, & ſolum, ſatis diligenter actum eſt in Syntaxi *Ornata*; qua in doctrina, qui egregiè exercitatus fuerit, næ is facultatem maximam ad Rhetoricam attulerit, dimidiúmque laboris antè exhauſerit.

Verùm quia hanc Grammaticæ partem vel negligunt, vel ne contingunt quidem multi; quin vix emendatè, aut ſine ſolœciſmo, vel barbariſmo conſtruere ſciunt, nedum ut ex Authorum lectione latinitatis aliquid traxerint; evenit, ut miſeris magiſtris ſæpè in Grammaticæ ſcholam vertenda ſit Rhetorica; nec tam eloqui, quàm loqui doceri debeant; imperiti verò ejusmodi adoleſcentes, ùt venerant, rudes exeant è ſchola, nec ex hoc foro, ad quod ſine periculo adierant, quidquid auferant. His multùm fuerit, ſi amplificandi rationem utcunque perceperint, ut in vernacula ſaltèm aliquid olim præſtare poſſint.

Ad Caput V. *De Verbis Simplicibus.*

QUis Ornatus ſpectandus in ſingulis Verbis? R. Ornatiora verba ſunt. 1. Quæ conſonantiora. 2. Quæ grandiora. 3. Quæ nitidiora.

Quæ verba ſunt conſonantiora? R. Quæ è vocalibus, & conſonantibus magìs ſonantibus conſtant. Inter voca-

les ſonantiſſimæ ſunt A. E. O. Meliùs itaque dicetur *procreare*, quàm gignere; *honorare*, quàm colere; *concertare*, quàm confligere; *moderatio*, quàm modeſtia; *quanquam*, quàm licèt, &c. I. hinnitum refert, nec Muſicis amatur, malim dicere *indagavi*, quàm inquiſivi; *mirabiles*, quàm miri; *accuratus*, quàm diligens, &c. U. ululat, & ſonantiùs eſt *monumentum*, quàm ſepulchrum; *parietem*, quàm murum; *plaga*, quàm vulnus, &c.

Conſonantium aliæ ſpiritu, & labiis formantur, ùt: P. B. F. M. Aliæ linguâ, ùt: R. S. T. D. Aliæ gutture, ùt: C. durum, Q. H. *Suaves* porrò, ac *ſonoræ* habentur: L. P. T. *Suaves*, ſed *minùs ſonoræ* B. F. M. N. V. C. molle, Fortes, ſed parùm ſuaves Q. S. C. durum: L. omnium eſt *molliſſima*, diminutivis, & nutriculis apta: *Aſperæ* R. X. H. Iſthæc ut in ſpeciem levia, nec tamen inutilia inſinuâſſe ſaltèm, & legiſſe juverit.

Quæ ſunt verba grandiora? R. Ea, quæ ſunt ſignificantiora. 2. Superlativa. 3. Longiora. *Significantiora*, ùt: non furem dixero, ſed *raptorem*; non adulterum, ſed *expugnatorem pudicitiæ*; non ſacrilegum, ſed *hoſtem Religionum, & ſacrorum*; non ſicarium, ſed crudeliſſimum *carnificem civium*. Item: Polluerat ſtuprô *ſanctiſſimas religiones*; ſenatus Decreta *ſanctiſſima perfregerat*. Idem præſtant Adjectiva, ſeu Epitheta illuſtria, uti longè grandiùs erit: *Incredibilis*, ac propè *divina* togati Conſulis virtus, ac induſtria ſingularis, fortiſſimum, ac *crudeliſſimum* civem Catilinam ex urbe expulit, quàm ſi humiliùs diceres: Ciceronis induſtria Catilinam urbe expulit. Item: domuiſti gentes numero *innumerabiles*, locis infinitas, virtute *invictas*.

Superlativa item granditatem addunt, ùt: hic locus ad dicendum *ornatiſſimus*, ad agendum ampliſſimus; Item: pœnæ de civium conſceleratiſſimis ſumptæ. *Item* uno tempore vita C. Rabirii hominis *miſerrimi*, atque *innocentiſſimi*, & ſalus Reipublicæ veſtris ſuffragiis permittitur. *Item* ille ſe legatum Imperatoribus *clariſſimis*, exercitibus *ornatiſſimis*, Provinciis *graviſſimis*, dignum ſuis majoribus præſtitit. Tertiæ Catilinariæ Periodus prima, vide, quàm grandibus verbis conſtet: *Rempublicam Quirites, vitámque omnium veſtrûm, bona, fortunas, conjuges, liberósque veſtros, atque*

hoc

hoc domicilium clariſſimi Imperii, fortunatiſſimam, pulcherrimámque Urbem hodierno die Deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis, periculisque meis ex flamma, atque ferro, ac penè ex faucibus interitûs ereptam, & vobis conſervatam, atque reſtitutam videtis. Synonima item illuſtria non amplificant modò, ſed & ornant, ùt: Erat id temporis *clariſſimus, ac fortiſſimus Conſul Lentulus inimicus Clodio, ultor ſceleris illius, propugnator ſenatûs, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publicì conſenſûs, reſtitutor ſalutis meæ.* Item: Tandem aliquando Catilinam, *furentem audaciâ, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem ex urbe vel ejecimus, &c. Item* quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica *gladius* agebat? cujus latus *mucro* ille petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? Quid *cupiebas?* quid *optabas?* Quàm multa ſunt idem ſignificantia? *gladius, mucro, arma: ſenſus, mens, animus: petebat, cupiebat, optabat.*

Longiora item grandiùs ſonant, ùt: *Clementia*, quàm lenitas. *Detrimentum*, quàm damnum. *Occultare*, quàm tegere. *Candidus*, quàm albus, &c. Et compoſita præ ſimplicibus, ùt: *Deſervio* pro ſervio. *Procurare*, quàm curare. *Perplaceo*, quàm placeo. *Peracutus*, quàm acutus. Cavendum tamen, ne dum paſſim, ſine diſcrimine grandimus greſſum, tumeſcat magìs, quàm creſcat oratio. Vir gravis in re gravi, nonniſi judicio utitur ſuperlativis, quæ Tyroni promiſcua ſunt.

Quæ verba ſunt nitidiora? R. Quæ è litteris ſuaviùs ſonantibus conſtant; quædam naturâ honeſtiora ſunt, ùt: *Bos*, quàm vacca; *Cloaca*, quàm latrina. Quæ verò ſine honoris præfatione nominare non licet, in oratione locum non habent. De novatis, inuſitatis, &c. vide Soarium, & ornatam Syntaxim.

Ad Caput VIII. *De Tropis.*

QUid *eſt Tropus?* R. Latinè *Verſio*, eſt Nominis, aut Verbi à propria ſignificatione in alienam cum virtute, ſeu elegantia translatio. Quamquam, quæ eſt latinæ

tinæ linguæ egeſtas, quamplurima ſunt translata, quæ propria quodammodo uſu quotidiano videri poſſint, ùt *incendi irâ*, pro commoveri, &c. Duplices ſunt Tropi: verborum, & ſententiarum. *Verborum* ſeptem: Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomaſia, Onomatopœja, Catachreſis, Metalepſis. *Sententiarum quinque*: Allegoria, Ironia, Periphraſis, Hyperbaton, Hyperbole. Quidam Metalepſin, Hyperbaton, numero Troporum excludunt, quòd nihil vertant: utrum ſit, ad Elocutionem nihil facit.

Ad Caput IX. *De Metaphora.*

Quid eſt Metaphora? R. Eſt Translatio Nominis ab una re, cui proprium eſt, ad rem aliam ſimilem. Ut cùm nomen *Vulpes*, beſtiæ propriù adhibetur ad ſignificandum hominem fraudulentum; vel *leo* pro irato; *aries* pro hebete; *tygris* pro crudeli; *agnus* pro manſueto; *aſinus* pro pigro, &c. Hæc primò adhibita eſt neceſſitatis cauſa, ut cùm hominem *durum*, aſperum, ſcabrum, impolitum, hiſpidum, &c. aut contrà *mollem*, *tenerum*, *enervem*, *luxatum* animum dicimus, quia hujus affectionis in latina vix aliud nomen ſuppetit, ut (quod jamjam memini) qui latinæ ſinus omnes excuſſerit, haud paulò plura aliena, quàm propria vocabula reperiat. Quid enim *abducere*, *abſtrahere*, *avellere* animum aliò, *abire* à cœptis, *frangi*, *dilaniari*, *diſcerpi* dolore; *æſtuare*, *ardere*, *incendi*, *deflagrare* amore; fortunis *exui*, *everti*, *nudari*, *orbari*; *guſtavit*, *leviter tinctus* eſt Philoſophia, pro diſcere incœpit; *diſſuere*, *abrumpere*, *diſcindere amicitiam*, pro amicus eſſe deſiit. Percurre Phraſeologiam totam, ac Florem latinitatis, & obſerves velim, paucas eſſe voces Nominum, vel Verborum, quæ non translatum aliquem uſum, vel dicendi genus habeant.

An ſignificantior item eſt vox translata? R. Certè. Majorem namque ſignificationem habet: *labi errore*, quàm errare; *inflammari cupiditate*, quàm cupere; *contabeſcere mœrore*, quàm mœrere; *advolare* pro approperare; *elimare* librum, pro emendare; *lenis clivus*, pro modico; *ſerena* frons, pro exporrecta; ingenium habere *in numerato*, pro promptum; *lumen* ingenii, pro acumine; *flumen eloquen-*

tiæ

riæ, pro diſerto; *Columna* Reipublicæ, *propugnaculum* libertatis, pro fideli, ac forti Senatore, &c. Sic quidquid in quoquo genere optimum eſt, vulgò *florem* dicimus, ùt ætatis, conſilii, ſenatûs, ſcholæ, &c. Has verò translationes, vulgò *Phraſium*, vel elegantiarum nomine donamus.

Cur ita oblectat Metaphora? R. Ob ſimilitudinem, quæ rem aliquam non ùt ipſa eſt tantùm, ſed velut in ſpeculò, alienis tamen coloribus expreſſam longè vivaciùs repræſentat, cùm una in voce duas intelligamus. Sic cum hominem conſilii ambiguum *fluctuare* dicimus, non illum duntaxat animi jam amplectentis, jam alternis fugientis motum, ſed & maritimorum fluctuum aliàs altè tumentium, aliàs dehiſcentium ſpeciem effingimus, alterum in altero meliùs agnoſcimus. Atque hæc cauſa eſt, quòd Metaphoræ Poëtarum, delectando ſcilicet prodeſſe volentium, veluti proprius fundus ſint, hìc exultent liberè, hìc ingenii ſui opes oſtentent ambitioſè, nec multa carmina hoc condimento non aſpera adnumerent.

An & Oratori libertas eſt eadem, & Metaphorarum frequentia? R. Minimè. Huic enim latinè, propriè, perſpicuè, variè, nec trivialiter eloqui ſatìs eſt venuſtum. Qui in Poëticam illam meſſem involârit, alienóque cultu compſerit ſe, non minùs ridiculum faciet, ac ſi vir graviſſimus, Senatorius juvenili, ac propè fœmineo habitu in publicum ſe dederit. Certè jam juveni mihi diſplicuit prima illa Oratoris celeberrimi Periodus: *Neſcio, quo novercantis fortunæ ſydere afflatum me dicam Auditores!* Quid enim illa noverca, ſidus, afflatus ſibi vult? Longè infra profani nedum ſacri pulpiti gravitatem ſunt hæ deliciæ. Dicendum eſt ad perſuadendum, non cantandum. Enata eſt hæc Eloquentiæ corruptela ex ignoratione veræ latinitatis, ac genuinæ, maſculæque elegantiæ; quibus deſtituti adulterinas has gemmas, nempe parabiliores, & paſſim obvias amplexi ſunt. Iis ergo utatur licèt Orator, quas uſu jam receptas, ac velut civitate donatas propè jam Metaphoræ nomen exuiſſe meminimus. Quòd ſi excitandi Auditoris causâ liberiùs quid dicendum fuerit, id timidè dicetur, nec ſine præfatione aliqua: *ut ita dicam; ſi fas eſt dicere; ut cum Poëtis loquar*, &c. Vel adhibitis particulis ſimilitu-

 dinis,

dinis, *quasi*, *quodammodo*, *instar*, *non secùs*, *perinde*, *ac*, *&c.*

An exaruit jam hæc Metaphoristarum secta? R. Id quidem optandum foret; ut enim sapientiore jam palato sint homines, sunt tamen, qui perbellos se, & perigenioſos putant, cùm Patrono gratulaturi, seu Calendas Januarias, seu nominis diem fauſtum precaturi, non roſas tantùm, & lilia, ſed Phœbum, Phoſphorum, Irides, ſydereas faces, Muſas, Metempſychoſes, Neſtores, &c. plenis modiis effundunt. Quin ipſi Concionatorii, ac Precatorii libri, quàm abſurdis in ipſa fronte titulis horrent: *Paradiſus Evangelica*, *Gazophylacium*, *Clavis Cœli*, *Phœnix*, *Mons myrrhæ*, *Cornu Veredarium*, *Horologium*, *&c.* Id eſt: *Conciones in ſingulas anni Dominicas.* Ejuſmodi amœnitates meritò ridentur in exterorum Satyris. Compta eſt Rhetorica, ſed ornatu honeſtæ matronæ, quæque ſine metaphoricis his fucis ſeipsâ placere poſſit. Severiores Concionatores etiam in ſimilibus afferendis præparci ſunt.

Unde ducitur Metaphora? R. Ex eodem fonte, quo ſimilitudo, nempe à re qualibet animata, non animata, à Divinis, cœleſtibus, meteoris, elementaribus, lapidibus, metallis, plantis, animalibus, artefactis, humanis. Unde intelliges ei, qui è Philoſophorum, Poëtarum, Hiſtoriarum lectione varia eruditione pectus impleverit, promptam affore ad rem quamvis, vel Metaphoram, vel quod præſtat, ſimilitudinem.

Quæ Metaphoræ ſunt vitioſæ? R. 1. Ab re quapiam humiliore, abjecta, & ſordida ductæ, ùt: *Saxeæ mundi verrucæ*, pro rupibus. Jupiter hyberna nive *conſpuit* Alpes. Nec illa Tertulliani probatur, quâ Diluvium *generale mundi lixivium* vocavit. Ita ſi Conſulem dicas *aurigam* civitatis; Mare *offam Neptuni*; lætitiæ *butyrum*; ingenii *vomerem*; Concionatorem *Siſtrum Divini Spiritûs.*

2. *Longè à re, audienti incognita petitæ*, ùt: *Syrtis*, charybdis Patrimonii; notior enim foret *vorago.* Sic ruri cavebis hominem inſtabilem *Vertumnum*, vel puellam laſcivam *Sirenem*, vel garrulum *Architæ crepitaculum* dicere. Niſi explices, non intelligêre.

3. *Ni-*

3. *Nimium dissimiles*, ut: *Ingentes cœli fornices*, sphæricum cœlum cum fornice arcuato nihil habet similitudinis. Tales erunt: Corpus, animæ *vagina*; Peroratio, *cauda* orationis; Danubius exundans, *Hydropicus*; culti mores, *arati*, *occati*, &c.

4. *Si immodicæ*, & *Poëticæ*, ut: *Meditantia* cædem arma; volueres pennis *remigantes*; Aquilo Thyrhenum *equitans*. Et illud Mecœnatis: Quid purius amne, sylvísque ripâ *comantibus*? vide, ut alveum lintribus *arent*, &c. Hæc sunt vulgaria Metaphoræ vitia; vitiosissima verò erit, si perfrequens, & in quamvis ferè Periodum intrusa fuerit.

Ad Caput XI. *De Synecdoche.*

Quid est Synecdoche? R. Seu *intellectio* fit, cùm intelligitur *pars pro toto*, ut: *mucro* pro gladio; *tectum* pro domo; *vela* pro navibus; *axis* pro curru; *anima* pro homine; *hora* pro tempore.

2. *Vel ex toto pars*, ut: Fontémque, ignémque ferebat; *Homo* sepultus, &c. Apud Oratores paucas hujus generis Synecdochas reperies.

3. *Vel ex uno plures*, ut: *Hostis* habet muros; *Romanus* prælio victor; *Phryx* plagis fit melior; *civis* tumultuatur: *culmus* flavescit; *gutta* cavat lapidem; *miles* trepidat, &c.

4. *Vel unus ex pluribus*, ut: Aliquid visi *fumus*. Agit per *pectora* ferrum. *Nos* DEI gratiâ. Ite *vos*, pro tu.

5. *Ex genere Species*, ut: *Sabellicus* pro quovis sue: *Umber* pro quovis cane venatico; *Irus* pro paupere; *Cato* pro austero; qui *Curios* simulant, pro frugalibus.

6. *Vel ex specie Genus*, ut: pro Aquila *ales*; pro parricida *interfector*.

7. *Ex materia res*, ut: *ferrum* pro armis; *æs* pro tuba; *argentum* pro nummis; *buxus* pro fistula; *pinus* pro navi; sub *pellibus* hyemat, pro tentoriis.

8. *Vel ex Antecedente Consequens*, ut: Aratra de jugo suspensa referunt juvenci, pro *vespere*. Jam hirundo redierat, *ver erat*. Nulla jam arboribus folia, *autumnus*. Hujus item tropi in oratoria minimus est, vel vitiosus usus.

Ad

Ad Caput XII. *De Metonymia.*

Quid eſt Metonymia? &c. Idem ac *Tranſlatio*, Tropus eſt, in quo 1. vel cauſa pro effectu ſumitur; ùt: *Platonem* legi, pro Platonis libros; Bacchus amat colles, pro *vitis*; aguovit manum ſuam, *ſcripturam*; bilem mihi movit, *iram*; ſudore ſuo vivit, *labore*. Linguam hominis vereor, *maledicentiam*; mortem bibit, *venenum*,

2. *Vel effectus pro cauſa* ùt: ſcelus comprehenſum, *ſceleratus*; ſcientia, ſeditio compreſſa, *ſeditioſi*; victoria naturâ nolens, *victor*: corrugat frontem, *ægrè fert*; Æſopus meæ deliciæ, mihi *delicias faciens*.

3. *Continens pro contento*, ùt *Urbs* bene morata pro civibus; *ſæculum* felix; *Cœlum* favebit pro cœleſtibus. *Roma* jubet, Romani. *Italia* teſtis eſt, Itali. Quid in divitum menſis *ſylvæ*, & *maria*, piſces, ac feræ. *Vina* coronant, ſcyphos. Lugent *municipia*, municipes, &c.

4. *Poſſeſſor pro re poſſeſſa*, ùt ardet *Ucalegon*, Ucalegontis domus. *Hannibal* ad portas, Hannibalis militis. Ad *te* ibam, ad domum tuam. Amici *eum* devorârunt, ejus fortunas. Pro *aris*, & *focis*, civibus.

5. *Signum pro re ſignificata*, ùt *toga* pro pace; *Sagum* pro bello; *Faſces* pro Conſulatu; *Laurea* pro victoria; *Claves* quærit, pro Magiſtratu; Inimica capiti *Lilia*, Gallia; *Biceps Aquila*, diviſum Imperium.

Ad Caput XIII. *De Antonomaſia.*

Quid eſt Antonomaſia? &c. Idem quod Pronominatio; Tropus eſt, in quo pro vero nomine rei ſignificatæ ponitur aliquid, rei per excellentiam conveniens, ùt: *Everſor Carthaginis*, Scipio. *Orator, vel eloquentiæ Princeps* Cicero. *Philoſophiæ*, Ariſtoteles: *Monſtrorum domitor*, Hercules. *Romani Conditor Imperii*, Auguſtus. *Europæ, Aſiæque fax*, Helena; *Urbs* Roma; *Crudelis felix* Sylla; *Romæ terror* Hannibal; *Urbs æmula Romæ* Carthago; *Facetiarum parer*, Plautus; *Princeps Apoſtolorum*, S. Petrus; *Chriſti Vicarius*, Papa; *Regius Vates*, David; *Lumen Africæ*, Auguſtinus. Antonomaſtica item ſunt Epitheta quædam perſonis propria, ùt: *Catholicus* Hiſpaniæ;

niæ; *Chriſtianiſſimus* Franciæ; *Apoſtolicus* Hungariæ. *Lacteus Hiſtoricus*, Livius; *Doctor melleus*, Bernardus; *Angelicus*, S. Thomas; *Subtilis*, Scotus; *Seraphicus*, Bonaventura; cæterùm an Tropi nomen mereatur Antonomaſia, & ùt ab aliis differat, Logici diſceptent, Rhetoris nihil intereſt.

Ad Caput XIV. *De Onomatopœja.*

Quid eſt Onomatopœja? R. Fictio nominis imitantis ſonum rei naturalis; Græcis pro virtute eſt, Latinis vix toleratur, & inter barbariſmos relegatur; ùt ſi dicas Neſtorem *triſæclem*, *ſenem*, vel templi-fugam, Legi-rupam, mendaci-loquum, crumeni-ſecam, &c. quorum plauſtra apud Plautum, & Comicos, nempe ad riſum captandum invenies. Linguæ tamen inventores pulcherrima ſonum imitantia invexêre; ùt ſibilus, ſuſurrus, ronchus, ructus, ejulo, fremo, frendeo, ſtrepo, cachinnor, &c. Tales ſunt animalium voces, ùt rugitus, hinnitus, boatus, balatus, mugitus, barritus, latratus, grunnitus, vagitus, murmur, clangor, crocitatio, tinnitus, bombilatio, &c.

In vernacula, Onomatopœja non ſecùs, ac in Græca pro ſingulari ornamento ſermonis habetur. Uti radicum multitudine, Derivatorum, ac Compoſitorum ubertate admiranda, non Græcam tantùm, ſed omnes orbis linguas (ſi Arabicam fortaſſe excipias) longè ſuperat; ita minimè dedecebit incipientem Eccleſiaſten ejus ſibi facultatem aliquam comparare. Judicio tamen opus, & diſcrimine, ne nova ejuſmodi derivata, aut Compoſita crebriùs, aut liberiùs adhibita affectionis ſuſpicionem ingerant, aut prudentiæ exiſtimationem adimant Oratori, ut qui in re omnium graviſſima, neſcio quô verbulorum lenociniô, vel oblectare velit auditorem, vel ſemet venditare.

Ad Caput XIV. & XV. *De Catachreſi, & Metalepſi.*

Quid eſt Catachreſis? R. *Abuſio*, quâ verbô ſimili, vel propinquo utimur pro certo, & proprio. Ut dies homi-

hominis *breves*, pro exigui. *Longum* conſilium, longè proſpiciens. *Gravis* oratio, ſenſata: Equum *ædificant*, fabricant. *Perlegere* picturam, perſpicere. Ridendum ſe *propinat*, offert. Auribus *haurire*, pro percipere. *Devorabit* eos ignis, pro conſumet. *Virgo* vir, caſtus. *Mollis* oratio, lenis. Res magni *ponderis*, momenti, &c. Infinitæ ſunt hujuſmodi Catachreticæ locutiones, quibus perinde, ùt familiaribus Metaphoris; penuriam ſuam ſupplet Latina.

Quid eſt Metalepſis? R. *Tranſumptio.*, quâ ex una voce gradatim ad aliud intelligendum acceditur. Tropus adeò levis (ſi Tropus eſt) ut unicum è Poëta exemplum vulgò oggeratur: *Poſt aliqot mea regna videns, mirabor ariſtas.* Ex Ariſtis ſpicas, ex his ſegetes, & annos intelligimus. Quamquam nonnulli de hujus carminis ſententia diſputant.

De Tropis Sententiarum.

Ad Caput XVII. *De Allegoria.*

Quæ ſunt Figuræ Sententiarum? R. Quidam nullum agnoſcunt Tropum in ſententiis; Allegoriam eſſe Metaphoram continuatam; Ironiæ inter figuras locum eſſe; Periphraſim amplificationem ab Adjunctis; Hyperbaton, Collocationem, & Numeri virtutem; Hyperbolen comparationem audaciorem eſſe. Hujus quidquid ſit, Soarii, quosque ille ſectatus eſt plurimos, veſtigiis inſiſtemus.

Quid eſt Allegoria? R. *Inverſio*, Metaphora continuata. Illa fit verbò unò, ùt cùm hominem innocentem *ovem* dicimus; cui ſi plura de lana, balatu, fugacitate, luporum inſidiis, &c. adjunxeris, in Allegoriam migrabit. Elegans eſt illa Ciceronis de Comitiorum alternis: *Quod fretum, quem Euripum, tot motus, támque varias habere crediris agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio Comitiorum?* Obſerva in eadem Allegoria illuſtre exemplum copioſæ Synonimiæ: *fretum; Euripum, agitationes, motus, fluctus, perturbatio, æſtus.* Eandem à mari Allegoriam pleniorem habet in Piſonem: *Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus,*

bus, ac fluctibus, Reipublicæ navem gubernâſſem, ſalvámque in portu collocâſſem, frontis tuæ nubeculam, aut collegæ tui contaminatum ſpiritum perhorreſcerem. Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animô procellas, aliis impendentibus tempeſtatibus non ceſſi, ſed unum me pro omnium ſalute obtuli. Talis & illa eſt pro Quintio quærentis, ſibi ad defenſionem tempus eripi: *Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cùm etiam telum adverſarius nullum jecerit, illis autem id tempus impugnandi detur, cùm & vitandi illorum impetus poteſtas adempta nobis erit, & ſi qua de re, quod parati ſunt facere, falſum crimen, quaſi venenatum telum jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit.* Breviores ſunt illæ: *Virtus eſt una altiſſimis defixa radicibus, quæ nunquam dimoveri loco, nunquam vî labefactari poteſt.* Item: *Tardi ingenii eſt, rivulos ſectari, fontes rerum non videre.*

An frequens eſt Allegoriæ uſus? R. Breves, & opportunè adhibitæ, commendationem merentur; longiores quales in allatis exemplis, apud Ciceronem, & ejus ſequaces, rariſſimæ ſunt; qui easdem per totam orationem circumducunt, ſine ullo veterum exemplo faciunt, nec ab ingenio ſe commendant, id quod Soarius annotavit: *Allegoria parvis quoque ingeniis, & quotidiano ſermoni ſæpiſſimè ſervit.* An enim acuti Oratoris eſt, nihil ſimpliciter dicere, nihil non coloratum, & Allegoriarum integumentis involutum? hoc eſt, in magna rerum jejunitate, pigmentis ſe effere.

Poëtis contrà in hos campos exſpatiandi ſumma poteſtas. Cuipiam Rhetorices Præceptori non ignobili, Virgilianæ Eclogæ omnes Allegoricæ videntur. In prima ſub perſona Tytiri, & Melibœi amicos *Sapientem*, & *Stultum de vita beata diſputantes intelligit.* In ſecunda ſub ſchemate Corydonis Alexin amantis, *Animam*, & *corpus* deſignari putat. In tertia, Damætam eſſe *Carmen*, Menaclam *Spiritum*, Palæmonem *Rationem.* In quarta laudes venturi mox Meſſiæ cantari. In octava Damon, *Dæmones* repræſentat cœlo expulſos, Alpheſibœus verò *beatos Spiritus.* Ego, ut rem quamlibet rei cuilibet, aliqua ſaltèm ratione ſimilem,

ac

ac quidlibet ad quodlibet trahi poſſe concedam, an hæc tamen fuerit Maronis ſententia, nolo mei judicii eſſe.

Quid vitandum in Allegoria? R. Ne alio, quàm cœperit, translationis genere finiat, nec dicatur: Hoſtilis invidiæ incendiô deflagravi, iisque demum fluctibus planè demerſus ſum, pro *flammis abſumptus.*

Ad Caput XVIII. uſque ad XXII.

De Ironia, Periphraſi, Hyerbato, & Hyperbole.

Quid eſt Ironia? R. Idem ac *Illuſio*, vel *Irriſio* eſt, quæ non aliud tantùm verbis, ſed planè contrarium oſtendit, quod tamen vel è pronunciatione, vel voce, ac geſtu, vel rei naturâ cognoſci poteſt, ùt: *En ſcitum hominem, & urbanum, delicias meras, & leporem*, de Ruſtico, & importuno. *O virum ſtrenuum! ô columen exercitûs noſtri, quem nullus unquam hoſtis viderit*, &c. de timido, ac fugaci. *Quid hoc homine ſanctius? quid diligentius?* Cicero de Verre. *Integritas credo, te tua purgavit, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit.* Idem de impudentiſſimo Clodio. Ironiâ uſus eſt Elias in pugna illa adversùs falſos Baalis ſacerdotes: *Illudebat illis dicens: Clamate voce majori --- forſitan loquitur, aut in diverſorio, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.* Quin DEUS ipſe: *Ecce Adam, quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.*

Quid eſt Periphraſis? R. *Circumlocutio*, quâ pluribus verbis dicitur, quod paucioribus poterat, ùt: *Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris incipit, & domo Divûm gratiſſima ſerpit. Et jam ſumma procul villarum culmina fumant, majoréſque cadunt de montibus umbræ.* pro *Veſpere.* Tropus hic Poëtis familiarior, qui deſcriptionibus gaudent, mirúmque qua Periphraſeon varietate ſolem orientem, medium, cadentem, noctem, ver, &c. Homerus, Virgilius, cæteríque deſcribant; quod Oratori magno vitio verteretur. Nihil enim inani ſermocinatione, quam Periſſologiam vocant, odioſius.

Quid eſt Hyperbaton? R. *Transgreſſio*, quæ Numeri, vel Conſonantiæ causâ naturalem verborum ordinem perturbat.

turbat. Ut cùm præpoſitio, vel conjunctio poſtponitur. *Hæc cùm noſtris in ædibus dixiſſet.* Ad conciliandum oratio: ni numerum perpetuus eſt, & neceſſarius hujus trajectionis uſus; quæ adeò inter elegantias Collocationis meliùs relegaretur.

Quid eſt Hyperbole? R. Superjectio rem ultra verum extollens, vel minuens, ùt: Homo plumâ levior, Apolline formoſior. Sidera feriebat clamor. Plura bella geſſit Pompejus, quàm cæteri legerunt. Fluctus ſydera lambens, poſt imum revolutus in orcum. Ultra Sauromatas fugere hinc libet. Hominis adumbratio. Mons carneus. Oceanus tot res tam citò abſorbere non potuiſſet, ac hujus ingluvies &c. In his tamen modus tenendus, ſempérque cogitandum Oratori: ſe pro Roſtris dicere, Poëtam in ſcena canere.

Ad Caput XXIII. *De Figuris.*

Quid eſt Figura? R. Conformatio quædam verborum, & ſententiarum, à communi loquendi ratione remota, differtque à Tropo, quòd propriis verbis uti poſſit, non item Tropus. Quanquam ſi translatis utâre, in eadem ſententia & Tropus erit, & Figura. Sic vulgaris eſſet ſermo, ſi dicas: *Nolo hìc morari; fruſtra tempus tero, aliorum ludibriis expoſitus hæreo.* Figuratus erit, ſi per Repetitionem, & Interrogationem dicas: *Quid hìc morer? quid fruſtra teram? quid aliorum ludibriis expoſitus hæream?*

Quotuplices ſunt Figuræ? R. Duplices, *Verborum*, & *Sententiarum*; in hoc diverſæ, quòd in iis, ſi verba mutâris, figura tollitur; in his verò permanet, quibuscunque verbis utaris, v. g. *interroges*, *exclames*, *alloquaris*, *&c.* Figuræ porrò Verborum item triplicis generis ſunt, nam quædam fiunt *Adjectione*, dum aliquid vulgari modo loquendi additur, v. g. ejuſdem vocis repetitione. 2. *Detractione*, cùm aliquid præter communis locutionis uſum omittitur. 3. *Similitudine* vocum.

Figuræ per *Adjectionem* ſunt novem: Repetitio, Converſio, Complexio, Conduplicatio, Traductio, Polyptoton, Synonimia, Polyſyntheton, & Gradatio,

Per Detractionem quinque : Synecdoche, Dissolutio, Adjunctio, Disjunctio, Syncecioſis.

Per Similitudinem vocum octo : Annominatio, similiter cadens, similiter desinens, Compar, Antitheton, Commutatio, Correctio, Dubitatio.

Ad Caput XXVI.

De Figuris Verborum, quæ fiunt per Adjectionem.

Repetitio est Figura, quâ ab eadem voce sæpiùs inchoatur oratio, ùt in Catilinam : Nihil *te nocturnum præsidium palatii ?* nihil *consensus bonorum omnium ?* nihil *horum ora, vultúsque moverunt ?* Non *feram,* non *patiar,* non *sinam.* Quintilianus : Quid hæc *maturitas tanta ?* quid hæc *festinatio ?* quid hæc *amentia vult ?* non *vim,* non *scelus,* non *latrocinium ? &c.* Pro Manilia : Agitur *populi Rom. gloria,* agitur *salus sociorum, &c.* Cicero : Quid tam populare, *quàm pax* --- quid tam populare, *quàm libertas* --- quid tam populare, *quàm otium ?* Duplex Repetitio est pro Roscio : Accusant ii, qui *in fortunas hujus invaserunt ;* causam dicit is, cui *præter calamitatem nihil relinquunt :* Accusant ii, *quibus occidi patrem Roscium, bonum fuit ;* causam dicit is, *cui ad luctum, egestatem etiam summam intulit ;* Accusant ii, &c. Isthac Figurâ acrior fit, seu ad laudandum, seu vituperandum oratio.

Conversio est Figura Repetitioni opposita, quæ sæpiùs in idem vocabulum desinit, ùt : *Doletis tres exercitus Romanos interfectos ? interfecit* Antonius. *Desideratis clarissimos Viros ? eos quoque vobis eripuit* Antonius. *Authoritas hujus ordinis afflicta est ? afflixit* Antonius. Pro Milone : *Quis eos postulavit ?* Appius. *Quis produxit ?* Appius. *Unde ?* ab Appio. Ad Herennium : *Populus Rom. Pœnos justitiâ* vicit ; *armis* vicit ; *liberalitate* vicit. Idem : *Concordia de civitate* sublata est ; *fides* sublata est *amicitia* sublata est. In Vatinium : *Audire à te cupio, quare, cùm ego legem ex Senatûs-Consulto* tulerim, *sine vi* tulerim, *salvis auspiciis* tulerim ; *salvâ lege Æliâ, & Fusiâ* tulerim ! *tu eam esse legem non putes ?*

Com-

Complexio eſt Figura, quæ Repetitionem ſimul, & Converſionem complectitur, hoc eſt, eadem voce incipit, & deſinit, ùt pro lege Agraria: Quis *legem tulit?* Rullus. Quis *majorem partem populi ſuffragiis privavit?* Rullus. Quis *Comitiis præfuit?* Rullus. Ad Herennium: *Qui fœdera rupêre?* Carthaginenſes. Qui *crudele bellum in Italia geſſêre?* Carthaginenſes. Qui *ſibi ignoſci poſtulant?* Carthaginenſes. Ibidem: Quem *Senatus* damnârit? Quem *populus Rom.* damnârit? Quem *omnium exiſtimatio* damnârit, *eum vos abſolvetis?*

Conduplicatio Figura eſt, quæ idem verbum reperit, vel in principio orationis, ùt: Vivis, & vivis *non ad deponendam, ſed ſed confirmandam audaciam.* In Catilinam: Excitate, excitate *eum, ſi poteſtis, ab inferis,* Vel in medio, ùt: *Etiam audes in horum conſpectum venire* patriæ proditor? proditor inquam patriæ, in horum conſpectum audes venire? Vel in fine, ùt: Vidimus *tuam victoriam præliorum exitu terminatam; gladium vaginâ vacuum in urbe non* [illegible]nus. Pro Sextio: Ademit *Albino Soceri nomen mors filiæ; ſed charitatem illius neceſſitatis, & benevolentiam non* ademit. Philippica 2. Suſtulit *illum diem fortuna populi Romani, num etiam tuum de auſpiciis judicium, interitus Cæſaris* ſuſtulit?

Traductio eſt variata Caſibus, Generibus, Modis, Temporibus ejuſdem vocis repetitio, ùt: *Eum te* hominem *appellas, qui ſi fuiſſet* homo, *nunquam tam crudeliter vitam* hominis *petiiſſet. At erat* inimicus? *ergò* inimicum *ſic ulciſci voluit, ut ipſe ſibi reperiretur* inimicus? Ad Herennium: Divitias *ſine* divitum *eſſe: tu verò virtutem præfer* divitiis. *Nam ſi voles* divitias cum virtute *comparare, vix ſatis idoneæ tibi* divitiæ *videbuntur, quæ* virtutis *pediſſequæ ſint.*

Synonimia eſt verborum propè idem ſignificantium coacervatio, ùt: Perge, *quò cœpiſti Catilina, patent portæ,* proficiſcere. Ibidem: *Abiit, exceſſit, erupit, evaſit.* Philippica 2. *Tu illam domum ingredi auſus es? illud ſanctiſſimum limen intrare? Tu illarum ædium Diis Penatibus os illud importuniſſimum oſtendere?* In Piſonem: *Tuus ille vultus, quibus erat ignotus,* decepit, fefellit, induxit. Pro Milone: *An verò ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac urbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures? neque in hoc pervaga-*

to civitatis rumore verſantur? In Catilinaria: *Non totius urbis templis, delubris, tectis, ac mœnibus ſubjectos prope jam ignes, circumdatôsque veſtinximus; gladios in Rempublicam diſtrictos retudimus, mucronêsque eorum à jugulis veſtris rejecimus.*

Polyſintheton eſt Figura Conjunctionibus abundans, ùt: Et *juſtitiâ*, & *temperantiâ*, & *liberalitate*, & *cæterarum virtutum laude floruit.* Tales Conjunctiones ſunt: *&, que, nec, neque, vel, aut, tum, partim, quà, ſeu, ſive.* In Verrem: Neque *privati*, neque *publici*, neque *profani*, neque *ſacri quidquam reliquit in Sicilia.*

Gradatio eſt Figura, quæ non priùs ad conſequens verbum deſcendit, quàm aliquod præcedens repetat, & per illud, quaſi per gradum procedat, ùt: *In urbe* luxuries *creatur*, ex luxuria avaritia *exiſtat neceſſe eſt*, ex avaritia *erumpat* audacia, ex audacia *ſcelera omnia, ac maleficia gignuntur.* Pro Milone: *neque verò ſe* populo *ſolùm, ſed & Senatui, nec* Senatui *modò, ſed* publicis præſidiis, *neque his ſolùm, ſed etiam* Pompeji poteſtati *ſe permiſit.* Pro Quintio: *Si quid debuiſſet Quintius, petiſſes ſtatim; ſi non ſtatim, paulò quidem poſt; ſi non paulò; at aliquando; ſex quidem illis menſibus profectò.*

Quid his in Figuris obſervandum? R. Ne ſæpiùs adhibeantur; præſertim illæ, quæ frequentiore uſu viluêre; nec per vim intrudantur. Harum enim pleræque affectatam habent, & nimìs apertam, nec à magnis Scriptoribus uſurpantur, niſi è re ipſa velut nativo ſolo efflorescant.

Ad Caput XXVII.

De Figuris Verborum, quæ fiunt per Detractionem,

SYnecdoche, vel *Diſſolutio* eſt Figura, quâ demptis Conjunctionibus plura diſſolutè dicuntur, & opponitur Polyſintheto, ùt: *Ejus virtuti, fidei, felicitati commendata eſt Gallia.* Pro Archia: *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt: ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant na-*

nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Item: *Frons, oculi, vultus, &c.* In affectibus acrimoniam habet.

Adjunctio eſt Figura, quâ ad unum verbum primo, aut poſtremo loco poſitum, plura inciſa referuntur, quorum quodlibet id deſideraret, ſi ſolum poſitum eſſet, ùt: Non eum avaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam *revocavit*, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem; non denique labor ipſe ad quietem. In quovis Inciſo intelligitur: *revocavit.* Pro Marcello: *Nihil ſibi ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil turma decerpit.* Ad Brutum: *Quid tam commune, quàm ſpiritus vivis? terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis.*

Disjunctio Figura eſt Adjunctioni oppoſita, in qua ſingulis brevibus ſententiis, ſingula verba ſubjiciuntur, cùm unico omnia includi poſſent, ùt pro Archia: *Nullo unquam tempore me à ſtudiis, aut commodum, aut otium* abſtraxit; *aut voluptas* avocavit, *vel denique ſomnus* retardavit. Sic: *Populus R. Numantiam* delevit; *Carthaginem* ſuſtulit, *Corinthum ſolo* æquavit. *Homerum Colophonii civem* dicunt *ſuum, Chii ſuum* vendicant, *Salaminii* repetunt, *Smyrnæi ſuum eſſe* confirmant. *Neque verò Marius triumphum* detrectavit, *nec Pompejus* aſpernatus eſt, *nec Æmilius* rejecit.

Synecdoche quatenus Figura eſt, idem eſt, ac reticentia unius verbi, quod ex aliis facilè intelligitur. Haud multum abeſt ab Eclipſi Syntactica, ùt: Vix domô exceſſerat, mœrere ſervi, lugere filii, &c. Intelligitur *cœpêre.* Sed vos, qui tandem? Intellig. *eſtis.* Item: Tantam rem tam negligenter agier? ſubintellig. *deceat?* Tu id mihi oggerere? Intellig. *audes?*

Synœcioſis eſt Figura, quæ duas res inter ſe diverſas conjungit unicò verbô, quod in altero, ubi deeſt, vel æquivalens ſubauditur, ùt: *Tam deeſt avaro, quod habet, quàm quod non habet.* Subintellig. *ipſi deeſt.* Idem: *Non poſſum tecum vivere, nec ſine te.* Item: *Nunquam minùs otioſus fuit, ac cùm otioſus.* Item: *Tantum tibi prodeſt tempus, quod vixiſti, quàm quod non vixiſti.*

Ad Caput XXVIII.

De Figuris Verborum per Similitudinem.

Paronomasia, seu *Annominatio* est Figura, quâ paululùm immutata verba, & deflexa in oratione ponuntur. Fit autem 1. vel adjectione litterarum, vel syllabarum. Ut in calamitosa *fama*, quasi in aliqua pernicioſa *flamma*. *Mero*, non *Homero* dat operam. Nì te moveant *verba*, *verbera* expecta. Non *libris*, sed *liberis* studet. 2. Detractione, ùt: Non exigo, ut *immoriare* legationi, sed *immorare*. *More* facit, non *amore*. *Sacerdotium* petit? imò *otium*. Caulæ *aptior*, *quàm* aulæ. Helena *innuptis* junctа *nuptiis*. *Innumeri numeri* cum Plauto mortui. 3. Commutatione, ùt: *Reprimendus* est, non *opprimendus*. Non *emissus* ex urbe, sed *immissus* in urbem. Tarda *gratia ingrata* est. De hujus *urbis*, atque adeò *orbis* exitio cogitat. Non tam *Prætor*, quàm *prædo* Siciliæ. A *rāstris* ad *castra*. *Divus* sit, dummodo ne *vivus*. Hos judices magìs *fames* commovet, quàm *fama*. Ejus magister ex *Oratore Arator* factus est. Non modò *vincere*, sed *vincire* oportet. 4. Transpositione litterarum, ùt: *Parvo* est animo, ne dicam *pravo*. *Roma* votorum tuorum *mora*. *Vanus* magìs, quàm *navus*. Non ero *laudator*, ne sim *adulator*. Huc pertinent Anagrammata, quæ multis in deliciis sunt. Cæterùm hâc figurâ gravissimi Oratores rarissimè, levissimi intemperantissimè utuntur; curti ingenii argumentum est, his ludis oblectare, aut placere velle.

Similiter cadens est Figura, quâ vel Nomina in eosdem casus, vel verba in eadem tempora in principio, fine, vel medio cadunt, ùt: *Quantâ* innocentiâ *debent esse Imperatores? quantâ omnibus in rebus* temperantiâ? *quantô* ingeniô? *quanta* humanitate. Viden quinque Ablativos. Pro Archia: *Hunc ego non* diligam, *non* admirer, *non* defendendum *putem?* In Rullum: Contemni *populi Rom. majestatem*, vexari *Rempublicam*, deludi *vosmetipsos patiemini?* Item: *Solicita civitas* suspicione, *suspensa* metu, *perturbata* vestris concionibus, &c. Pro Marcello: *Cum his*, *nec* varietate regionum, *nec* celeritate *conficiendi*, *nec* dissimilitudine *bellorum posse conferri.*

Simi-

Similiter desinens est Figura, in qua plura membra desinunt in Verba, Nomina, vel Adverbia similem exitum ultimarum syllabarum habentia, ùt: *Cùm ejus semper voluntatibus non modò cives* assensérint; *socii* obtemperârint; *hostes* obedierent; *sed etiam venti, tempestátesque* obsecundârint, &c. Quo in exemplo Synonimiæ, Similiter cadentis, & Desinentis figuras junctas habes. Item: *Non est ejusdem, facere* fortiter, *& vivere* turpiter. Habet hæc Eigura aliquid Rhitmo affine.

Compar, seu *Isocolon* est Figura, quâ orationis membra singula pari ferè syllabarum numerô constant, ùt: *Tantum bellum Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.* Item: *Cum tristibus severè, cum remissis jucundè, cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audaciter.* Item: *Hoc sentire prudentiæ est, facere fortitudinis: & sentire, & facere, perfectæ, cumulatáque virtutis,* Pro Sylla: *Qui Consul insidias Reipublicæ consiliô investigâsset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicâsset.*

Contrapositum, vel *Antitheton* est Figura, quâ singula singulis contraponuntur, ùt: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. *Item:* Cedam armatis inermis, innocens nocentibus, privatus furibundo magistratui. Catilina: *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido; denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus; postremò copiæ cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes, cum omnium rerum desperatione confliget.*

Illustris est hæc Figura, si suaptè, & è renata proveniat, nec studiô accersita appareat. Præmorsos ungues, & juventûtem indicat, si quartâ quavis Periodo redeant antitheta. Quò est acrior, hòc temperantiùs est tractanda.

Commutatio est Figura, quâ duæ sententiæ inter sè discrepantes ita afferuntur, ut à priore posterior, priori contraria nascatur, ùt: *Non vivo, ut edam, sed ut vivam, edo.* Pro Cluentio: *Cæteri propter liberos pecuniæ cupidiores solent*

lent esse, hìc propter pecuniam liberos amittere jucundum esse dixit. Item: *Quis arbitraretur tantum bellum, aut ab omnibus Imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno confici posse?* Item: Has partes æquiores existimo, non quia iis me addixi, sed addixi, quia æquiores censeo. *Item:* Rectè quidam dixit, Magistratum esse legem loquentem, legem verò loquentem Magistratum mutum. *Item:* Cùm non fiant, quæ volumus, velimus, quæ fiunt. *Item:* Amato, ùt odio habiturus; oderis, ùt amaturus. *Item:* Ut & sine invidia culpa plectatur, & sine culpa invidia puniatur. *Item:* Vivit Christianus, ùt aliquando moriturus, moritur, ùt semper victurus. *Item:* Mali ad hoc utuntur DEO, ut fruantur mundo; boni ad hoc utuntur mundo, ut fruantur DEO.

De Correctione, & Dubitatione in Figuris Sententiarum agetur.

Ad Caput XXX.

De Figuris Sententiarum.

Quot sunt Figuræ Sententiarum? R. Soarius viginti quinque statuit, quanquam alii plures, pauciores alii afferunt. Harum aliæ ad docendum, aliæ ad movendum, aliæ ad delectandum magìs valent. Sunt autem: Interrogatio, Responsio, Subjectio, Occupatio, Correctio, Dubitatio, Communicatio, Prosopopœja, Apostrophe, Hypotyposis, Aposiopesis, Ethopœja, Emphasis, Sustentatio, Prætermissio, Licentia, Confessio, Interruptio, Ironia, Distributio, Permissio, Deprecatio, Exercitatio, Epiphonema, Exclamatio.

Interrogatio est Figura, quâ Orator non sciscitandi causâ, ùt fit in sermone vulgari, sed alterius rei gratiâ se, Adversarium, Auditores interrogat, ad aliquem motum excitandum. Fit variis modis: 1. Vehementiùs instando: *Quousque abutêre Catilina patientiâ nostrâ? Quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet?* Haud dubiè vehementiùs est, quàm si dixisset: *Diu jam patientiâ nostrâ abusus es, &c.* 2. Interrogando aliquid, quod negari non potest, ùt ibidem: *Quoties tibi jam ex manibus extorta est sica ista?* 3. Vel cùm respondere difficile est, ùt: *Stipulatus es? ubi?*

quo

quo tempore? quo præsente? 4. Ad ciendam miserationem, ùt pro Milone: *Ubi nunc Senatus est, quem secuti sumus? ubi Equites Romani illi, illi inquam tui? ubi studia municipiorum? ubi voces Italiæ? ubi tua M. Tulli vox, & defensio? mihine illa soli nihil potest opitulari?* 5. Indignationem item exprimit, ùt: *Quid primum querar, aut unde potissimùm exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam?* 6. Seipsum, aut alios alloquendo, ùt: *Quid agam Judices? quò accusationis meæ rationem conferam? quò me vertam?* Nulla Figurarum Ciceroni, ac Oratoribus hâc frequentior est, vel minùs affectationis habet.

Responsio non est Figura Interrogationi opposita, sed quâ unum interroganti, aliud; quod utilius sit, respondetur, ad rem augendam, vel minuendam, ùt: *An ab eo vapulâsti? & innocens quidem. An hominem occidit? latronem, & hostem patriæ. Obsecundavit monenti? conviciis, & tantùm non pugnis impetiit. Laudem ea re te meriturum credebas? verberibus digna erat. Exhæredare filium volebat? ornatissimum cupiebat. Ego à te salutem, vel auxilium sperem? Ne restem quidem, quo me suspendam.*

Subjectio Figura est, quâ Orator vel interrogat seipsum, & respondet sibi; vel alium, cujus responso non expectato aliquid de suo addit, ùt: *Quid putem? contemptúmne me? Non video, nec in vita, nec in gratia, &c. quid despicere possit. An in Senatu mihi facillimè detrahi posse credidit? qui ordo mihi &c. An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est, &c.* De Haruspicum Responsis: *Tu meam domum religiosam facere potuisti? quæ mente? qua invâseras. Qua manu? qua disturbaveras. Quæ voce? qua incendi jusseras. Qua lege? quam in illa tua importunitate tumet scripseras.* Pro Roscio: *Quæ tanta fuêre viria in filio unico, ut patri displiceret? At perspicuum est, nullum fuisse. Pater igitur amens, qui sine causa odisset, quem procreârat? At is quidem fuit omnium constantissimus.* Nervosa est Figura ad urgendum, suadendum, vel dissuadendum.

Anteoccupatio, seu Prolepsis, vel Præsumptio est Figura, quâ Orator id occupat, seu dicendo prævenit, quod objici posse prævidet, ùt: *Quid agam Judices? ad omnes*

enim meos impetus, quaſi murus quidam boni Imperatoris nomen opponetur. Video, ubi ſe jactaturus ſit Hortenſius; belli pericula, penuriam bonorum Imperatorum commemorabit, verùm &c. Inde diluit hoc argumentum, quod Verri Judices conciliare poterat. *Item:* Pro Quintio: *Non id dico C. Aquili, quò mihi in dubium veniat fides tua, & conſtantia, quid ergo eſt? magnitudo periculi, &c.* Pro Roſcio: *Credo ego vos mirari Judices, quòd cùm tot ſummi Oratores &c.* In Verrina: *Si quis veſtrûm fortè miratur, me, qui tot annis in cauſis ita verſatus ſim, ut defenderim multos, læſerim neminem, &c.* Pro Cælio: *Dicet aliquis: hæc eſt igitur tua diſciplina? ſic inſtitutis adoleſcentes, &c.* Utì frequens eſt, & in ſinhulis ferè principalibus argumentis hæc figura, ita aliis, atque aliis coloribus verborum, & formulis tegenda eſt, ùt ſunt Tullianæ variæ: *Forſitan quæretis. Fortè quis dicet. Etiam dicere audebis. Ae etiam ſunt, qui dicant. Sed quæ exaudio, diſſimulare non poſſum. At ne quis à nobis. Reprehendo igitur? minimè verò. Neque enim. Non dubito, cogitataros quosdam. Jam ne quis hæreat, id addo, &c.*

Correctio Eſt Figura, quæ dictam jam ſententiam, vel verbum, aliô magìs idoneô corrigit, ùt: *Qui ſummis opibus Nævium* defendunt, *ſi id eſt* defendere, *cupiditati alterius obtemperare.* Pro Dejotaro: *Quis Dejotarô conſideratior, quis* prudentior? *quamquam hoc loco non tam ingeniô, & prudentiâ, quàm fide, & religione defendendum puzem.* Item: *Ego ſemper omni* officio, *vel* pietate *potiùs patrem colui.* Item: *Stuprem* hominis, *ne dicam* pecudis *attendite,* Item: *Quæ in hac* domo *convivia? ſi* domus *hæc habenda eſt potiùs, quàm officina vitiorum, diverſoriumflagitiorum omnium?* Item: Civis *hic, ſi* civis *dici meretur?* Item: Conſul, *patriæ proditorem meliùs nominâſſem.* Philippicâ 3. *C. Cæſar adoleſcens firmiſſimum exercitum veteranorum militum comparavit, patrimonium ſuum* effudit, *quanquam non ſumus uſi eâ verbô, quô decuit: non enim* effudit, *ſed in ſalute Reipubl.* collocavit. Item: *Tu exercitationis causâ in villa* declamâſti- *Quamquam tu quidem, ut familiariſſimi tui dictitant, vini exhalandi, non ingenii excitandi causâ* declamitas.

Du-

Dubitatio Eſt Figura, quâ Orator quærit, quid potiſſimùm è pluribus dicat, agátve; & ſingula quodammodo refellit, ùt: *Quid agam Judices? ſi taceo, me reum exiſtimabitis, ſi loquor, mendacem.* Pro Quintio: *Si cauſa à te per ſummam fraudem acta eſt, quo te nomine appellem? Improbum? at eſti &c. num malitioſum? non negas; fraudulentum? id arrogas tibi, & præclarum putas; audacem, cupidum, perfidioſum? vulgaria hæc, & obſoleta ſunt.* Item: *Amorem quidam ſtudium, alii morbum, nonnulli inſaniam vocant, ego quo nomine appellem, neſcio. Nam &c.* In Verrem: *Ad quem confugient ſocii, ſi vos deſeritis? Ad Senatum venient ii, qui de Verre ſupplicium ſummat? Non eſt uſitatum. Ad populum Rom. confugient? facilis eſt cauſa populi.* Scipio ad Livium: *Quo vos nomine appellem? Cives? qui à patria veſtra deſciviſtis. An milites? qui imperium, auſpiciúmque abnuiſtis. Sacratos? qui religionem rupiſtis. Hoſtes? corpora, ora, veſtitum civium agnoſco: facta, dicta, conſilia hoſtium video.* Illuſtris eſt locus in Verrem: *Unum hoc crimen eſt, & pecuniarum captarum, nam &c. Eſt peculatûs, quia -- Eſt majeſtatis, quòd -- Eſt ſceleris, etenim -- Eſt crudelitatis, quòd -- Illud verò quid ſit, jam nequeo dicere; quo nomine appellem, neſcio.*

Communicatio eſt Figura, quâ vel Auditores, vel adverſarios ipſos conſulimus, ùt: *Nunc ego Judices vos conſulo, quid mihi faciendum puteris?* Item: *Tu denique Labiene quid faceres? tali in re, ac tempore.* Pro Quintio: *Quæro abs te C. Aquili, L. Luculle &c.* Pro Cæcinna: *Quæro abs te, ſi te hodie armati redeuntem tuæ domûs aditu prohiberent, quid acturus ſis?* Sic, quòd ſi ipſi vos in hoc pulpitum conſcenderetis, dicendúmque eſſet, an is quæſtus hominem Chriſtianum deceat? an non, quod jam nunc dixi doceretis?

Proſopopœja eſt perſonæ loquentis ficta inductio, quæ etiam mortuis urbibus, artibus, rebúsque inanimatis tribui poteſt. Inſignis omnino eſt, & ad perſuadendum, & invendos odii, miſerationis, doloris, &c. affectus prævalida Figura. Illuſtris eſt locus Ciceronis, Romam loquentem introducentis: *Patria quodammodo ſic agit, & loquitur tecum.*

cum Catilina; nunquam jam tot annos facimus, niſi per te; nullum flagitium ſine te; multorum civium neces, &c. Et in Verrem: *Sicilia tota ſi una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum, meis in urbibus, ſedibus, delubris fuit, id tu mihi C. Verres eripuiſti, atque abſtuliſti.* Et pro Milone: *Me quidem exanimant voces illæ Milonis: Valeant, inquit, valeant cives mei, ſint incolumes, ſtet hæc urbs præclara, patriâque mihi chariſſima.* In Philippica 2. *Quid ſi nunc ille Brutus reviviſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non hac uteretur oratione? Ego Reges ejeci, vos Tyrannos introducitis. Ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos partam ſervare non vultis. Ego capitis mei periculò patriam liberavi, vos liberi ſine periculo eſſe non vultis.* In Catilinam: *Si mecum patria, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſpublica loqueretur; M. Tulli quid agis? túne eum, quem hoſtem comperiſti, quem &c.* Pro Cœlio: *Exiſtat igitur ex iſta Appiorum familia Cæcus ille, qui profectò, ſi extiterit, ſic aget, & ſic loquetur: Mulier, quid tibi cum Cælio? quid cum homine adoleſcente? quid cum homine alieno? cur tam familiaris huic fuiſti?* Huc pertinet Dialogiſmus, quo duo inter ſe colloquentes fiunt, cujus exemplum afferre longum ſit.

Apoſtrophe, ſeu Converſio orationis ad aliquem Deum, hominem, réſque etiam inanimatas, quas ùt perſonas alloquimur. Ita Cicero mortuos in acie milites compellat: *Vos, vos inquam, appello fortiſſimi Viri, qui pro Republica ſanguinem fudiſtis, vos Centuriones, vósque milites, &c.* In Catilinam: *Tu, tu Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs auſpiciis, à Romulo es conſtitutus &c. quem Statorem hujus Urbis, atque Imperii verè nominamus.* Pro domo ſua: *O Catule, Patrémne appellem, an filium? &c.* Pro Balbo: *O nationes, urbes, populi, Reges, Tetrarchæ, teſtes Cn. Pompeji non ſolùm virtutis in bello, ſed etiam religionis in pace! vos denique mutæ regiones imploro, & ſola terrarum ultimarum; vos maria, portus, inſulæ; littoráque; quæ eſt enim ora, quæ ſedes, quis locus, in quo non exſtent, hujus cùm fortitudinis, tum humanitatis impreſſa veſtigia.* Pro Milone: *Vos enim jam Albani tumuli, atque luci, vos inquam imploro, atque obteſtor, vósque Albanorum obrutæ aræ!* &c.

&c. In Verrem: *Si hæc non ad Cives Romanos, ſi non ad homines, verùm ad beſtias, aut in aliqua deſertiſſima ſolitudine ad ſaxa, & ſcopulos conqueri, & deplorare vellem, tamen omnia muta, atque inania, tanta, támque indigna rerum atrocitate commoverentur.* Pro Ligario: *Quid enim tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat Tubero? &c.*

Hypotypoſis eſt rerum geſtarum talis deſcriptio, ut non tam audiri, quàm oculis cerni videantur. Uſurpatur ad delectandum, motúsque iræ, odii, miſerationis &c. excitandos. Plurimùm autem in narrationibus ſervit, & in Poëmatum deſcriptionibus ſummum ſunt. Certè Ovidianæ Metamorphoſes, Homèricæ, ac Virgilianæ pugnæ, tempeſtates, aliæque deſcriptiones, vel Pictoribus pro modulo eſſe poſſint: Verrinæ, Catilinariæ, Philippicæ, verbô omnes Tullii orationes vivaciſſimarum Hypotypoſeon plenæ ſunt: Paucas ſubjicio. In Verrem: *Procedit iſte repentè è prætorio, inflammatus ſcelere, furore, crudelitate in Forum venit. Navarchos vocari jubet, qui nihil metuerent, ſtatim accurrunt. Iſte hominibus miſeris, innocentibúsque injici catenas imperat; implorare illi fidem populi Romani, & cur id faceret, rogare, &c.* Ibidem: *Hæc cùm maximè loqueretur, ſex lictores circumſtant validiſſimi, & ad pulſandos, verberandósque homines excitatiſſimi; cædunt acerrimè virgis; denique proximus lictor Seſtius conversâ bacillô oculos miſero tundere vehementiſſimè cœpit. Itaque ille, cùm ſanguis os, oculósque compleſſet, concidit; cùm illi nihilominus jacenti latera tunderentur, ut aliquando ſpondere ſe diceret &c.* Philip. 2. *Vehebatur in eſſedo Tribunus plebis. Lictores laureati antecedebant, inter quos apertâ lectică Mima protabatur, quam ex oppidis municipalés, homines honeſti neceſſariò obviam prodeuntes, non noto illo, & Mimico nomine, ſed Volumniam conſalutabant. Sequebantur rhedam cum leonibus comites nequiſſimi; rejecta matre amitam impuri filii tanquam nurum ſequebantur.* Ibidem: *Perſonabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritoriis, ſcorta inter matresfamilias verſabantur.* Philipp. 2. *Ponite vobis ante oculos miſeram quidem illam, & flebilem ſpeciem, nocturnum impetum in Urbem Aſiæ clariſſimam, irruptionem armatorum in*

domum

domum Trebonii, cùm miſer ille priùs latronum gladios videret, quàm quæ res eſſet, cognoviſſet, &c.

Nec ſolùm quæ facta ſunt, ſed & quæ futura fuiſſent, aut erunt, ita deſcribi poſſunt, ut cùm Cicero depingit, quid Catilinâ victore conſecuturum fuiſſet: *Videor mihi hanc Urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubitò unô incendiô concidentem, cernô animô ſepultam patriam, miſeros, atque inſepultos acervos civium; verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi, & juror in veſtra cæde bacchantis &c.* Ad acuendam hanc figuram plurimùm valet imaginandi vis acris, quæ eas præſertim partes, Antecedentia, Conſequentia, Adjuncta perrimetur, quæ rem vivaciùs, & ſæpè uno in Epitheto, velut ſublimioris coloris ſtructurâ repræſentant; quam in rem Poëtarum lectio ingenium excitat, quin & pictorum tabulas inſpexiſſe &c.

Apoſiopeſis, ſeu Reticentia, vel Interruptio eſt, cùm ad effectum iræ exprimendum, abrupto ſermone ſententiæ partem ſupprimimus, ùt: *Quos ego*, ſed motos præſtat componere fluctus. Item: *Eſt hæc quidem timoris cauſa*, ſed ſtomacchari deſinamus. Ad Herennium: *Tu iſta audes dicere, qui nuper alienæ domi.* Non audeo dicere, *ne dum te digna dicero, me indignum quid dicam.* Item: *Mihi tecum certatio non eſt, quòd populus Romanus*, Nolo dicere, ne arrogans videar. *Te autem ignominiâ dignum ſæpè judicavit.* Item: *Si morem geſſeris, præmium feres*, ſin. *Sed non ero hodie aſperior.* Pro Cælio: *Nihil eſt, quod in ejuſmodi mulierem cadere non videatur - - Perſpicitis animis jam dudum, quid velim*, aut potiùs, quid nolim dicere.

Emphaſis eſt Figura, quâ plùs ſignificat Orator, quàm dicat, ùt; *Facuitque* per *antrum immenſum.* Illud *per* corporis molem immanem ſignificat. Sic: Matho Lectica vehebatur *plenâ ipſo*, id eſt, pinguiſſimo. Curtius: *Hæc dies Imperium, quo nullum majus vidit ætas, aut conſtituet, aut finiet.* Cæſar: *Et tu fili mi Brute!* Huc referri poſſent omnia Epicheremata, nempe totum Syllogiſmum ſignificantia, ùt: *Servus Dominum accuſet? Item:* Túne in patris conſpectu loqui tam inverecundè? *Item:* Tuimet tam negli-

gligens, aliena curabis? *Item:* Unius adulteræ causâ Europa deflagret, & Asia?

Sustentatio est Figura, quâ diu suspenduntur Auditorum animi, ac deinde inopinatum quid subjungitur, ùt in Verrem: *Ergo ejus jussu omnes isti comprehensi. Quid deinde, quid censetis? furtum fortasse, aut prædam expectatis aliquam?* (tum multis interjectis) *Etiamnum expectare videmini Judices: expectate facinus, quàm vultis, improbum; vincam tamen expectationem omnium;* (tandem cùm diu suspendisset animos, subjicit:) *quod multò improbius est, illi nomine conjurationis damnati, ad supplicium traducti, ad palum alligati, ropentè multis hominum millibus inspectantibus occisi sunt.* In Verrem: *Cognitorem adscribit Sthenio. Quem? Cognatum aliquem, aut propinquum?* Non. *Thermitanum aliquem honestum hominem, ac Nobilem?* Ne id quidem. *At Siculum, in quo aliquis splendor, dignitásque esset?* Minimè. *Quem igitur?* Civem Romanum. *Cui hoc probari possit?* In eundem: *Captum Archi-pyratam Syracusanorum custodiæ turissimæ non audet committere, Amandat hominem, quò? Lylibæum fortasse: - - minimè Judices. Panormum igitur? - - - Ne Panormum quidem.* Quid igitur? quid putatis? *Ad homines à pyratarum metu, & suspicione remotos.*

Præteritio, vel *Prætermissio* fit, cùm profitemur, nos non scire, aut nolle dicere, quod tum maximè dicimus. Usus hujus Figuræ multus est in thematibus admodum fertilibus, ubi singula amplificari nequeunt. Item in Transitionibus, objurgationibus, exaggerandis rebus &c. ùt in Rullum: *Non flagitium unius jacturæ, atque damni. Prætermitto illa, quæ nemo est, quin gravissimè, & verissimè conquerì possit. Non dico &c. Omitto hanc omnem orationem, & concioni reservo. De periculo salutis, & libertatis loquor. De Provinciis Cons. multa, quæ sæpè audistis, animisque tenetis, prætermitto. Nihil de hac urbana, quam ille præsens in oculis vestris defixit, audacia loquor. Nihil de superbia; nihil de contumacia; nihil de crudelitate disputo. Lateant libidines ejus tenebricosæ, quas fronte, & supercilio, non pudore; & temperantia contegebat. De Provincia quod agitur, id disputo.* In Verrem: *Itaque primum actum illius*

vitæ

vitæ turpiſſimum, & flagitioſiſſimum prætermittam. Nihil à me de pueritiæ ſuæ flagitiis audiet, nihil ex impura illa adoleſcentia ſua; -- Omne illud tempus, quod fuit, antequam ad Rempublicam acceſſit, habeat per me ſolutum, ac liberum. Sileatur de nocturnis ejus bacchationibus, ac vigiliis; lenonum, ac aleatorum nulla mentio fiat; damna, dedecora, quæ res patris ejus ætas pertulit, prætereatur. Lucretur indicia veteris infamiæ, patiatur ejus vita reliqua &c.

Sunt autem è Tullo formulæ, quibus hæc Figura exponi ſolet: Prætereo. Non dico. Non commemoro. Non hîc profero. Non audietis à me. Non attingam. Sinite me hoc loco præterire. Poſſem multa dicere. Sentio mihi eſſe memorandum. Jam orationi meæ fugiendam ſatietatem aurium veſtrarum. Non verſabor in uno genere. Hîc nolite expectare, ut. Sed quid ea commemoro? Nunc agam modicè, nec longiùs progrediar, &c.

Licentia eſt quædam orationis libertas, & fiducia animi ſenſa liberiùs explicans. In Judiciali genere aliàs uſurpabatur maximè, ùt pro Sylla: *Attende jam Torquate, quàm ego non defugiam auctoritatem Conſulatûs tui. Maxima voce, ut omnes audire poſſint, dico, ſempérque dicam; adeſte omnes animis, qui adeſtis corporibus, erigite mentes, aurésque veſtras, & me de invidioſis rebus, ùt ille putat, dicentem attendite. Ego Conſul cùm &c.* In Rullum: *Errâſtis Rulle vehementer, qui ſperâſtis vos contra Conſulem, veritate non oſtentatione popularem, poſſe in evertenda Republica populares exiſtimari. Laceſſo vos, in concionem voco, Populo Romano diſceptatore uti volo.* Pro Domo ſua: *Quare Rempublicam, diſrumpatur licèt furia iſta* (Clodius) *atque audiat hæc ex me, quoniam laceſſivit, bis ſervavi, & cùm Conſul rogatus armatos vici, & cùm privatus armatis ceſſi.* Philipp. 10. *Poſtremò (erumpat enim aliquando vera, & me digna vox) ſi veteranorum militum juſſis hic ordo gubernatur, omniáque ad eorum voluntatem, dicta, factáque referuntur, optanda mors eſt, quæ Civibus Romanis ſemper fuit ſervitute potior.*

Conceſſio eſt, quâ Orator cauſæ fiduciâ, aliquid etiam iniquum pati, vel adverſario concedere videtur. Ut pro Ro-

Roſcio: *Eſto parricidii cauſam proferre non poteſt, tametſi ſtatim viciſſe debeo, tamen de meo jure decedam, & tibi, quod in alia cauſa non concederem, in hac re concedam, fretus hujus innocentiâ. Non quæro abs te, quare patrem Sext. Roſcius occiderit, quæro, quomodo occiderit, &c.* Pro Flacco: *Hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo illis litteras, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique ſi quæ alia ſunt, non repugno. At teſtimoniorum religionem, & fidem, nunquam iſta natio coluit, totiúsque hujus rei, quæ ſit vis, quæ authoritas, quod pondus, ignorant.* In Verrem: *Verùm eſto, eripe hæreditatem propinquis, da Palæſtritis; prædare in bonis alienis nomine civitatis; verte leges, teſtamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum; num etiam bonis exui Heraclium oportuit?* Formulæ Concedentis ſunt: Eſto. Verùm fac. Verùm eſto. Patior non moleſtè. Ut tibi concedam. Sed ierit ad bellum. Sit ita ſanè. Do hoc tibi, & concedo. Non repugnabo &c.

Permiſſio à Conceſſione hoc ſolùm differt, quòd illa factum aliquod, dictúmque concedat, hæc cauſæ totius Judicium alterius voluntati permittat, ùt: *Sed ego jam Judices ſummum, ac legitimum cauſæ meæ jus omitto, vobis quod æquiſſimum videatur, ut conſtituatis, permitto; non enim vereor, quin etiam novum vobis ſit inſtituendum, libenter id, quod poſtulo, propter utilitatem communis conſuetudinis ſequamini.* In Verrem: *Verùm eſto, alio loco de Aratorum injuriis videro. Nunc quod mihi abs te datur, accipio, eos tibi eſſe, ùt dicis, ob Decumas inimiciſſimos. Non quæro jure, an injuriâ ſint inimici, quid ergo ſibi illæ ſtatuæ Equeſtres inauratæ volunt? quarum cuidam inſcriptum:* Aratores dediſſe. *Si honoris cauſâ dederunt, inimici non ſunt: ſi metu coacti dederunt, confiteare neceſſe eſt, te pecuniam ſtatuarum nomine per vim, metúmque coegiſſe.*

Parenthesis, ſeu Interruptio, eſt brevis declinatio à Propoſito; ſi enim longior ſit, *Digreſſio* dicetur, de qua alibi. Frequentiores vitandæ ſunt; arguunt enim inſcitiam, rem quamvis nec læſa perſpicuitate ſuo loco collocare ignorantis. Exemplum eſto: *Videte Judices, qualem* (nolo enim graviore appellatione uti) *accuſatorem in medium adduxe-*

rit. Philipp. 1. *Hanc tu potuiſti Dolabella* (magno loquor cum dolore) *hanc tu inquam æquò animò potuiſti tantam dignitatem deponere?* In Verrem: *Sed video, quid agat* (neque enim agit occultiſſimè) *proponit inania mihi nobilitatis, hoceſt, arrogantium hominum nomina.* Philipp. 1. *At etiam auſus es* (quid eſt autem, quod tu non audeas) *Clinum Capitolinum dicere, me Conſule, plenum ſervorum armatorum fuiſſe.* Ibidem: *O miſerum! ſive illa tibi nota, non ſunt,* (nihil enim boni nôſti) *ſive ſunt, ſi apud tales viros tam impudenter mentiâre.*

Ironia eſt fictio totius voluntatis, quâ ſentitur aliud, & innuitur, quàm dicatur; nec à Tropo differt, niſi quòd illo longior eſt. Ut in Verrem: *Non poſſum diſſimulare Judices, timeo, ne C. Verres propter hanc virtutem eximiam in re militari, omnia, quæ facit, impunè fecerit: venit enim mihi in mentem &c.* Ibidem: *Habetis hominis conſilia, diligentiam, vigilantiam, cuſtodiam, defenſionémque Provinciæ Siciliæ. Summa illuc pertinet, ut ſciatis, cùm plura ſint genera Imperatorum, ex quo genere iſte ſit. Ne diutiùs in tanta penuria virorum fortium talem Imperatorem ignorare poſſitis; non ad Q. Maximi ſapientiam; neque ad illius ſuperioris Africani in re gerenda celeritatem; neque ad hujus, qui poſtea fuit, ſingulare conſilium, neque ad Pauli rationem, ac diſciplinam, neque ad C. Marii vim, atque virtutem, ſed ad aliud genus Imperatorum eſſe referendam, ſanéque diligenter retinendum, & conſervandum, quæſo cognoſcite.*

Diſtributio eſt Figura, quâ aliquid in partes ſuas diſtribuitur, quarum unicuique ratio deinde ſua ſubjungitur, & valet plurimùm in Amplificationibus, Diviſionibus, ac Subdiviſionibus, partium Enumerationibus. In Piſonem: Age Senatus odit te, *afflictorem, & proditorem, non modò dignitatis, & authoritatis, ſed omnino ordinis, ac nominis ſui:* Videre Equites Romani non poſſunt: *quo ex ordine Vir præſtantiſſimus Lælius te Conſule relegatus:* plebs Romana perditum cupit; *in cujus tu infamiam ea, quæ per latrones, & per ſervos de me egeras, contuliſti:* Execratur Italia tota; *cuius idem tu ſuperbiſſimè decreta, & preces repudiâſti.* Illuſtrior eſt hæc Figura, ſi ipſi addatur tertia pars è membris

bris diſtributionis, & ejus ratione, eruta, ùt pro Roſcio: *Tres ſunt res, quæ hoc tempore obſtant Sex. Roſcio:* crimen adverſariorum, & audacia, & potentia. Criminis conflictionem *Accuſator Eruccius ſuſcepit:* audaciæ partes *Roſcii poposcerunt: Chryſogonus autem, is, qui plurimùm poteſt,* potentiâ *pugnat. De his omnibus rebus me dicere oportere intelligo, ſed non eodem modo de omnibus, ideo quod prima illa res ad officium meum pertinet, duas autem reliquas vobis populus Rom. impoſuit. Ego* crimen *oportet diluam; vos &* audaciæ *reſiſtere, & hominum pernicioſam, atque intolerandam* potentiam *primo quoque tempore extinguere, atque opprimere debetis.* Pro Cælio: *Videtis hæc tria in rerum natura fuiſſe, ut aut cum Saturnino eſſet; aut cum bonis; aut latere. Latere mortis inſtar erat turpiſſimæ; cum Saturnino facinoris, ac ſceleris; virtus, honeſtas, pudor cum Conſulibus eſſe cogebat.* Celeberrima eſt illa Ciceronis Diſtributio: *Quid tam commune, quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? Ita vivunt, dum poſſunt* (culeô ad parricidium inſuti) *ut ducere animam de cœlo non queant; ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut non alluantur; ita poſtremò ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.*

Deprecatio, ſeu Obſecratio, Obteſtatio, eſt Figura, quâ opem alicujus vehementer imploramus, ùt pro Dejotaro: *Quamobrem hoc nos primùm metu, C. Cæſar per fidem, & conſtantiam, & clementiam tuam libera, ne reſidere in te partem ullam iracundiæ ſuſpicemur; per dextram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti, iſtam inquam, non tam in bellis, atque in præliis, quàm in promiſſis, ac fide firmiorem.* Pro Milone: *Quid reſtat, niſi ut orem, obteſtérque vos Judices, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo Viro, quam ipſe non implorat, ego autem repugnante hoc & imploro, & expoſco. Nolite &c.* Pro Rabirio: *Quæ cùm ita ſint, primùm ab Jove Opt. Maximo, cæteriſque Diis, Deabúsque immortalibus pacem, ac veniam peto, precórque ab iis, ut hodiernum diem, & ad hujus ſalutem conſervandam, & ad Rempublicam reſtituendam illuxiſſe patiantur. Deinde vos Quirites, quorum poteſtas maxima, ad Deorum immortalium Numen accedit, adhibeatis in hominis miſerrimi for-*

tunis miſericordiam, in Reipublicæ ſalute ſapientiam, quam ſoletis. Ejusmodi Deprecationum exempla ſunt quamplurima in Perorationibus pro Muræna, Rabirio, Cælio, Cluentio, Dejotaro, &c.

Execratio eſt, quâ malum alicui imprecamur, ùt Cicero pro Dejotaro: *Dii te perduint fugitive! ita non modò nequam, & improbus, ſed fatuus, & amens es.* Philipp. 6. *Igitur eſt Patronus Antonius? malam quidem illi peſtem, clamori enim veſtro aſſentior, non modò hic latro, quem clientem habere nemo velit.* Philipp. 13. *Quin tu abis in malam peſtem, malúmque cruciatum? ad te quisquam veniat?* Hæc Figura apud Oratores rarior eſt, & in ſacro pulpito locum non habet.

Epiphonema eſt rei narratæ, vel probatæ ſumma acclamatio, ùt: *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.* Pro Millone: *Facere probus adoleſcens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit.* Pro Sextio: *Hoc ſentire prudentiæ, facere perfectæ, cumulatæque virtutis.* In Verrem: *Peccandi conſuetudo, quantam habet jucunditatem in improbis, & audacibus, cùm pœna abfuit, & licentia conſecuta eſt.* In Piſonem loquens de militibus, qui non invento, quem interficere volebat Piſone, ipſius ſtatuam comminuerant, acclamat! *Sic odium, quod in ipſum attulerant, in ejus imaginem, & ſimulacrum profudere.*

Exclamatio eſt Figura, quæ alicujus compellatione, poſt rem ſatìs probatam, amplificatam, aut narratam affectum doloris, admirationis, indignationis, miſerationis &c. ſignificat; nec adeò quàm hi affectus crebrior eſſe debet, ùt: *O tempora! O mores! Conſul hoc videt, hic tamen vivit!* Pro Ligario: *O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentisque decorandam!* Pro Cælio: *Prô Dii immortales! cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſervatis?* Pro Sylla: *O miſerum, & infelicem illum diem, quô Conſul omnibus Centuriis P. Sylla renunciatus eſt! ô falſam ſpem! &c.* item: *O peſtis! ô labes! ô tenebræ! ô lutum! ô ſordes! ô portentum in ultimas terras deportandum!* Pro Cluentio: *O mulieris ſcelus incredibile, & præ-*

ter

ter hanc unam in omni vita inauditum! ô libidinem effrænatam, & indomitam! ô audaciam singularem!

Ethopœja est expressio, seu imitatio vitæ, ac morum alicujus; in eo diversa ab Hypotyposi, quòd illa res omnes, hæc mores præcipuè studeat effingere. Inter primas Historici dotes censetur „ cujus est, solerter habitum, affectiones, oblectationes, amicitias, propensiones, corporis, animique bona, vel mala indagare, & oratione depingere. Et exstant Theophrasti characteres, quibus avarum, fastuosum, superstitiosum lepidè adumbrat. Salustius in describendo Catilina, Jugurtha, moribúsque suæ ætatis plurimùm excelluit, ùt in Agrariis: *Jam designatus Consul alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto, ac horrido, capillatior, quàm antè, barbâque majore, ut oculis, & aspectu denunciaret vim tribunitiam, & minitari Reipubl. videretur.* Post Reditum: *Primò processit,* (Gabinius) *qua authoritate vir? vini, somni plenus, madenti coma, compositô capillitiô, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce, & temulenta &c.* In Pisonem: *Alter unguentis affluens, calamistratâ comâ contemnebat Equites Romanos, vendibabat se operis. Alter ô Dii boni! quàm teter incedebat? quàm truculentus, quàm terribili aspectu? unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum Imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen Reipubl. diceres intueri.*

Ad Caput XXIX.

Quid in Figurarum tractatione cavendum sit.

QUid in Figurarum tractatione observandum censes, cavendúmve? R. 1. Etiam gravissimum, & velut Consulare dicendi genus sectantes, ut parciores sint, nudos tamen, atque sine omni Figurarum ornatu horridos ne in pulpito quidem incedere decet. Non autem de Verborum figuris hic sermo est, quæ suaptè, nec accersitæ se offerunt, sed illustrioribus sententiarum luminibus. Quin post inventam argumentationem, & amplificationem, illico circumspiciendum, quâ vel quibus figuris extollendæ partes præcipuæ.

2. *Ne ſint frequentes*, ſi enim juſtò plures, & picturata, nitentiáque fuerint omnia, ſtudium & ars tralucebit, *nec vincet, penetrabitque oratio, in qua verba laudantur*, Juvenile quiddam, & diligentiæ plus quàm judicii ſpirabit. Et obſervatum eſt à quodam: è Ciceronis orationibus nullam tot figuris illuſtratam, ac pro Quintio, nempe quæ ejus prima fuerit.

3. *Ne ſint ejuſdem generis.* Ut fit, cùm alter antithetis delectatur maximè; alter perpetuis Hypotypoſibus efflorescit; Exclamationem, Exclamationi jungit alter &c. id quod faſtidium generat.

4. *Ex re nata* veniant, & in ipſa materia tam naturaliter conſiſtant, ut cùm adſint, videantur non poſſe abeſſe, atqua ita rebus attentum Auditorem quodammodo fallant occulta delectatione, ut ne advertat quidem ornatûs causâ quidquam dici. Ubi contrà acutum auditorem minimè fallet, ſi quid ſtudio obtruſum, ac extra rem audierit.

5. Ubi plurimùm fuerit rerum pondus, graviores magìs decebunt. At in re humili, vulgari, parum ſenſata admodum figuratus non minùs ridiculè faciet, ac qui geſtum, habitúmque quæreret ſine corpore, aut coloribus nitidiſſimis chaos quoddam membrorum deformaret in tabella.

6. Materiæ, quæ tractatur, ſint accommodatæ. Sic alteri affectui altera erit aptior, & ſi docendum ſit, Antitheſis, Suſtentatio, Communicatio, Correctio, Dubitatio valebit: ſi delectandum: Hypotypoſis, Ethopœja, Apoſtrophe, Proſopopœja; ſi movendum: Exclamatio, Obſecratio, Præteritio, &c.

Ad Caput XXXII.

De Collocatione, & Ordine Verborum.

AN non ſatìs ornata eſt oratio, ſi probè latina, perſpicua, Tropis, & Figuris illuſtrata ſit? R. *Suavitas* item accedat oportet, quæ Elocutionis pars eſt tertia. Suavitas hæc in eo ſita eſt, ut cohærentes inter ſe, leniter, & æqualiter fluentes, & audienti jucundæ, nec ad pronunciandum aſperæ, & dicentis ſpiritui commenſæ ſint cum membris periodi. Hanc Elocutionis partem qui negligi

poſſe

poſſe putaverit, qui nulla ejus ratione habita perturbatè, hiulce, fortuitò, collocârit verba, etſi Enthymematis pugnet validiſſimè, graviſſimè amplificet, omni Figurarum varietate expoliat, inſipidam tamen, & inſuavem procudet orationem gravis viri formæ ſimilem, ſed cultu neglecto, & ſqualenti.

Quomodo concilianda eſt orationis ſuavitas? R. Certo verborum ordine. 2. Aptâ eorundem inter ſe junctûrâ. 3. Numerô.

Quis in verborum collocatione obſervandus eſt ordo? R. Ut priùs locentur, quæ naturâ propria ſunt, ût: *diem, noctem meditatur*, pro noctem, & diem. Sic ineptum eſſet: *Laudatus eſt ab omnibus, bravium retulit, præclarè in ſtadio cucurrit.* Primum eſſe debebat: *præclarè in ſtadio cucurrit*, tum reliqua. Sic vitioſum eſt illud Terentii: *valet, & vivit.* Ineptum: *glaciârant flumina, gelu ſævum inciderat.* Sic præpoſterè dixeris: *Provectus eſt in altum, navem conſcendit, commeatum intulit.*

2. Præponuntur, quæ dignitate antecedunt, ût: *Conſules, Senatus, Tribuni-plebis populus omnis dicenti aſſenſére.* Item: *Imperatores, Reges, magni Principes, opulentæ civitates ſacris bellis ſe authoravère.* Quamquam ab imo item incipi poſſit, dum reliquus ordo ſervetur, ût ſi dicam: *opulentæ Urbes, &c.*

3. Partes toti præponendæ ſunt, ût: *Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta totius corporis gladiatoria firmitate, &c.* Si *à toto corpore* cœptum eſſet, haud ritè ad fauces, & latera deſcenderet. *Sic:* Homo inſigni temperantiâ, fortitudine, *omni denique virtute* ornatus. *Sic:* Te juvenes velle noſcere, ſenes in occurſum venire, *omnis* denique *ætas*, redeunti obviare. Sic: gladiis, telis, facibus, *omni armorum genere* in nos invaſit.

4. In augendo leviſſima; in minuendo graviſſima præponuntur. Ita *ſacrilego fur, & latro petulans* malè poſtponeretur. Ut: in illo facinus eſt 1. *vincire* civem Romanum. 2. ſcelus *verberare.* 3. parricidium *necare.* 4. quid autem *in cruce necare?* Sic de impio filio: *nihil colit* patrem; jubenti *contumax* eſt; monentem onerat *maledictis*, minatur ſe manus allatur in *Item:* ejus ſemper voluntatibus

tibus non modò *cives* aſſensêre, *ſocii* obtemperavêre ; *hoſtes* obedîêre, ſed etiam *venti*, *tempeſtatésque* obſecundârunt. *Minuendò* converſus ordo tenetur. Ut vicit autem? ne certavit quidem ; nec vidit hoſtem, & ut ne videret in latebram ſe abdidit. *Item :* Aureum nummum non habet ; nec florenum quidem ; ne obulum, quo funem emat.

5. E Soarii ſententia verbô ſenſum claudere, longè optimum eſt. Et verò verò longè etiam uſitatiſſimum. Ut in Verrem : *M. Cato ſapiens cellam penuriam Reipub. noſtræ, nutricem plebis Romanæ* Siciliam nominavit. At ſi aſperum erit, decori potiùs ratio habenda eſt. Ut in eadem : Cùm omnium provinciarum rationem diligenter habere debeatis Judices, tum præcipuè Siciliæ, *plurimis, juſtiſſimisque de cauſis.* Poſtrema hæc poſtpoſuit Cicero, ut tranſitionem cum cauſis enumerandis cohærentem.

Ad Caput XXXIII.

De Junctura Verborum.

QUid eſt Junctura Verborum? R. Eſt, quâ extremæ ſyllabæ vocis antecedentis cum prima ſequentis ita ſociantur, ut ne aſperè concurrant, ac pronunciationem, vel impediant, vel duriorem reddant. Aſperam porrò orationem faciunt. 1. Si conſonans aſperior, quales ſunt, s. x. r. m. t. vocem priorem finiat, & incipiat ſequentem, ùt : Ars ſtudiorum. Pes ſtabilis. Multos ſoleciſmos. Rex Xerxes. Celer rivus noſter ruit. Saluber Ros. Semper rodit. Decimum milliare. Longum murum. Diem malum. Clam mandat. Aſper etiam concurſus eſſet in medio verbo, ùt : *Ejusdem eſt improbos probare, & probos improbare.* Durum eſt illud *pr* toties repetitum.

2. Aſperat etiam, & hiulcam reddit orationem vocalium concurſus, præſertim earundem, ùt : *Viro optimo obtemperare ſenſu humilitatis. Tu ille homo officioſus ſis? Ea aſſignant. Tu unà abfuiſti. Longè elatior. Aute alias. Arma allata Æneæ. Quaſi indicâret, &c.*

3. Si eadem ſyllaba ſit ultima, ùt : *Ænigma magnum. Vici cives. Homo modeſtus. Nolo loqui. Conficere reſiduum. Magnam ambitionem. Amor oritur. Fulgur urit.*

Cæca

Cæca Caligo. Tenax axis. Ad adjectum. Per perſonam. Tentat attingere. Junctura rara. Micans anſa.

4. Creb itas ſimiliter deſinentium aures lædit, ùt : *O fortunatam natam me Conſule Romam. Res inviſæ ſunt viſæ. Callidæ amatrices, noxiæ adjutrices, veræ præſtigiatrices, & inſidiatrices fuêre. Plorantes, lachrymantes, Deos incuſantes. Dii laborioſos, rerum curioſos, non item deſidioſos adjuvant.*

5. Ejuſdem vocalis in conſequentibus ſe vocibus repetitio crebrior ingrata eſt, ùt : *Orto bello illo tam nocivo, tam incommodo, tam pernicioſo, aç odioſo, quot homines honorum, bonorúmque omnium jacturam fecêre.* En in paucis vocibus undeviginti O.

6. Monoſyllaba plura conſequentia, ùt : *Hac in re nihil me juvat. Hìc ſta, da quod vis.* 7. multæ voces ab eadem ſyllaba, vel littera incipientes, quale eſt notum illud Ennii : *O Tite tute Tati, tibi tanta Tyranne tuliſti!*

Quomodo evitari poſſunt aſpirationes ejusmodi? R. Perfacile; tranſponendo voces, vocalium, aut conſonantium concurſu aſperas. Vel 2. His interjiciendo aliquid. Vel 3. Per Enallagen, caſum, tempus, genus, numerum, &c. vel verbum ipſum ſubſtituto æquivalente mutando. Sic loco *Celer rivus*, transpones : Rivus celer : vel interpones : Rivus admodum celer. Vel mutando : celerrimus rivus. Locò longum murum, pones murum prælongum, vel longum parietem, &c. Locò *viro optimo*, optimo viro, virorum optimo, viro ſi quiſquam optimo, viro reverà optimo. Locò *conficere reſiduum*, reſiduum conficere, conficere laborem reſiduum, &c. Qui è teneris ad hæc minuta animum advertere, curámque aliquam adhibere cœperis, ſuaptè deinceps, ac ſine labore, probè collocatam, junctámque orationem efficiet.

Quid præterea in junctura evitandum? R. Ea Collocatio, quæ perſpicuitatem lædere poſſit, ùt : 8. Si Adjectivum ita locetur, ut cuinam è duobus Subſtantivis reſpondeat, ambiguum ſit, ùt : *Juvenibus laboribus deditis ſcientia venit*, dic : Juvenibus labori deditis : vel Juveni laboribus dedito, &c. *Coluber immanis molis corporis*, dic : immani mole. *Rem per negligentiam perditam reſti-*

tuis, dic : rem negligentiâ perditam. 9. Obſcuritatem item parit, verbum nimìs trajectum, vel alio verbo inſcitè conjunctum, ùt: *Ignoras quo te juvandi, etſi tibi nihil adſtringar, ſtudio tenear*, dic : Etſi tibi nihil adſtringar, quo tamen adjuvandi tui ſtudio tenear, ignoras. Sic : *Ecquid fato, neſcio cui, ea, quæ à Deo venire intelligunt, aſſignant?* Locò inepti hujus *intelligunt, aſſignant*, dicet : Ecquid ea, quæ ab uno DEO venire fatìs intelligunt, commentitio neſcio cui fato tribuunt? Vel : *Quid juvat bonis, quæ brevì debebis amittere, inhiare?* dic : bonis inhiare, quæ, &c.

Quid præterea in hac Junctura obſervandum? R. Alterum ut hæc de Junctura, & ordine cura *nec nulla ſit, nec nimia.* Certè in principio diligentiam maximam deſiderat, nec abs re fuerit, ſi Tyro exercitationis causâ unum, alterúmque thema, vel epiſtolam conſcripſerit tam nitidè, ut omnis conſonantium, vocalium, aut ſyllabarum earundem concurſus evitetur ea propè ſollicitudine, quâ Poëtæ comptiores ab eliſionibus ſibi cavent, is operoſus erit initio, & propè puerilis, ſtyli tamen exercitatio efficiet, ut paulò pòſt ne ſentiat quidem, ſe hac in re nequidquam elaborare. Neque tamen ſit *nimia*, præſertim in affectibus, ubi neglectus quidam etiam decorem habet, oſtenditque rebus intentum oratorem nequaquam auribus ſervire. Tale eſt illud Ciceronis pro Marcello : Dolebam enim -- nec fas eſſe ducebam, verſari me in veſtro veteri curriculo, illo æmulo, atque imitatore ſtudi*orum*, lab*orum* me*orum*, quaſi quodam ſocio *à me*, & comite diſtractum.

Recolendæ hìc erunt Elegantiæ Collocationis, à Sylvio, ac Buchlero congeſtæ, quarum ſpecimen aliquod habes in Ornata Sxntaxi, fol. 34. & 68.

Ad Caput XXXIV. Uſque ad LI.

De Numero Oratorio.

Quid eſt Numerus Oratorius? R. Tertia, eáque potiſſima ſuavitatis conciliatrix, quam Græci Rhytmum vocant, non equidem ut carminis inſtar dimenſa ſit, aut pedum quantitate adſtringatur Oratio. Soluta eſt, & dicitur non tamen diſſoluta, exundans, fluctuans, quæ nullo ordine

dine, vel menſurâ, ut quidquid in linguam ſe, aut calamum obtulerit, incompoſitè efferat. Eſt igitur Numerus Oratorius concinnitas quædam, & moderatio periodorum, ac membrorum, quæ & dicentis ſpiritui contemperata ſit, & ſine offenſione, jucunda ad aures accidat.

Quis Numerorum inventor? R. Græci, delicatô nempe palatô homines hanc artem ùt invenêre, ita ad ſummum perduxêre. Ferociores Romani quadringentis primùm pòſt annis politiùs aliquantò, comptiúsque dicere cœperunt, etſi prioribus ſæculis haud defuêre ſenſati, ac inſignes Oratores. Tullius, ut in cæteris partibus, ita hìc omnino Princeps, & in rotundiſſimis numeris omnino inimitabilis eſt. Quin Græcorum exemplô hac de re præceptiones plurimas tradidit, quas ita diligenter exſcripſit Soarius, ut tertii de Elocutione libri partem tertiam faciant.

Magni igitur momenti videtur hæc doctrina? R. Eſt tanti quidem, ut ſatìs commendari nunquam, nec perfectus Orator ſine hoc Numerorum ornatu eſſe poſſit. Animadverſum eſt nihilominus à veteranis Magiſtris, Tyrones ad eam rem parùm animi oſtendere; horrere cùm de pedibus, non ſecus, ac in Poëtica mentionem fieri audiunt, nec eam curam ſuæ ætatis, aut operæ eſſe exiſtiment. Igitur eximendus error noxius, ſtimulíque erunt admovendi, ne puloherrimum hoc orationis veluti complementum in poſtremis habeant, quòd *dignitatis* quidem habeat plurimùm, nec minùs facilitatis.

Quæ autem eſt numeroſæ orationis dignitas? R. Incredibile quantum ſqualleat, quàm inamœna ſit auditu Dictio, ſparſis nullâ curâ verbis hians alibi, & abrupta; redundans, & effuſa alibi; ſcabra paſſim, & inæqualis. Rem, & argumenta, quin verba eadem coërceto, modum tibi, numerúmque ipſe deſcribito, reſcinde ſuperflua, expleto hiatus, modulatiores redde Periodos, nitebit, quod horrebat, ſuaviter afficiet, quod aures vix ferebat; alia à ſe, nec ab eadem manu videbitur oratio. Tolle Ciceroni modulatiſſimos illos numeros, nec jam Cicero erit. Indignum itaque ſi prudens Tyro poſtquam in cæteris partibus copiosè laboravit, minimum, quod ſupereſt laboris defugiat, & imperfectis ſupremis lineis manum de tabula retrahat

An-

An facilis item eſt Numerorum doctrina? R. Facilior, ac vulgò putetur. Nec enim ſyllabarum numero, aut quantitati ſtudendum putidè. Totum in eo eſt, ut paucula præcepta ritè percipiat, ac inter ſcribendum animum ad eadem reflectat. Comparabitur porrò hœc facultas, ſi 1. numeroſas aliquot, & volubiles Ciceronis Periodos, non attentè modò legas, ſed clara item voce pronuncies; v. g. *Nulla eſt tanta vis, tantâque copia, quæ non ferrô, aut viribus debilitari, frangíque poſſit* Si diſſolvas hos numeros, venuſtas omnis funditùs perit. Nulla tanta vis eſt, & tanta copia, quæ non poſſit debilitari, frangíque ferrô, aut viribus. Quid ſuavius illâ alterâ? *Te miror Antoni, quorum facta imiteris, eorum exitus non perhorreſcere.* Quid hiſpidius, ſi ita colloces: Miror te Antoni non perhorreſcere exitus eorum, quorum facta imiteris. Ita Cicero: *Pompejum, ſicut aliquem non ex hac Urbe miſſum, ſed veluti de cœlo delapſum intuentur.* Quantò ingratius ſonabit, ſi dicas: Pompejum non intuentur, ſicut aliquem ex Urbe hac miſſum, ſed veluti delapſum de cœlo. Si vel aliquot Periodos ejuſmodi ſolutis compagibus turbâris, ſuaptè tibi Numeroſum aliquid adhærebit.

2. Accedit, quòd tot ſint Rhetoricæ, ac Syntacticæ Figuræ, ut ſententia quævis quantumcunque agreſtis, nullô negotiô perpoliri, variari, & velut cera mollis in omnem formam deflecti, nec tam ad oculorum, quàm aurium voluptatem torqueri poſſit ab eo, qui nec maximo adhibito labore dignum quid, ac nitidum procudere velit.

3. Sola Ciceronis conſiderata lectio, vel aliud agenti numeroſum quid aſpirabit. Ut enim ille de ſuis, quos ad imitandum legebat, Græcis: *Quemadmodum qui in ſole ambulant, ſenſim colorantur, ita cùm iſtos libros* (præcipuè numeroſiſſimi Iſocratis) *lego, ſentio orationem meam, quaſi illorum coloribus niteſcere.* Quemadmodum item Muſici laboriosè primùm artis præcepta condiſcunt, poſtquam uſus acceſſit, ſine cogitatione, ac cura, celeritate ſumma, vel voce, vel fidibus concinunt; ita Numerorum cognitione ſemel imbuto inter ſcribendum verba numerosè cadentia, nec vocata, nec ſtudiô accerſita affluent.

Regulæ

Regulæ aliquot, quibus Numeroſa reddi poſſit Periodus.

QUid obſervandum præcipis ad conciliandum Orationi Numerum? R. Numeroſa erit. 1. Si Periodicè dicatur. 2. Membratim tamen per intervalla. 3. Si cùm Periodi, tum membra brevibus, longísque ſyllabis; 4. Longioribus item & brevioribus vocibus miſceantur. 5. Finis Periodi, ſeu clauſula aptè cadat. 6. Figuræ intercedant ſuaptè numeroſæ.

An numeroſam orationem faciant Periodi? R. Periodus (de qua jam in Candidato Rhetoricæ ſatis actum) naturâ ſuâ numerum habet, non equidem, quòd arithmeticè ſyllabas adnumeret, quod carminis eſt, ſed certa quadam membrorum dimenſione, & inciſorum apta diſpoſitione, veluti harmoniam aliquam efficiat. Id verò ut conſequatur *primò*: Conſulendæ ſunt audientium aures, ut ne longitudine membrorum, vel ſtipatis inciſis aut fatigentur admodùm, aut dum ad ultima venitur, priorum obliviſcantur. *Deinde* ſpiritus, anima dicentis: ne longiùs excurrat, quàm vires & pronunciationis, ac animæ colligendæ ratio poſtulat, cùm vox niſi abſolutâ Periodô perfectè cadero, & pauliſper conquieſcere nequeat.

Cicero, aliíque *Inciſo* octo, vel decem ſyllabas, ùt hemiſtichio; *Membro* octodecim, vel viginti ſyllabas, nempe ferè Hexametri tempus; *Periodo* verò quatuor ferè Hexametrorum qualitatem tribuunt. Qua tamen in menſura admodum religioſum, anxiúmque eſſe, ineptum foret. Aurium, & vocis judiciô ſtandum eſt.

2. *An membratim item dicendum?* R. Periodico dicendi genere utendum eſt, præſertim in Laudatorio Genere, quod ad delectationem comparatum eſt; item in exordiis, narrationibus, & amplificationibus gravioribus. Cæterùm, quòd in Ciceronis orationibus animadvertas Confirmationis corpus, partim membratico, partim periodico dicendi genere conſtat. Non probantur autem perpetuæ Periodi, partim quòd ſatietatem afferant, partim quòd vel ab imperitis ars cognoſcitur, atque inde gravitas orationi, fidésque decedit.

3. *Bre-*

3. *Breves Syllabæ longis miſcendæ ſunt?* R. Longæ, brevésque ita inter ſe temperandæ, ut nec brevium numerô incitatior, celeriórque fluat, nec longarum multitudine retardetur oratio. Utrasque permiſtas habes in illo Tulliano: *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.* Longæ ſunt 22. breves 17. Pro Manilia: *Fuit enim ſummis quibusdam viris, quædam ad amplificationem, gloriam, & ad res magnas bene gerendas divinitùs adjuncta fortuna.*

4. *Voces item* breviores *interſtinguendæ ſunt longioribus?* R. Si longiores frequententur, affectationem ſpirat, ut illud inflati Poëtæ: *Magnanimum Æacidem, formidandámque Tonantis progeniem, &c.* Miſtum illud eſt: *Luctantes ventos, tempeſtatésque ſonoras.* Elegantiùs Cicero: *Quod nomen igitur unquam in orbe terrarum clariùs fuit, cujus res geſtæ huic comparandæ?* En duarum, trium, quatuor ſyllabarum voces; longiores tamen non in clauſula modò, ſed & contextu Periodi plus dignitatis habent. Ut pro Fontejo: *Nolite pati Judices, aras Deorum immortalium, Veſtæque matris quotidianis Virginis lamentationibus, de veſtro judicio commoveri.* Et in Catilinaria: *Id eſt initum conſilium, ut interfectis omnibus nemo ad deplorandum quidem populi Romani nomen, & ad lamentandam tantam Imperii calamitatem relinqueretur.* En diſſyllabas 4. triſyllabas 6. quadriſyllabas ſex, quinqueſyllabarum duas voces.

5. *Quæ debet eſſe Periodi Clauſula?* R. Etſi per totum orationis ambitum tenendi ſunt Numeri, Clauſulæ tamen Periodorum præ cæteris diligentiâ majore curandæ ſunt, quòd aures ſemper extremum ſpectent, in eóque acquieſcant. Quo verò pede claudantur meliùs, quæ legiſſe juverit; illud extra controverſiam eſt, Periodum voce longiore triſyllabâ, aut quadriſyllabâ terminari meliùs, ſi penultimam item longam habeat, quàm brevem: meliúsque cadet in: *contendit, cadebat, ætates,* quàm: *diſputat, cecidit, tempora.* Sonantiores item ſunt: *contendebant, repugnat, lætabundi, Alexander,* quàm: *contenderant, latiſſimi, reſiſtere, Alexius, &c.*

Cicero Choræum duplicem, ſeu Dichoræum - v - v - út: *alligare,* ſic declinavit, ut in exordiis, ac laudationibus maxi-

maximè non alium adhibeat frequentiùs, ùt : *Patris dictum sapiens temeritas filii comparavit.* Quâ clausulâ tam numerosâ auditâ clamorem plaudentis turbæ sublatum ipse refert. Juvat è Manilianæ exordio clausulas propè omnes enotare : *Prohibuerunt. Transmittendum putavi. Consecutus. Censuerunt. Deesse potest, Quærendus. Arbitratur. Detulerunt. Neminem. Consideratè dicendum. Consulendum. Versari. Rogavit. Comparâsset. Simulâsset. Gerebamus. Dimicaretis. Videantur. Videatur. Putetis. Non tulerunt. Non posse. Arbitrantur. Retardatos. Commendetis.* Hìc observes velim *primò* Periodos omnes ferè trisyllabis, aut quadrisyllabis penultimâ longâ terminari. 2. Viginti sex Dichoræos, aut Dichoræis æquivalentes, esse omnino septemdecim.

Nonnulli è SS. Ecclesiæ Patribus Numerorum admodum fuêre studiosi ; multi similiter desinentibus, Isocolis alii plus indulgent ; singularis est D. Leonis M. Numerus, quo Periodi partem priorem, seu Protasin ferè brevibus, extremum longis pedibus concludit, & metricum nescio quid, & modulatum habet. Exemplum esto de SS. Petro, & Paulo : Unius fidei pietas exigit, ut quod pro salute universorum *recolitur*, communibus ubique gaudiis *celebretur.*

Verumtamen hodierna festivitas, præter illam reverentiam, quam toto orbe *promeruit*, speciali, & propria nostræ Urbis exultatione est *veneranda.*

Ut ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est *exitus*, ibi in die Martyrii eorum lætitiæ sit *Principatus.*

Isti enim sunt viri, per quos tibi Evangelium Roma *resplenduit*, & quæ Magistra eras erroris, facta es disciplina *veritatis.*

6. *Quæ Figuræ suapte sunt Numerosæ ?* R. Distributionis, qualis est pro Roscio similiter desinente mixta : Est enim Judices hæc non *scripta*, sed *lata* lex, quam non *didicimus, accepimus, legimus ;* verùm ex natura ipsa *arripuimus, hausimus, expressimus :* ad quam non *docti*, sed *facti*, non *instituti*, sed *imbuti* sumus. Antithesis, ùt in Verrem pulcherrima : *Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus prætoris adventum cum illius Imperatoris victoria ; hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto, hujus libidines*

cum

cum illius continentia : ab illo qui cœpit , conditas , ab hoc qui conſtitutas accepit , captas dicetis Syracuſas. Concinnitatem item habet Traductio , Compar , ſimiliter cadens &c.

Ad Caput LI.
De Tribus Dicendi Generibus.

Quæ ais dicendi genera ? R. Utì Oratori de rebus omnibus : ſummis , mediis , imis , Divinis , humanis , naturalibus diſſerendum eſt , ita de ſe perſpicuum eſt , accommodandam rebus , quas tractat , orationem , nec eadem ubique vel argumentorum pugnacitate, vel amplificationis granditate , vel affectuum vehementia , vel Figurarum , ac Numerorum cultu utendum , alitérque aliis in thematis verſandum. Hanc dicendi rationem , pro quæſtionum varietate variam , *Stylum* vulgò vocant , ſeu *Characterem* , ſeu ſcribendi formam.

Quotuplex eſt Stylus ? R. Ut tria ſtatuuntur cauſarum genera , *parvæ , graves , modicæ* , ſeu mediæ ; ita triplex eſt Stylus , ſeu dicendi character. 1. *Humilis.* 2. *Sublimis.* 3. *Temperatus. Humilem,* ſubtilem item vocant , acutum, ac tenuem : *Sublimem* vehementem , copioſum , gravem : *Temperatum* lenem , ſuavem. Humili utimur , cùm docere ; ſublimi cùm movere ; temperato cùm delectare volumus. In quo porrò hæc Characterum diverſitas ſita ſit , quóque loco quilibet adhibendus , non ignorari oportet à Tyrone.

Quid eſt Stylus ? R. Qui ad quotidiani ſermonis orationem proximè quidem accedit , verborum tamen proprietatem , puritatémque curat , nec à Phraſibus , Tropis , Figuris abhorret , quibus etiam in vulgari conſuetudine locus eſt. Cæterùm amplificationes graviores , vel affectus , vel Numeros accuratiores haudquaquam admittit. Docentis eſt , & acutè probantis , quâ causâ etiam ſubtilis dicitur , *Tenuis* verò , quia docenti non aliud propoſitum , ac intelligi.

Ubinam uſurpatur Stylus Humilis ? R. Cicero in cauſis humilibus nec magni momenti , ùt pro Quintio , Flacco , Pautio , &c. utitur. Item in Epiſtolis , ſi paucas excipias , de rebus gravioribus propè ad orationis granditatem elatas.

tas. Præterea in Dogmaticis, Philoſophicis nempe Operibus, de officiis, amicitia, &c., Submiſſo hoc dicendi genere Commentarios ſuos conſcripſit Cæſar minimè, aut mediatos, ac fortaſſe Cornelius Nepos.

Adhibendus autem eſt in Epiſtolis, quæ prudentiæ plùs, quàm eloquentiæ deſiderant, ac ſubinde ipſo neglectu ſe commendant. 2. In Concionibus ruralibus Catecheticis, àc expoſitione Doctrinæ Chriſtianæ, in quibus comptum incedere velle quàm indecorum foret. Utendum dictione, quàm maximè populari, ac tantùm non triviali, ut rudes homines, pueri ipſi ſuum idioma agnoſcant. 3. In Concionibus item, quibus Myſterium aliquod Fidei obſcurius è Theologiæ fontibus, ùt de SS. Trinitate, de Gloria, de Cauſis Incarnationis, &c. ad captum explicandum eſt. 4. In Aſceticis Scriptis, à quibus omnis pompa removenda. 5. In Confirmationis partibus, quibus docetur maximè. 6. In Narrationibus veris, aut fabuloſis &c.

Qualis eſt ſtylus Sublimis? Re. Grandis, regius, vehemens, incitatus, dominans, qui præter argumentationem invictam, amplificationibus grandeſcit; Figuris illuſtribus, amorem, odium, miſerationem, iram, &c. flexilibus animis inſerit, per crebra inciſa mordet, pungit; modò perſtringit, aliàs in ſenſus irrepit; novas opiniones ingenerat, inſitas evellit, torrentis inſtar rapidus fertur; defunctos à mortuis excitat, patriam loquentem inducit, ad Deos, Deásque vertitur, tonat (quod de Pericle dicebatur) fulminat, permiſcet omnia.

Quando locus eſt huic Stylo? Re. Inter Ciceronianas ſublimiſſimæ, & omni oratorio apparatu armatæ ſunt; ideoque lectu omnium digniſſimæ: Philippica ſecunda, pro Milone, Verrina ultima, Catilinaria prima, & ultima, pro Domo ſua, in Piſonem, pro Rabirio, pro Sext. Roſcio. Locum item habet in Deliberativo Genere, quo de graviſſimis Reipublicæ negotiis ageretur; Item in Perorationibus, quibus præcipuè Motus ſpectatur. Tales quoque ſunt orationes militares Ducum apud Hiſtoricos, etſi ſuccinctæ, & abruptæ.

Sacris in Concionibus haud dubiè Eloquentiæ vis omnis, & acrimonia expromenda, graviter, ſublimiter,

ardenter dicendum, præsertim cùm de vitiis jam inolitis evellendis agitur, aut de veritatibus Evangelicis duturioribus, de relapsu vitando, occasionum fuga, condonandis injuriis, de Christianæ charitatis officiis, carne edomanda, &c. quibus in thematibus frustra victoriam speret, nisi Rhetor bonus, atsi alioqui ab omni sacra scientia quàm præclarissimè instructus fuerit. Nec usquam quàm in pulpito, positæ in Rhetorica perdiscenda operæ præstantiores fructus, aut suaviores leguntur.

Qualis est Stylus Temperatus, seu Mediocris? R. Humilem inter & sublimem medius; isto demissior, illo paulò elatior; qui ornatûs plurimùm, minùs vehementiæ habeat; amplificatione valeat imprimis, & Numeroso dicendi Genere; Figurarum parcior sit, nisi quæ ad delectandum, quàm pugnandum magìs faciant; nec nisi leniores quospiam affectus contineat; verbô nervorum minimùm, suavitatis plurimùm & ornamentorum habeat.

Ubinam Temperato Stylo locus? R. Cicero ubicunque in laudatorium Genus excurrit, hoc utitur, ùt pro Lege Manilia, & Marcello, quibus nihil expolitius est, vel suavius. Tales item sunt in domo Cæsaris, ac privatim, nempe ad Sapientes dictæ orationes, ùt pro Dejotaro, & Ligario. Pro Muræna item, & Archia Poëta. Servit porrò in orationibus Academicis, Panegyricis, Eucharisticis, Funeralibus, &c. Et quidquid ad Panegyricum genus refertur, nec minùs in Ecclesia in Festis B. Virginis, Cœlitum Divorum, Patrocinii, Dedicationis, &c.

Præter hos dicendi characteres sunt & alii, non tam à thematis, quàm Elocutionis diversitate appellati, quorum usitatiores sunt: 1. *Concisus.* 2. *Argutus.* 3. *Allegoricus.*

Quid est Stylus Concisus? R. Periodico, seu circumscripto oppositus, cùm plurima membratim dicuntur, & membra multis Incisis conferta sunt. Concisi hujus, & abrupti styli exemplar est Sallustius in sua quà Historia, quà orationibus; Seneca item, cujus sententiæ ùt dignissimæ, lapides sunt sine cœmento. Tacitus quoque nulla Numeri curâ brevis, & vibratus, & cogitanda relinquit plura, quàm dicat. Hunc sectatus est Justus Lipsius, ejúsque imitatores infelices nonnulli. Commendatur item in Epistola ad Familia-

miliares, ùt Cicero ad Tyronem ſuum: *Vide, quanta in te ſit ſuavitas. Duas horas Thyræi fuimus. Xenomanes hoſpes tam te diligit, quàm ſi vixerit tecum. Is omnia pollicitus eſt, quæ tibi eſſent opus. Mihi placebat, ut te Leucadem deportares, ubi te planè confirmares. Videbis, quid Curio, quid Medico placeat. Ego omnem ſpem tui diligenter curandi in Curio habeo. Nihil illo poteſt fieri humaniùs, nihil noſtri amantiùs. Ei te trade. Malo te paulò pòſt valentem, quàm ſtatim imbecillem videre. Cura igitur nihil aliud, niſi ut valeas. Cætera ego curabo.* Nullum hìc ambitum videas, effuſa, & ſoluta omnia.

Quis eſt Stylus Argutus? R. Eorum, qui ingenioſis argutiis Periodos omnes inferciunt, nihil ſimplex, aut non acumine aliquo ſplendens proferunt; quódque pro condimento eſſe debebat, pro alimento adhibent; id verò conſequuntur, ut ſui quidem admirationem aliquam excitent, cæterùm non modò non perſuadeant, aut moveant, ſed nec delectent quidem, quin Auditorem vel arguta illa non ſatis aſſequentem, vel tot acuminum mole feſſum delaſſent. Hujus Generis Princeps eſt Plinius in ſuo Trajani Panegyrico, illúmque paſſibus non æquis ſecuti, Cæſarum reliquorum Panegyriſtæ. In hanc ſectam adſcribi poſſunt Concionatores, quos *Conceptibus Scripturiſticis* delectari alibi diximus. Utriusque exempla afferre longum foret.

Quis eſt Stylus Allegoricus? R. Qui hodie nullô veterum exemplô nimium ſacris in Panegyricis invaluit, Divósque adſcita Solis, Aquilæ &c. imagine dilaudat. Quæ laudandi ratio minorem fortè de Sancto exiſtimationem ingenerat, ac ſi ejus acta ſimpliciter enarrares; quamquam Juvenum, & amplificandi arte deſtitutorum eſſe, & ſcholam olere alibi diximus.

Quæ ſunt alia Styli vitia? R. *Tumidus*, ſeu inflatus, rerum nempe vacuus, & ſententiarum, verbis grandibus, & levioribus figuris ineptè luxurians. *Juvenilis*, & *Frigidus*, qui ornamenta quædam puerilia, lepores inſulſos, alluſiones frivolas, deſcriptiunculas affectatas, Metaphoras, & crepundia, quæ vel Poëtam dedeceant, plenis modis admetitur; diminutiva cumulat &c. *Antiquus*, qui & verbis an-

tiquatis, & Eruditionibus undecunque corrasis ineptit. *Siccus*, & *Scholasticus*, qui vel Rhetoricæ Præceptis arctè nimiùm se adstringit, vel in Argumentationibus, Divisionibus, Subdivisionibus scholasticum in morem tenuis est, & exilis. *Miscellaneus*, qui modò sublimis, modò humilis, floridus, incultus, Concisus, Periodicus, verbô nullus est. *Pedester*, humi repens, nec sententiis argutus, elocutione incultus, jejunus, exsuccus, audientem tædiô enecet.

Ad Caput LII. *De Memoria.*

Quid est Memoria? Ut est Eloquentiæ pars, definitur à Cicerone: *Firma Rerum, & Verborum Recordatio.* Naturalis alia est, alia Artificialis; de qua antequam dicamus, videndum, an sacro Oratori (nam in Academicas orationes, quæ rariores sunt, ferè temporis abundè suppetit) cui quolibet octiduo, unius horæ dictio memoriæ mandanda est, partes duntaxat majores, & minores. 2. An de sensu ad sensum. 3. An omnino omnia ad verbum ediscenda sint.

Quid de partibus majoribus, & minoribus? R. *Majores* nempe ipsa Partitionis, seu Divisionis diu meditatæ membra, præsertim si per Incrementum fiat, memoriâ elabi vix possunt. *Minores*, nempe Argumentationes, & argumentorum amplificationes illustriores, si singulæ singulis in scribendo Paragraphis secentur; Paragraphi verò adjectis in margine Notulis, aut vocibus notentur (de quo infrà) haud magnâ molestiâ addiscentur. Qui relegerit aliquoties, & verborum copiâ non destituetur Orator, sui utcunque securus, pulpitum inibit.

An satis est summas partes memoriâ comprehendisse, cætera eventui, & ingenii felicitati permitti possunt? R. Nequaquam. De Periodo saltèm ad Periodum, seu sensu ad sensum discendum erit. Secùs enim fieri nequit, quin confuso ordine, posteriora priùs dicantur, addantur superflua, necessaria omittantur, oratio venustatem suam omnem perdet.

Ad verbum igitur discendum erit? R. Italis, Gallis, Hispanis, quibus non eadem ùt nobis Concionum crebri-

tas,

tas, temporísque ad apparandas abundè conceditur, de eo ne dubitare quidem in mentem venit. Ni enim ad verbum teneas omnia, Collocatio, Figuræ, Tropi verborum, ac præsertim admirabilis illa Numeri, & Elocutionis totius venustas omnino defluant, necesse est. Arduus sanè, ac puerilis Viro labor est, verbula singula memoriæ defigere, & ad hoc fastidium quot hebdomadis alligari. Verùm qui hoc tædio victus, summas tantùm partes velit edisscere, nec boni Concionatoris famam (quam non quærit) assequetur unquam, nec quos oportet animorum motus concitabit. Par autem est, & charitatis, & officii ratio exigere videtur, ut unus pro tanta multitudine, quæ frangendum panem expectat, nonnihil molestiæ sibi imponat, quæ tamen usu ipso, ac Exercitatione levior semper fiet.

Sed dicentis libertatem impedit hæc verbnlorum servitus? R. Ita quidem causantur nonnulli, putántque, qui ita se verbis alliget, tacita quadam sollicitudine, ac trepidatione defixum, déque memoria sollicitum unicè, minimam de voce, gestu, oculo, & actione reliqua curam habiturum; quin se periculo expositurum, ne verbulo uno fallente hæreat in medio, scriptúmque inspicere cogatur. Verùm agenti, quod suum est, nec cœleste auxilium deerit, ac superata prima difficultate, crescente verborum copia, cognita Auditorum humanitate, augebit fiducia, cùm nempe fallente licèt hac diligentiæ veluti tabulâ in alteram ingenii desilire promptum sit. Quin è converso, qui translato hoc labore memoriam securam præstiterit, haud paulò liberior erit ad vocem, & actionem moderandam, ac qui ex tempore dicere solitus, nunquam non de rebus dicendis sollicitus esse debeat. Singulari cura sacræ Scripturæ, Sanctorúmque Patrum textus, omissis tamen odiosis citationibus edisscendi sunt, quod in nostra methodo facilè; quâ desumpta inde argumenta, seu Enthymemata latè amplificantur, verba ipsa paucis, & strictim afferuntur; haud paulò operosior erat eorum labor, quorum Concio ferè tota, perpetua erat sententiarum catena.

Ad Caput LIV.

De Artificio, vel potiùs Adjumentis Memoriæ.

QUodnam eſt Artificium memoriæ? R. De hoc multa Soarius è Quintiliano. Ejus artis fundamenta ſunt. 1. *Loci, & Imagines.* 2. *Locorum, & Imaginum certus quidam ordo.* 3. *Uſus ipſe ſuas è Locis ſingulis imagines repetendi.* Ad eam doctrinam cognoſcendam duarum hebdomadum ſpatium, ac deinde ſex Menſium exercitationem aſſiduam deſiderant artis hujus Magiſtri. Quo labore devorato promittunt omnino mirandum fore, ut tam copioſè, tam celeriter occurrant memorandorum Figuræ, quàm facilè dum aliquid ſcribis, Alphabeticæ litteræ ſubveniunt: plùs diſcatur unâ horâ, quàm ab artis imperito quatuor; Dictata etiam triginta nominum millia exiguo interpoſito ſpatio eodem ordine de memoria reddi poſſint, &c. Exempla eorum, qui prodigioſâ ejusmodi memoriâ valuerint, afferunt nonnulla, ac propè fidem ſuperantia. De re tota nolim eſſe meum judicium, ùt libet, ſentiat quisque. Ego verò nullum novi, qui hac arte ſe magnopere adjutum diceret, nec ex innumeris per tot ſæcula defuturi fuiſſent, qui tantum bonum tantillo labore captarent & ipſi, & cum aliis communicarent. Ejus igitur in locum vulgares, certæque induſtriæ adhibendæ erunt, quales 1. Scribere ad verbum. 2. Ediſcere per partes. 3. Locô idoneô. 4. Opportuno tempore. 5. Animô à curis liberô. 6. Multa exercitatione. 7. Notis quibusdam.

1. *An ad verbum ſcribenda eſt Concio?* R. Scriptio, localis quædam memoria eſt. Nec DEO, nec cordatis hominibus probari poſſit eorum ignavia, qui ſumma tantùm capita, & ſententiolas aliquot in ſchedam conjiciunt. Non eſt res tam levis, ſacra oratio, ut quisquam vel exercitatiſſimus, vel de ingenio ſuo, vel divino auxilio ita præfidat, quin meditato, & ad verbum omnia conſcribat, mutet, addat, detrahat, expoliat. Quidquid temerè effunditur, ſatis digeſtum, ornatum, aut ordinatum eſſe nequit. Extemporalem Rhetorem ego nunquam audivero, quin apud me cogitem, quid me tuis malè concoctis divexas? ſi

bona

bona ſunt, quæ fortuitò, quantò meliora futura erant, quæ prævia meditatione, ſcriptione, ſcriptionis emendatione dicturus fueras?

2. *An per partes diſcendum?* R. Juvabit quidem primùm, ſemel ac iterum totam perlegiſſe; partes deinde, & ſectiones ſingulæ ſingillatim, ac per intervalla ita diſcendæ erunt, ut dum ulteriùs progrederis, priora repetas. Præ cæteris partibus, exordii, & Perorationis ipſa verba memoranda ſunt: Exordii quidem, cùm licèt ultimò componatur, præcipuè tamen *accuratum, acutum, inſtructum ſententiis, aptum verbis* eſſe debeat; Perorationis, quod in hac vis omnis Eloquentiæ promenda, & ſpes victoriæ ſita ſit; ſæpè autem uſuveniat, ut prioribus ediſcendis laſſatus orator, poſtrema hæc negligentiùs tractet.

3. *Qualis ad ediſcendum Locus aptior?* R. Remotior à ſtrepitu, ſolitarius, ab interventoribus liber. 2. Ubi ne oculis quidem aliò evagandi occaſio ſit. 3. Ubi commodè ambulari poſſit, ad menſam enim ſedendo non ita promptè diſcitur, tædiúmque citiùs obrepit. 4. Si fieri poſſit, ubi clara voce, vel ſaltèm articulata uti queas, quod ad Numerum ſervandum, vocis, ac geſtûs moderationem haud parùm confert.

4. *Quodnam tempus videtur opportunius?* R. Omnium conſenſu illud eſt, quod ſomnum præcedit, & nox conſequitur. Quod enim decubituri attentè legimus, & relegimus, per quietem, ſive ob remiſſionem, ſive quamcunque ob cauſam velut concoquitur, & matureſcit. Quare & Scholaribus ſuademus, ut ante ſomnum lectionum penſum curatè percurrant, & experrecti perdiſcant. Nullum verò importunius pomeridiano; niſi tribus à prandio horis. Antè enim ſpiritus digeſtioni ſervientes perturbat.

5. *Quæ impedimenta ſunt removenda?* R. Curæ mordaces, & negotia ſeponenda ſunt omnino. 2. Uti & ira, mœror, aliæque animi perturbationes, & quidquid vel cerebellum vaporibus obfuſcare, aut animum aliò abripere poſſit.

Quid exercitatio præſtat? R. Nulla firmandæ memoriæ induſtria certior eſt, ac Miloniana illa, qui primò vitulum, denique taurum manu libera ſuſtinuit. Quantum-

cunque dura memoria, molleſcet exercitatione quotidiana, & ſi per temporis intervallum aliquod, trium v. g. verſuum ex epiſtolis D. Pauli, pro diurno injunxeris, validior evadet indies ad onus penſi haud paulò majus ferendum. Ut Gymnaſtica exercitatione, & decurſionibus corporis vires, ita crebriùs memorando memoria mirificè firmantur.

7. *Quid de Notis quibusdam dicebas?* R. Non modò diſcenda eſt, ùt primò ſcripta eſt Concio, ſed in ipſa ſcribendi ratione obſervandum, ut argumenta ſingula, & amplificationes majores, à nova linea, vel verſù inchoentur, ſeu pro earum numero in plures ſectiones dividantur; ſectioni verò, ſeu paragrapho cuivis, vox quæpiam, vel Nota, ſignúmve aliud in margine apponatur, pingatúrve, quod ejus Paragraphi tenorem, aut ſummam in memoriam revocet, v. g. ſit: *Adverſa juſtorum, & proſpera impiorum.* 1. *Infirmare fidem noſtram non debent.* 2. *Quin imò corroborant.* Pax prima ſex cauſas afferat, cur DEUS adverſis exerceat, quæ in totidem paragraphos dividantur. 1. DEUS per hæc vult probare conſtantiam ſuorum. Adſcribe vocem marginalem: *Fit proba*, vel pinge Notam *Lapidem* lydium. 2. Ut eos ab omni affectione terrena purificet. Vox: *purificat.* Vel Nota: *Aurum in igne.* 3. Ut de ſalute ſua ſecuros reddat, ſubtrahendo noxia. Adſcribe: *Securos.* Pinge: *Infans cum cultro.* 4. Cogit ad ſui amorem, cætera omnia amara reddendo. *Cogit amare.* Vel *Flagellum.* 5. Pugnæ materiam dat, ut victoriæ præmia conferat. *Dat pugnam.* Vel *Gladius lauro cinctus.* 6. Hìc punit, ut ibi parcat ſuis. *Hìc punit.* Vel *Virgæ.*

Quis harum vocum, vel ſignorum uſus? R. Voces (ſi carmen effecerint, meliùs imprimentur) has: *Fit proba. Purificat. Securos. Cogit amare. Hìc punit.* Memnoſinas inquam has voculas in rejectanea charta decies, vigeſies, & ampliùs reſcribes, ac denique à medio, fine, ordine etiam retrogrado incipiendo memoriâ repetes. Idem de Figuris, Notísve actitabis, & hanc Concionis partem tenebis firmiſſimè. Illud obſerva, quò vox, carmen, figuræ, ſeu Notæ fuerint horridiora, inſulſa magìs, & ridicula,

dicula, hoc magìs ferient memoriam, cùm rerum inſolitarum acrior ſit ſenſus. Operæ verò viſum eſt, rem paradigmate illuſtrare.

Ediſcenda ſit Concio P. Segnery Dom. 3. Quadrageſ. cujus Thema: *Fugiendas pravas occaſiones.* Tacita Diviſio. Quia primò: Summa vis eſt præſentis objecti amabilis. 2. Ad quam vincendam nec tuæ virtuti fidere potes. 3. Nec à DEO gratiam vincendi ſperare.

Pars I. Amabilis objecti præſentia ita perturbat intellectum, ut voluntas ſibi conſtare nequeat. Probatur exemplô Helenæ, quam abſentem expellendam cenſebant Trojani, coram præſentem retinebant. Vox *Helena.* Vel *Fig. Facies Fœminæ.*

§. 2. Idem experientiâ famelici conſtat, opiparæ menſæ aſſidentis, &c. *Magna fames.* Figura. *Patina plena.*

§. 3. Diabolus Chriſto coram oſtendit omnia regna mundi, ut majorem impreſſionem faceret tentatio. *Sathanas.* Fig. *Cornutus Diabolus.*

§. 4. Ita tentator vos inducit in theatra, ludos muſicos, picturas laſcivas, & libros, &c. *Enumeratio partium.* Fig. *Notæ Muſicæ.*

Pars II. In periculo, cui vos offertis, non vos ſervabit veſtra virtus.

§. 5. Non habetis magìs frænatas veſtras affectiones, quàm multi Sancti in Eremo agentes. *Sylvicolæ.* Fig. *Fœnum.*

§. 6. Ab Exemplo Hieronymi enumerantis urbium pericula, cum dicto: *Fateor imbecillitatem meam. Hieronymus.* Fig. *Caput vetulum.*

§. 7. A Diſſimili. Illi in ſumma auſteritate fugiebant pericula remota: vos in ſumma molitie nec proxima. *Salvabuntur, qui fugerint. Diſpar.* Figura. *Fugitivus in curſu.*

§. 8. Exempla Eremitarum in periculo fædè lapſorum, ùt Jacobi, Victorini, &c. *Fœdè ceciderunt.* Fig. *Homo jacens.*

Pars III. Nec DEUS ſingulari gratiâ voſmet periculo exponentes juvabit.

§. 9. Ejus providentia nihil agit præter ordinem, quod ordinariis fieri potest. *Exempla.* Tres Magos Stella duxit, viæ ignaros, in patriam notam non reduxit. Petrum solvit, non calceavit. Paulum liberavit, sed enatantem. *Ordo DEI.* Fig. *Stella.*

§. 10. Medium ordinarium est, *qui cavet laqueos, securus erit*, id est, qui cavet nocivam aliàs conversationem, Comœdiam, &c. *Laqueus.* Figura. *Laqueus.*

§. 11. Inductio trium Puerorum, Jonæ, Danielis, &c. quos in sua causa DEUS miraculò servavit. *Pueri.* Fig. *Fornax ardens.*

§. 12. Custodes Angelos dedit, ut custodiant te in *viis tuis*, non item si petulanter te in locum præcipitem des. *Custos.* Fig. *Angeli.*

§. 13. Contrà servavit DEUS Juditham, Saram, Susanam &c. non Dinam turpiter lapsam, *quia sine causa egressa est videre mulieres regionis illius. Dina, Judith.* Fig. *Caput resectum.*

En Memnosynas voculas, seu Figuras, Summam Concionis indicantes:

Helena. Magna fames. Sathanas. Enumeratio partium. Sylvicolæ. Hieronymus. Dispar. Fœdè cecidêre. Ordo DEI. Laqueus. Custos. Dina. Judith.

Quæ sæpiùs scribillata, magno erunt adjumento memoriæ.

Ad Caput LVI.

De Pronunciatione, & Voce.

Quid circa Pronunciationem est observandum? R. Pronunciatio, quæ Rhetoricæ pars est ultima, duo complectitur, *Vocem, & Actionem*, seu Gestum. Sine hac ne summus quidem, ac disertissimus Orator placebit magnopere; parùm verò disertus, ac infans, sed voce, gestúque præclarus præfertur; ut adeò Demosthenes huic primas, secundas, tertias in Eloquentia tribuerit; & pessimè sibi consulant Concionatores, qui in conscribenda ad artis regulas, & ad verbum ediscenda Concione nulli operæ parcunt; non item eâdem diligentiâ in vera pronunciandi arte

se

ſe exercent, hoc eſt, merces vendibiliſſimas venditare neſciunt. Equidem naturæ dona, corporis habitus, educatio partem ſibi magnam vendicant, perfici tamen poſſunt ſtudiô, quæ à natura negata ſunt. Et ſi ad corrigendam infantiam, ac balbutiem ſuam, tantum (ùt multis narratur) operæ impendit Demoſthenes, ac Cicero, an Divini Verbi Præco minùs ſibi faciendum putabit?

Quid ſpectandum in voce? R. Ut *ſonora* ſit, & *nitida*. 2. *Articulata*. 3. *Variabilis*. *Sonora* quidem, & *nitida*, ut longè audiri poſſit; non rauca, ſtrepera, vel mollis, vel per nares effiata, vel immanis, & incondita. Si quæ ſunt nativa vocis vitia, quoad fieri poterit induſtriis corrigenda, vel rerum dignitate, ac ſententiarum compenſanda erunt utcunque. 2. *Articulata*, quæ diſtinctè, ut intelligi etiam à remotioribus poſſit, ſyllabas exprimat ſingulas; poſtremas imprimis ne abſorbeat, quod multorum vitium eſt; cui vitando vocis cadentis ſyllabæ duriùs aliquantò pronunciandæ forent. *Variabilis* nempe pro modo, & diverſitate partium orationis. 2. Thematum. 3. Figurarum. 4. Affectuum. 5. Periodorum.

1. *Qua voce utendum in ſingulis orationis partibus?* R. *Exordium* niſi ex abrupto fiat, lene erit, modeſtum, tranquillum. Nihil inſuavius, ac exordientis vociferatio. *Propoſitio*, & *Partitio* quàm fieri poteſt, clara ſit, & diſtincta. *Confirmatio* firma, & maſcula, & cùm docet, temperata. *Peroratio* vivida, vehemens, & concitata. Ad ſervandam vocis integritatem pars orationis quælibet, ut Exordium demiſſiore aliquantò tonô inchoanda eſſet.

2. *Quâ in diverſis thematis?* R. In precando decet vox depreſſior; in ſuaſione gravis; in laudatione clara, & explicata; in vitiorum inſectatione fortis, & commota; in jucundis tenera, & ſuavis &c. Quali demum in quotidiana conſuetudine uti à natura ipſa docemur.

3. *Quâ in diverſis Figuris?* R. Interrogatio naturalem ſuam flexionem, ac in fine elationem habet. Exclamatio item ſuam: Antitheſes ùt rem, ita ſonos compoſitos, altiorem, vel demiſſiorem amant: Proſopopœja ejus, quem loquentem facit, vocis modum: Apoſtrophe contentione

utitur

utitur &c. Naturâ, & celebrium Concionatorum imitatione hæc perficies.

4. *Quâ in diverſis Affectibus?* R. Hîc, ùt aliàs, natura magiſtra erit optima. Qui ipſe ſibi perſuadet, vera eſſe, quæ dicit; qui ipſe, quem in aliis commovere vult, affectu commovetur; ſuapte, nec cogitans in *Ira* voce utetur acuta, incitata, crebro incidente; in *Timore* dejecta, ac tremulâ; in *Gaudio* tenerâ, & hilari; in *Amore* blandâ, amœnâ, ſubridente; in *Odio* aſperâ, ac ſeverâ; in *Dolore* ardente, ac vehemente; &c. Memorabile eſt, quod Sinenſes, ſapiens certè populus, nullam ejus Vocis variationem in Judiciis ſuis tolerant; tantam illi vim ad Judices variè commovendos ineſſe putant.

5. *Quâ in Periodo?* R. Periodi pars prior moderatiore voce incipienda, & poſtremâ ſyllabâ præſertim in I. vel U. vocales terminata, diligenter ne deglutiatur, exprimenda. Poſt inciſa, vel Commata ſingula ſpiritus reciprocandus: paulò plus inſpirandum in medio Periodi, vox tamen ſuſpendenda, donec in clauſula deprimantur. Plùs etiam inter unam, ac ſequentem Periodum reſpirandum, ne contentione perpetua vox frangatur.

Quæ ſunt vitia Pronunciationis magìs vulgaria? R. Cantillatio. 2. Monotonia. 3. Vociferatio. 4. Languor. 5. Præcipitantia. 6. Lenitudo.

1. *Quæ eſt Cantillatio?* R. Eſt modulatio quædam, flexióque ad Rhythmi modum, per totam ferè orationem æqualis, id quod ſcenicum quid, & Declamatorium habet, ac tabulis uno colore pictis ſimile eſt. Eſt hoc multis à prima juventute agnatum vitium, quo pueri, eodem quo parentibus olim gratulabantur, vel in ſcena, aut feretris dicebant tono, res etiam minùtas, ac feſtivas; eadémque nænîâ, *Quæ maribus*, & Miloniane perorationem, vel Priami cædem, vel Herculis furores pronunciari aſſueti, cantilenam eandem tandem in cathedram afferunt. Cui tam vulgari incommodo remedium adhibebitur, ſi pueri in Comicis potiùs, ac humilioribus rebus ad familiaris ſermocinationis modulum, quàm ad tragicam granditatem exerceantur; eorum verò, quæ pronunciant, genuinum ſenſum intelligant.

2. *Quæ*

2. *Quæ est Monotonia?* R. Cantillationi partim oppositа, partim eadem, quæ legentem potiùs, quàm orantem refert, unóque, & insulso vocis tenore propè nulla flexione per totum utitur, eâdémque veluti chordâ ad extremum decurrit, res audientibus longè molestissima. Audivi, qui à principio ad finem veredarii cornu sonitum exprimebat. Quis autem ferat eodem tono dici v. g. *Quamdiu abutèris patientiâ nostrâ Catilina? Proficiscere, egredere &c.* Et: *Amicus meus summus, & popularis Geta heri ad me venit, &c.*

3. *Quæ est vociferatio?* R. Contentio vocis immoderata. Equidem plebecula non rarò, quem faucibus vocalissimis, lateribus valentissimis, vultu rigido corpus totum jactantem intemperanter, ut oratorem optimum oculis, labiisque diductis admiratur. Hos verò Cicero non oratores, sed *latratores* vocat, nec ad attentionem quidem ciendam facit hæc clamorum immanitas, utì assueti ad molendini strepitum suaviter condormiunt,

4. *Quem languorem dicis?* R. Vociferationi oppositum, cùm voce media frigidè, oscitanter, nihil variatô sonô, nihil mutato vultu, sine impressione, aut contentione ulla dicitur. Quem sic dicentem vix sibi ipsi concionari, ac fortè dictatum quid de memoria recitare credat auditor. Callidium quendam, qui pro concione remissa, & æquabili voce venenum sibi propinatum dixerat, vel è solo hoc languoris indicio mendacii redarguit Cicero: *Tuus*, ait, *iste mirificus languor mendacium arguit.*

5. *Quod est Præcipitantiæ vitium?* R. Eorum, qui celeritate nimìs volubili vix ullo ad respirandum, vel auditoribus ad cogitandum sumpto intervallo; fluminis, aut torrentis potiùs rapidi more trudunt orationem præcipitem, séque, & Auditores delassant adeò, ut quod Augustus de quodam dixit: *Sufflamine* (suffiamen retinaculum est rotæ in præceps currentis) *opus haberet.* satìs fuerit ad laudem orationis, si prompta, facilis, & nuspiam hæsitans memoria æquabili velut alveo pacatam dixerit orationem.

Quod nimiæ Lenitudinis vitium est? R. Præcipitantiæ oppositum, & eorum est, qui in singulis ferè vo-

culis

culis interſiſtunt, litteras veluti ſyllabatim computando annumerant, guttatim quodammodo loquuntur, ut diu hiandum ſit, dum ad finem Periodi proreparatur. Nihil hoc genere moleſtius, nihil quod minùs in animum deſcendat, quódque, niſi nullam concionem omittere obſtirmatus, ad extremum perduret.

Ad Caput LVIII. *De Geſtu.*

Quid eſt Geſtus? R. Geſtus, ſeu Actio quinta Eloquentiæ pars, veluti muta quædam elocutio eſt, & ad ea, quæ dicuntur, oris, manúsque decens motus, & totius corporis conformatio. Habet Geſtus & in familiari ſermone locum, quamquam Germani non perinde ùt quædam nationes vividæ, geſticulantur. Illud Oratori generatim, ut nec effuſa jactatione mimum agat, vel hiſtrionem, nec loquentis inſtar ſtatuæ, immotus adſtet; eáque ratione geſtum curet, ut de cura nihil appareat.

Quid in Actione obſervandum? R. Corporis ſitus. 2. Caput. 3. Vultus. 4. Oculi. 5. Collum, humeri, brachia. 6. Manúsque præcipuè. *Corpus* itaque erit erectum, nec antrorſum recurvum, nec ad latus recline, minùs cathedræ inurbanè incumbens. *Caput* ne ſeniliter ſit propendulum, neque niſi ad languorem exprimendum, ad latus rejectum; multa capitis agitatio indecora eſt. Annuimus tamen, cùm damus; renuimus negantes; averſione modica averſionem, remotionem, vel dubitationem indicamus. *Vultus* pro rerum varietate ſeverus, blandus, erectus, alacer, aut contrà triſtis, remiſſus, contractus. *Oculi*, animi ſcilicet indices certiſſimi in Actione dominentur, & manum ſequantur, motibúsque cæteris vitam afflent, oportet. Qui vix aperiunt, vel in unum locum defixos habent, non tam agunt, quàm recitant orationem. *Collum*, contractum, vel protenſum, vel rigidum, & immobile placere non poteſt; nec ſi *Humeri* jactentur, attollantur, deprimantur, contrahantur; *Brachia*, nec incompoſitè pendebunt deorſum, nec ùt tela vibrabuntur, ſiniſtrum quieſcit plerumque; nec quàm longum eſt, extollitur dextrum, ſed ſummum ſupra oculos. Percutere ſuggeſtum, pedibus

pedibus ſupplodere, manus cum ſono complodere, ſunt qui minùs probent.

Quæ autem manûs actio? R. Dexterâ ferè utendum, quâ præcipuè conſtat actio. Cavendum autem, ne digiti ſint diſſipati, aut tribus extremis digitis in volam contractis, indice ſolo, & pollice geſtum moderemur. Pro rebus movetur manus, ut cùm *attraho, repello, extollo, deprimo, unio, ſeparo, miſceo, divido, ſcando, deſcendo, verto, tremo, tumeo, rumpo, rogo, &c. Cœlum, terra, frons, caput, aſtra, &c.* Singillatim autem:

Supplicamus, aut invocamus junctis manibus, iiſque vel elatis, depreſſis. 2. *Averſamur*, execramur, negamus, caput ad dextram, manum verò vel utramque ad lævam vertendo. 3. *Interrogamus* dextram modicè ſublevando, ita ut vola auditorem reſpiciat. 4. *Urgemus*, inſtamus alterno motu, brachio liberiùs prolato, manuum impreſſione varia. 5. *Diſtinguimus* contraria, dextram ſupinam in ſiniſtrum latus, ac deinde pronam in dextrum transferendo. 6. *Confirmamus*, manum dextram pronam gravi quodam, & decenti motu deprimendo. 7. *Exprobramus* tribus digitis preſſis, & indice explicato. 8. *Timemus* manibus ſublatis, aliquantùm palpitantibus, & ſenſim versùs pectus recedentibus.

Iraſcimur aliàs manu in pugnum contracta, aliàs porrecta, & ad latus extenta, non item ſuggeſtum percutimus. *Pœnitudo* oſtenditur manibus ante pectus decuſſatis, capite paulùm ad latus declinante. *Dolemus* complicatis inter ſe manibus, vel utrinque dejectis. *Admiramur* manibus elatis utrâque volâ ad populum verſâ, & oculis ſurſum ſublatis. *Ironiam* exprimit vultus paulùm averſus, os ſubridens, caput leniter annuens, index uterque in latus protenſus. *Aſſeveramus* dextrâ remiſſâ, pectori admotâ, vel manibus leniter complosis. *Hortamur* dextrâ cavâ, & apertâ, & identidem ſublatâ.

Mitigamus manu aliquoties leniter elata, & cum quadam gravitate demiſſa. *Multitudo* manibus disjunctis: paucitas conjunctis, & cavis ſignificatur. *Minitamur* ſuſpenſô ſupercilio, indice elato, & aliquoties motô. *Dimittimus* averſa manu celeriter mota. *Prohibemus* manu elata,

elata, & paulùm ſuſpenſa. *Permittimus* dextrâ conversâ, & porrectâ. Omittenda denique ſunt nonnulla, quæ dedecent; ut crebrò Strophium ex habitu quodam arripere; manicas, ſuperpelliceum, pileolum aliter, alitérque verſare, ſcreare, aut tuſſire ultrà quàm neceſſe, unde memoriæ fugam ſuſpicari eſſet, ſemper eundem ſine varietate geſtum efformare.

Haud abs re foret, ſi utì de Affectibus certi quidam toni compoſiti exſtant; ità Formula aliqua componeretur, quâ Figuræ omnes, ad exercitandos Tyrones exprimerentur.

S. D. H. & G.



AU.

AUTHORES
IN SCHOLA RHETORICÆ PRÆLEGI SOLITI.

M. TULII CICERONIS
SELECTÆ ORATIONES QUINQUE

ORATIO II.
PRO SEXTO ROSCIO AMERINO.

ARGUMENTUM.

Dominante Sulla Dictatore magna civium & bonorum proscriptio Romæ facta est. Hac occasione capta Titus Roscius Magnus, Capitonis Roscii frater Sextum Amerinum Roscium patrem, tanquam à Sylla proscriptum, ex odio, vel vetere inimicitia, noctu à cœna reducem occidit; eadémque nocte Capitonem Ameriæ in Umbria degentem cædis certiorem fecit. Captio statim Ameriâ Volaterras in castra Syllæ convolat, ac Chrysogono præpotenti apud Syllam liberto significat, quantum lucri esset, si bona Roscii occisi tanquam proscripti coemeret: parte sibi, & fratri data. At quia vivebat Ameriæ Sextus Roscius occisi Sexti filius, legitimus hæres, qui rapinam hanc fieri non pateretur; illum C. Erutio tradunt accusandum, tanquam auctorem, & reum parricidii. Sic Roscius paterna domo per vim ejectus, & omnibus fundis spoliatus Romam venit. Acta est causa in foro anno U. C.

673. *Ciceronis* 28. *Prætore M. Fannio Coſſ. L. Sylla uno, antequam ſe Dictaturâ abdicaret anno, & Q. Metello Pio. Oratio eſt in* genere Judiciali. Stylus *acutus, & ſubtilis, narratione gravis, Deſcriptionibus amœnus.* Status *Conjecturalis:* Eventus. *Abſolutus eſt Roſcius. Putant tamen aliqui, Ciceronem hac oratione dicta, non tam ſtudiorum, aut valetudinis causâ, quàm Syllæ metu Athenas commigrâſſe.*

SYNOPSIS.

Exordium. A cauſis, cui Cicero, & non alius eorum: qui adſunt, defendat S. Roſcium. Harum *prima* eſt, quòd in Cicerone major ſit, quàm in aliis dicendi libertas. *Secunda*, ratio officii.

Narratio. Primùm deſcribit Roſciorum inimicitias; deinde ex his cædem S. Roſcii; poſtea ex celeri ejus nuncio; ex Societate Roſcii Capitonis cum Chryſogono; ex venditione, & poſſeſſione bonorum inſciò Syllâ; ex perfidia ejusdem Roſcii in fallendis Amerini municipii ad Syllam legatis; denique ex conſilio accuſandi hunc S. Roſcium de parricidio, auctores cædis probat eſſe adverſarios.

Propoſitio. Duplex eſt, etſi ad eundem finem tendens. *Prior:* S. Roſcius non occidit Patrem ſuum. *Altera:* illum adverſarii occiderunt.

Diviſio, & argumenta prioris Partis. Primò S. Roſcius non habuit cauſam occidendi Patrem: Secundò nec facultatem, ſeu poteſtatem. Poſterioris Partis: Adverſarii habuerunt cauſam illum occidendi; ſecundò habuerunt & facultatem.

Primi argumenti argumentatio: Parricidii crimen tam eſt grande, ut accuſator magnas cauſas afferre debeat, cur ſit commiſſum: *Sed* accuſator Erutius nullam afferre cauſam potuit: *ergo* non eſt credibile, à S. Roſcio occiſum Patrem. *Amplificatio, & probatio Minoris:* Parricidii cauſæ, & indicia ſunt: corrupti mores filii, audacia, luxuria, debita, cupiditas: ex parte patris, odium filii; quorum nihil probare poteſt Erutius. Nec enim ſceleratus filius, nec amens pater fuit, qui ſinè cauſa oderit filium. Nam quòd eum rus miſerit, honoris, & benevolentiæ causâ miſit, & exemplo plurium, ac Majorum. Quòd exhæredare voluerit, futile eſt, ac fictum. Ineptus igitur, & imprudens Erutius, qui ſinè cauſa aliquem accuſet parricidii. *Amplificatio majoris ſimul & Conſequentiæ.* Hoc crimen ſinè maximis cauſis non eſt credibile tum teſtimonio naturæ; tum præjudicio Judicum Tarracinenſium; & exemplis Poëticis; & decretis ſuppliciis.

Secundi argumenti argumentatio. S. Roſcius non habuit facultatem. Si habuit facultatem occidendi Patris, vel per ſe occidit,

dit vel per alios, *ſed* horum neutrum eſt; *ergo*. *Amplificatio*, & *Prob. minoris*. Non potuit *per ſe* occidere, quia Romæ non erat, quando Pater occiſus fuit. *Non per liberos* ex Ameria, qui non nominantur. *Non per ſicarios*, quos non novit vir ruri aſſiduus. *Non per ſervos*, quos quotidie vocat in quæſtionem.

Pars II. Primi argumenti argumentatio. Adverſarii habuerunt cauſam occidendi. Cui cædes majori bono fuit, is majorem occidendi cauſam habuit: *ſed* cædes Roſcii Patris majori bono fuit T. Roſcio, quàm Sexto filio; *ergo* ille potiùs, quàm hic habuit cauſam occidendi. *Amplificatio*, & *Prob. Minoris*. Nam T. Roſcius mendicus, avarus, audax, inimicus Roſcio diviti fuit: Hic Sextus ruri addictus, infeſtus nemini, denique filius. Subjungitur iterum facetа digreſſio, in accuſatorem Erutium.

Partis II. Secundi argumenti argumentatio. Adverſarii habuerunt facultatem occidendi. Quinque ſunt indicia, quibus hæc facultas, & cædes in eos conjicitur. *Amplificatio*, & *Probatio Anteced.* 1. Argumentum cædis eſt audacia T. Roſcii, qui cum accuſatore ſedet. 2. Cædes celeriter nunciata Capitoni. 3. Capitonis perfidia in fallendis legatis ad Syllam. 4. Quæſtio ſervorum recuſata ab adverſariis. 5. Avaritia, & potentia Chryſogoni.

Peroratio. Commiſerationis affectus erga S. Roſcium, qui æquò animò fortunas ſuas omnes concedit Chryſogono, cum deprecatione ad Judices, ut iſtam crudelitatem non ferant in Republica.

ORATIO.

1. *Exordium.* Credo ego vos, Judices, mirari: quid ſit, quòd, cùm tot ſummi oratores, hominéſque nobiliſſimi ſedeant; ego poſtiſſimùm ſurrexerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate ſim cum his, qui ſedeant, comparandus. Omnes enim hi, quos videtis adeſſe in cauſa, injuriam novo ſcelere conflatam putant oportere defendi: defendere ipſi propter iniquitatem temporum non audent. Ita fit, ut adſint, propterea quòd officium ſequuntur: taceant autem idcirco, quia periculum metuunt.

2. Quid ergo? audaciſſimus ego ex omnibus? minimè. At tantò officioſior, quàm cæteri? ne iſtius quidem laudis ita ſum cupidus, ut aliis eam præreptam velim.

Num. 1. *Exordium.* Fit Prolepſi, & ſuſtentatione à cauſis, quare Cicero præ aliis defendat S. Roſcium.

2. Prima cauſa eſt, major in Cicerone, quàm aliis libertas dicendi propter adoleſcentiam, ac tenuem in Rep. auctoritatem.

lim. Quæ me igitur res præter cæteros impulit, ut cauſam Sex. Roſcii reciperem? quia ſi quis iſtorum dixiſſet, quos videtis adeſſe, in quibus ſumma authoritas eſt, atque amplitudo: ſi verbum de Rep. feciſſet, id, quod in cauſa fieri neceſſe eſt. multò plura dixiſſe, quàm dixiſſet, putaretur.

3. Ego, etſiamſi omnia, quæ dicenda ſunt, liberè dixero: nequaquam tamen ſimiliter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit. Deinde, quòd cæterorum neque dictum obſcurum eſſe poteſt propter nobilitatem, & amplitudinem: neque temerè dicto concedi propter ætatem, & prudentiam. Ego ſi quid liberiùs dixero: vel occultum eſſe propterea, quòd nondum ad Remp. acceſſi, vel ignoſci meæ adoleſcentiæ poterit. Tametſi non modò ignoſcendi ratio, verùm etiam cognoſcendi conſuetudo, jam de civitate ſublata eſt.

4. Accedit illa quoque cauſa, quòd à cæteris forſitan ita petitum ſit, ut dicerent: ut utrumvis ſalvo officio ſe facere poſſe arbitrantur. A me autem ii contenderunt, qui apud me & amicitiâ, & beneficiis, & dignitate plurimùm poſſunt: quorum ego neque benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aſpernari, nec voluntatem inegligere debeam.

5. His de cauſis ego huic cauſæ patronus extiti: non electus unus, qui maximo ingenio, ſed relictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſem dicere: neque uti ſatis firmo præſidio defenſus Sex. Roſcius, verùm uti ne omnino deſertus eſſet. Forſitan quæratis, qui iſte terror ſit, & quæ tanta formido, quæ tot, ac tales viros impediat, quò minùs pro capite, & fortunis alterius, quemadmodum conſueverunt, cauſam velint dicere. Quod adhuc vos ignorare non mirum eſt: propterea quòd conſultò ab accuſatoribus ejus rei, quæ conflavit hoc judicium, mentio facta non eſt.

6. Quæ res ea eſt? bona patris hujuace Sex. Roſcii, quæ ſunt ſexagies: quæ de viro fortiſſimo, & clariſſimo L. Sylla,

4. Altera cauſa eſt ratio officii.

5. Altera Prolepſi excuſat eos, qui propter periculum à Sylla tacent in hac cauſa: & Chryſogonum vocat in invidiam ab iniqua poſtulatione.

L. Sylla, quem honoris causâ nomino, duobus millibus nummûm se se dicit emisse adolescens vel potentissimus hoc tempore nostræ civitatis L. Cornelius Chrysogonus. Is à vobis judices hoc postulat: ut, quoniam in alienam pecuniam tam plenam, atque præclaram, nullo jure invaserit: quoniámque ei pecuniæ vita Sex Roscii obstare, atque officere videatur, deleatis ex animo suo suspicionem omnem, metúmque tollatis. Sese hoc incolumi non arbitratur hujus innocentis patrimonium tam amplum, & copiosum posse obtinere: damnato, & ejecto speret se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere, atque consumere. Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctésque stimulat, ac punit, ut evellatis postulat: & ad hanc suam prædam tam nefariam adjutores vos profiteamini.

7. Si vobis æqua, & honesta postulatio videtur judices: ego contrà brevem postulationem affero: & quomodo mihi persuadeo, aliquantò æquiorem. Primùm à Chrysogono peto, ut pecunia, fortunísque nostris contentus sit, sanguinem, & vitam ne petat: deinde à vobis judices, ut audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem levetis: & in causa Sex. Roscii periculum, quod in omnes intenditur, propulsetis.

Quòdsi aut criminis, aut facti suspicio, aut quælibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi non nihil tamen in deferendo nomine secuti: postremò si præter eam prædam, quam dixi, quidquam aliud causæ inveneritis; non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscii vita dedatur: si aliud agitur nihil, nisi ut iis ne quid desit, quibus satìs nihil est: si hoc solùm hoc tempore pugnatur, ut ad illam optimam, præclarámque prædam damnatio Sex. Roscii, velut cumulus accedat: nónne cùm multa indigna, tum vel hoc indignissimum est: vos idoneos habitos, per quorum sententias, júsque jurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere, & ferro assequi consuerunt? qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter severitatem. Ab his hoc postulare homines sicarios, atque

7. Auget invidiam postulando, quod æquius est à Chrysogono, & Judicibus, ne quod indignum iniquo isti homini faveant.

gladiatores : non modò ut ſupplicia vitent, quæ à vobis pro maleficiis ſuis metuere, atque horrere debent : verùm etiam ut ſpoliis Sex. Roſcii hoc judicio ornati, auctíque diſcedant ?

9. His de rebus tantis, támque atrocibus, neque ſatìs me commodè dicere, neque ſatis graviter conqueri, neque ſatìs liberè vociferari poſſe intelligo : nam commoditati ingenium, gravitati ætas, libertati tempora ſunt impedimento. Hue accedit timor, quem mihi natura, pudórque meus attribuit, & veſtra dignitas, & vis adverſariorum, & Sex. Roſcii pericula. Quapropter vos oro, atque obſecro judices : ut attentè, bonáque cum venia verba mea audiatis.

10. Fide, ſapientiáque veſtrâ fretus, plùs oneris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo. Hoc onus ſi vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, ſtudiô, & induſtriâ, judices; ſin à vobis, id quod non ſpero, deſerar ; tamen animo non deficiam ; & id, quod ſuſcepi, quoad potero, perferam. Quod ſi perferre, non potero : opprimi me onere officii malo, quàm id, quod mihi cum fide ſemel impoſitum eſt, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere. Te quoque magnopere M. Fanni quæſo : ut qualem te jam antea populo R. præbuiſti, cùm huic idem quæſtioni judex præeeſſes : talem te, & populo R. hoc tempore impertias.

11. Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc judicium, vides : quæ ſit omnium mortalium expectatio, quæ cupiditas, ùt varia, ac ſevera judicia fiant, intelligis. Longo intervallo judicium inter ſicarios hoc primùm committitur : cùm interea cædes indigniſſimæ, maximæque factæ ſint. Omnes hanc quæſtionem te Prætore de manifeſtis maleficiis, quotidianóque ſanguine haud remiſſiùs ſperant futurum.

12. Qua vociferatione in cæteris judiciis accuſatores uti

9. Hanc indignationem amplificat primò à diſtributione.

10. Deinde à ſua in Judices fiducia, ac fortitudine defendendi S. Roſcium.

11. Apoſtrophâ ad M. Fannium.

12. Hanc Apoſtropham ad majorem motum exornat gradatione à conſequentibus.

uti conſueverunt, eâ nos hoc tempore utimur, qui cauſam dicimus. Petimus abs te M. Fanni, à vobísque Jud. ut quàm acerrimè maleficia vindicetis: ut quàm fortiſſimè hominibus audaciſſimis reſiſtatis: ut hoc cogitetis, niſi in hac cauſa, qui veſter animus ſit, oſtenderitis; eò prorumpere hominum cupiditatem, & audaciam; ut non modò clàm, verùm etiam hìc in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes veſtros judices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint.

13. Etenim quid aliud hoc judicio tentatur, niſi ut id fieri liceat? accuſant ii, qui in fortunas hujus invaſerunt: cauſam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accuſant ii, quibus occidi patrem Sex. Roſcii bono fuit: cauſam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verùm etiam egeſtatem. Accuſant ii, qui hunc ipſum jugulare ſummè cupierunt: cauſam dicit is, qui etiam ad hoc ipſum judicium cum præſidio venit, ne hic ibidem ante oculos veſtros trucidetur. Denique accuſant ii, quos populus poſcit: cauſam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria cæde reſtat.

14. *Narratio.* Atque ut faciliùs intelligere poſſitis judices; ea, quæ facta ſunt, indigniora eſſe, quàm hæc ſunt, quæ dicimus; ab initio res quemadmodum geſta ſit, vobis exponemus; quò faciliùs, & hujus hominis innocentiſſimi miſerias, & illorum audaciam cognoſcere poſſitis, & Reipubl. calamitatem.

15. Sex Roſcius pater hujuſce, municeps Amerinus, fuit cùm genere, & nobilitate, & pecunia, non modò ſui municipii, verùm etiam ejus vicinitatis facilè primus; tum gratiâ, atque hoſpitiis florens hominum nobiliſſimorum. Nam cum Metellis, Serviliis, Scipionibus, erat ei non modò hoſpitium, verùm etiam domeſticus uſus, & conſuetudo; quas, ùt æquum eſt, familias honeſtaris, amplitudinisque gratiâ nomino. Itaque ex ſuis omnibus commodis hoc ſolùm filio reliquit. Nam patrimonium domeſtici

13. Et repetitione per antitheſes.

14. Brevis tranſitio eſt ad Narrationem.

15. Continet Narratio 1. deſcriptionem Patris S. Roſcii à nobilitate; divitiis, gratiâ, & præclare factis in tuenda nobilitate.

prædones vi ereptum poſſident; fama, & vita innocentis ab hoſpitibus, amicísque paternis defenditur.

16. Hic cùm omni tempore nobilitatis fautor fuiſſet: tum hoc tumultu proximo, cùm omnium nobilium dignitas, & ſalus in diſcrimen veniret; præter cæteros in ea vicinitate eam partem, causámque operâ, ſtudiô, authoritate defendit. Etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare; propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur. Poſteaquam victoria conſtituta eſt, ab armí que receſſimus; cùm proſcriberentur homines, atque ex omni regione caperentur ii, qui adverſarii fuiſſe putabantur; erat ille Romæ frequens, atque in foro, & in ore omnium quotidie verſabatur: magis ut exultare victoria nobilitatis videretur; quam timere, ne quid ex ea calamitatis ſibi accideret.

17. Erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Roſciis Amerinis: quorum alterum ſedere in accuſatorum ſubſeliis video; alterum tria hujuſce prædia poſſidere audio; quas inimicitias ſi tam cavere potuiſſet, quam metuere ſolebat, viveret. Neque enim Jud. injuriâ metuebat. Nam duo iſti ſunt T. Roſcii, quorum alteri Capitoni cognomen eſt: iſte, qui adeſt, Magnus vocatur: homines ejusmodi. Alter plurimarum palmarum vetus, & nobilis gladiator habetur; hic autem nuper ſe ad eum laniſtam contulit; qui, cùm ante hanc pugnam tyro eſſet ſcientiâ, facilè ipſum magiſtrum ſcelere, audaciáque ſuperavit.

18. Nam cùm hic Sex Roſcius eſſet Ameriæ, T. autem iſte Roſcius Romæ: cùm hic filius aſſiduus in prædiis eſſet, cúmque ſe voluntate patris rei familiari, vitæque ruſticæ dediſſet; iſte autem frequens Romæ eſſet: occiditur ad balneas Palatinas rediens à cœna Sex. Roſcius. Spero ex hoc ipſo non eſſe obſcurum, ad quem ſuſpicio maleficii pertineat. Verùm id, quod adhuc eſt ſuſpicioſum, niſi perſpicuum res ipſa fecerit; hunc affinem culpæ judicatote.

19. Occi-

17. 3. Deſcriptionem duorum Roſciorum ſceleratorum, inter quos & Patrem S. Roſcii fuêre inimicitiæ.

18. 3. Cædem Patris Roſcii ab Adjunctis loci, & temporis.

19. Occisô Sex. Roſciô, primus Ameriam nunciat Manlius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris iſtius T. Roſcii: & nunciat domum, non filii, ſed T. Capitonis inimici. Et cùm poſt horam primam noctis occiſus eſſet; primô dilucùlô nuncius hic Ameriam venit, Decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſſis pervolavit: non modò ut exoptatum inimico nuncium primus afferret; ſed etiam cruorem inimici quàm recentiſſimum, telúmque paulò antè è corpore extractum oſtenderet.

20. Quatriduo, quo hæc geſta ſunt, res ad Chryſogonum in caſtra L. Syllæ Volaterras defertur: magnitudo pecuniæ demonſtratur: bonitas prædiorum (nam fundos decem & tres reliquit, qui Tyberim ferè omnes tangunt) hujus inopia, & ſolitudo commemoratur. Demonſtrant, cùm Pater hujuſce Sex Roſcius, homo tam ſplendidus, & gratioſus, nullo negotio ſit occiſus; perfacilè hunc, hominem incautum, & ruſticum, & Romæ ignotum, de medio tolli poſſe. Ad eam rem operam ſuam pollicentur. Ne diutiùs vos teneam Judices, ſocietas cogitur.

21. Cùm jam proſcriptionis mentio nulla fieret, & cùm, etiam qui antea metuerant, redirent, ac jam defunctos ſe ſe periculis arbitrarentur; hominis ſtudioſiſſimi nobilitatis, manceps fit Chryſogonus: tria prædia vel nobiliſſima Capitoni propria traduntur, quæ hodie poſſidet; in reliquas omnes fortunas iſte T. Roſcius nomine Chryſogoni, quemadmodum ipſe dicit, impetum facit. Hæc bona ſexagies HS, emuntur duobus millibus nummûm. Hæc omnia, Jud. imprudente L. Sylla facta eſſe certò ſcio.

22. Neque enim mirum, cùm eodem tempore & ea, quæ præterita ſunt, & ea, quæ videntur inſtare, præparet; cùm & pacis conſtituendæ rationem, & belli gerendi poteſtatem ſolus habeat; cùm omnes in unum ſpectent, unus omnia gubernet; cùm tot, tantísque negotiis diſtentus ſit,

19. 4. Nuncium celeriter à Glaucia T. Roſcio Capitoni factum.

20. 5. Ejusdem T. Roſcii Capitonis ſocietatem cum Chryſogono, ut ſimul in fortunas incauti ruſtici involarent.

22. Fit parva digreſſio ad benevolentiam L. Syllæ, quo inſcio hæc facta dicit Orator, captandam.

ut reſpirare liberè non poſſit; ſi aliquid non animadvertat: cùm præſertim tam multi occupationem ejus obſervent, tempúsque aucupentur; ut ſimul atque ille deſpexerit, aliquid hujuſcemodi moliantur. Huc accedit, quòd quamvis ille felix ſit, ſicut eſt; tamen tanta felicitate nemo poteſt eſſe in magna familia, qui neminem neque ſervum, neque libertum improbum habeat.

23. Interea iſte T. Roſcius vir optimus, procurator Chryſogoni, Ameriam venit; in prædia hujus invadit; hunc miſerum, luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri juſta ſolviſſet, nudum ejicit domo, atque ſocis patriis Diísque penatibus præcipitem Judices exturbat; ipſe ampliſſimæ pecuniæ fit Dominus. Qui in ſua re fuiſſet egentiſſimus, erat, ùt fit, inſolens in aliena, multa palàm domum ſuam auferebat; plura clàm de medio removebat; non pauca ſuis adjutoribus largè, effuséque donabat; reliqua conſtituta auctione vendebat.

24. Quod Amerinis uſque eò viſum eſt indignum, ut urbe tota fletus, gemitúsque fieret. Etenim multa ſimul ante oculos verſabantur; mors hominis florentiſſimi Sex. Roſcii crudeliſſima, filii autem ejus egeſtas indigniſſima; cui de tanto patrimonio prædo iſte nefarius ne iter quidem ad ſepulchrum patrium reliquiſſet; bonorum emptio, flagitioſa poſſeſſio, furta, rapinæ, donationes. Nemo erat, qui non ardere omnia malleț; quàm videre in Sex. Roſcii, viri optimi, atque honeſtiſſimi bonis jacentem ſe, ac dominantem T. Roſcium.

25. Itaque decurionum decretum ſtatim fit, ut decem primi proficiſcantur ad L. Syllam; doceántque eum, qui vir Sex. Roſcius fuerit; conquerantur de iſtorum ſcelere, & injuriis; orent, ut & illius mortui famam, & filii innocentis fortunas conſervatas velit. Atque ipſum decretum quæſo cognoſcite. DECRETUM DECURIONTM. Legati in caſtra veniunt. Intelligitur Jud. id, quod jam antè dixi, imprudente L. Sylla ſcelera hæc, & flagitia fieri. Nam ſtatim

23. 6. Deſcribit flagitioſam poſſeſſionem bonorum Sex. Roſcii per T. Roſcium Chryſogoni nomine, Amerinis omnibus ingemiſcentibus.

25. 7. Perfidiam adverſariorum in fallendis ad Syllam legatis.

ſtatim Chryſogonus, & ipſe ad eos accedit; & homines nobiles allegat iis, qui peterent, ne ad Syllam adirent; & omnia Chryſogonum, quæ vellent, eſſe facturum pollicerentur.

26. Uſque adeò autem ille pertimuerat; ut mori mallet, quàm his rebus Syllam doceri. Homines antiqui, qui ex ſua natura cæteros fingerent; cùm ille confirmaret ſe ſe nomen Sex. Roſcii de tabulis exempturum, prædia vacua filio traditurum; cúmque id ità futurum T. Roſcius Capito, qui in X. legatis erat, adpromitteret; crediderunt; Ameriam re inorata reverterunt. Ac primò rem differre quotidie, ac procraſtinare iſti cœperunt; deinde aliquantò leniùs, nihil agere, atque deludere; poſtremò id, quod facilè intellectum eſt, inſidias vitæ hujusce Sex. Roſcii parare; neque ſe ſe arbitrari poſſe diutiùs alienam pecuniam domino incolumi obtinere.

27. Quod is ſimul atque ſenſit de amicorum, cognatorúmque ſententia Romam confugit; & ſe ſe ad Cæciliam Nepotis filiam, quam honoris causâ nomino, contulit, quâ pater uſus erat plurimùm. In qua muliere Jud. etiam nunc, id quod omnes ſemper exiſtimaverunt, quaſi exempli causâ veſtigia antiqui officii remanent. Ea Sex. Roſcium inopem, ejectum domô, atque expulſum ex ſuis bonis, fugientem latronum tela, & minas, recepit domum; hoſpitíque oppreſſo jam, deſperatóque ab omnibus, opitulata eſt. Ejus virtute, fide, diligentiâ factum eſt, ut hic potiùs vivus in reos, quàm occiſus in proſcriptos referretur.

28. Nam poſtquam iſti intellexerunt, ſummâ diligentiâ vitam Sex. Roſcii cuſtodiri; neque ſibi ullam cædis faciendæ poteſtatem dari; conſilium ceperunt plenum ſceleris, & audaciæ; ut nomen hujus de parricidio deferrent; ut ad eam rem aliquem accuſatorem veterem compararent, qui de ea re poſſet dicere aliquid, in qua re nulla ſubeſſet ſuſpicio; denique, ut, quoniam crimine non poterant, tempore ipſo pugnarent; ità loqui homines, quòd judicia tam diu facta non eſſent, condemnari eum oportere, qui primus

27. 9. Fugam Sex. Roſcii ad Cæciliam nepotis filiam.

28. 9. Conſilium adverſariorum accuſandi Sex. Roſcii de parricidio.

mus in judicium adductus esset. Huic autem patronos propter Chrysogoni gratiam defuturos, de bonorum venditione, & de ista societate verbum esse facturum neminem: ipso nomine parricidii, & atrocitate criminis, fore; ut hic nullo negotio tolleretur, cùm ab nullo defensus esset. Hoc consilio, atque adeò hâc amentiâ impulsi, quem ipsi, cùm cuperent, non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt.

29. Quid primùm querar? aut unde potissimùm exordiar judices? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorúmne immortalium? populíne Romani? vestrámne qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem?

30. Pater occisus nefariè, domus obsessa; ab inimicis bona adempta, possessa, direpta: filii vita infesta, sæpè ferrô, atque insidiis appetita. Quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? tamen hæc aliis nefariis cumulant, atque adaugent; crimen incredibile confingunt; testes in hunc, & accusatores hujusce pecuniâ comparant; hanc conditionem misero ferunt, ut optet, utrum malit, cervices Roscio dare; an insutus in culeum, per summum dedecus vitam amittere. Patronos huic defuturos putaverunt, desunt. Qui liberè dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac causa est satis; quoniam quidem suscepi, non deest profectò judices.

31. Et forsitan in suscipienda causa temerè impulsus adolescentiâ fecerim; quoniam quidem semel suscepi, licèt hercule undique omnes terrores, minæ, periculáque impendeant omnia, succurram, atque subibo. Certum est, deliberatúmque, quæ ad causam pertinere arbitror, omnia non modò dicere, verùm etiam libenter, audacter, liberéque dicere. Nulla res tanta existet, judices, ut possit vim mihi majorem adhibere metus, quàm fides.

32. Etenim quis tam dissoluto animo est? qui hæc cùm videat, tacere, ac negligere possit? patrem meum, cùm proscriptus non esset, jugulâstis: occisum in proscriptorum

29. Quod consilium orator amplificat à dubitatione.
30. Item à forti pollicitatione sui officii.
32. Prosopopeja.

ptorum numerum retuliſtis : me domô meâ per vim expuliſtis : patrimonium meum poſſidetis : quid vultis ampliùs ? etiámne ad ſubſellia cum ferro , atque telis veniſtis, ut hìc aut juguletis , aut condemnetis Sex. Roſcium ?

33. Hominem longè audaciſſimum nuper habuimus in civitate C. Fimbriam : & quod inter omnes conſtat, niſi inter eos, qui ipſi quoque inſaniunt, inſaniſſimum. Cùm curâſſet in funere C. Marii, ut Q. Scævola vulneraretur, vir ſanctiſſimus , atque ornatiſſimus noſtræ civitatis ; de cujus laude ne que hìc locus eſt, ut multa dicantur ; neque plura tam dici poſſunt, quàm populus R. memoriâ retinet : diem Scævolæ dixit , poſteaquam comperit eum poſſe vivere. Cùm ab eo quæreretur , quid tandem accuſaturus eſſet eum , quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam ſatìs commodè poſſet ? ajunt hominem , ùt erat furioſus, reſpondiſſe, quòd non totum telum corpore recepiſſet. Quo populus R. nihil vidit indignius, niſi ejusdem viri mortem ; quæ tantum potuit, ut omnes cives ſuos perdiderit, & afflixerit ; quos quia ſervare per compoſitionem volebat, ipſe ab iis interemptus eſt.

34. Eſtne hoc illi dicto, atque facto Fimbriæ non ſimillimum ? accuſatis Sex. Roſcium , quid ita ? quia de manibus ſeſtris effugit ; quia ſe occidi paſſus non eſt. illud, quia in Scævola factum eſt , magis indignum videtur ; hoc, quia fit à Chryſogono , num eſt ferendum ? nam per Deos immortales , quid eſt in hac cauſa , quod defenſionis indigeat ? qui locus ingenium patroni requirit ? aut oratoris eloquentiam magnopere deſiderat ? totam cauſam Jud. explicemus , atque ante oculos expoſitam conſideremus. Ita facillimè, quæ res totum judicium contineat, & quibus de rebus nos docere oporteat , & quid vos ſequì conveniat , intelligetis.

35. Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum , quæ obſtent hoc tempore Sex. Roſcio : crimen adverſariorum , & audacia, & potentia. Criminis conflictionem accuſator Erucius ſuſcepit : audaciæ partes Roſcii ſibi poſce-

33. Comparatione hujus nefarii conſilii , cum facto C. Fimbriæ.

35. Tria ſibi obſtare ait Cicero , quæ enumerat.

poſcerunt: Chryſogonus autem, is, qui plurimum poteſt, potentiâ pugnat. De hiſce omnibus rebus me dicere oportere intelligo.

36. Quid igitur eſt? non eôdem modô de omnibus, ideò quòd prima illa res ad meum officium pertinet; duas autem reliquas vobis populus Romanus impoſuit. Ego crimen oportet diſluam; vos & audaciæ reſiſtere, & hominum ejusmodi pernicioſam, atque intolerandam potentiam primo quoque tempore extinguere, atque opprimere debetis.

37. *Confirmationis Pars Prior.* **Argumentum I.** Occidiſſe patrem Sex. Roſcius arguitur. Sceleſtum, Dii immortales! ac nefarium facinus; atque ejuſmodi, quo uno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur. Etenim ſi id, quod præclarè à ſapientibus dicitur, vultu ſæpè læditur pietas; quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti? pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, jura divina, atque humana cogebant. In hoc tanto, tam atroci, tam ſingulari maleficio; quod ità rarò extitit, ut ſi quando auditum ſit, portenti, ac prodigii ſimile numeretur, quibus tandem te C. Erucî argumentis accuſatorem cenſes uti oportere?

38. Nónne & audaciam ejus, qui in crimen vocetur, ſingularem oſtendere; & mores feros, immanémque naturam, & vitam vitiis, flagitiísque omnibus debitam, & denique omnia ad perniciem profligata, atque perdita? quorum tu nihil in Sex. Roſcium, ne objiciendi quidem cauſa, contuliſti.

39. Patrem occidit Sex. Roſcius; qui homo? adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magìs quadraginta. Vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſæpè in cæde verſatus? at hoc ab accuſatore

37. Argumentum primum: *S. Roſcius non habuit cauſam occidendi Patris.* Syllogiſmus eſt: *Parricidii tantum eſt crimen, ut ejus maximas cauſas afferre oporteat, ſed hoc facere nequit Erucius, ergo &c.* Major effertur Exclamatione, & comparatione Majorum & apoſtrophâ ad accuſatorem.

39. Minor probatur refutatione cauſarum, quas adfert Erucius, nam & ipſo fatente ex parte filii corrupti mores, audacia &c. per ſubjectionem removentur à S. Roſcio.

fatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirùm, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt. De luxuria purgavit Erucius, cùm dixit: Hunc ne in convivio quidem ullo ferè interfuisse. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porrò quæ possunt esse in eo; qui, ùt ipse accusator objicit, ruri semper habitârit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè disjuncta à cupiditate, & cum officio conjuncta.

40. Quæ res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio objecit? patri, inquit, non placebat. Patri non placebat? quam ob causam? necesse est enim eam quoque justam, & magnam, & perspicuam fuisse. Nam ut illud incredibile est, mortem oblatam esse patri à filio sine plurimis, & maximis causis: sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filium sine causis multis, & magnis, & necessariis.

41. Rursus igitur eòdem revertamur, & quæramus, quæ tanta vitia fuerint in unico filio; quare is patri displiceret. At perspicuum est, nullum fuisse. Pater igitur amens, qui odisset eum sine causa, quem procreârat. At is quidem fuit omnium constantissimus. Ergo illud jam perspicuum profectò est, si neque amens pater, neque perditus filius fuerit, neque odii causam patri, neque sceleris filio fuisse.

42. Nescio, inquit, quæ causa odii fuerit: fuisse odium intelligo; quia antea, cùm duos filios haberet, illum alterum, qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse, hunc in prædia rustica relegârat. Quod Erucio accidebat in mala, nugatoriáque accusatione, idem mihi usuvenit in causa optima. Ille, quo modo crimen commentitium confirmaret, non inveniebat; ego, res tam leves qua ratione infirmem, ac diluam, reperire non possum.

43. Quid ais Eruci? tot prædia, tam pulchra, tam fructuosa

41. Ex parte Patris non fuisse odium subjectione, & dilemmate ostendit.

42. Primum odii argumentum, quod leviter effert Erutius, *relegatio filii in agros benevolentiam, honorem, non odium, aut supplicium probat.*

43. *Confirmatur* 1. Ex eo, quòd ei patens optima prædia

ctuoſa Sex. Roſcius filio ſuo relegationis, ac ſupplicii gratiâ colenda, ac tuenda tradiderat: quid hoc? patresfamilias, qui liberos habent, præſertim homines illius ordinis, ex municipiis ruſticanis, nónne optatiſſimum ſibi putant eſſe, filios ſuos rei familiari maximè ſervire? & in prædiis colendis operæ plurimùm, ſtudiíque conſumere?

44. At amandârat hunc ſic, ut eſſet in agro, ac tantummodò aleretur in villam, ut commodis omnibus careret. Quid, ſi conſtat, hunc non modò colendis prædiis præfuiſſe, ſed certis fundis patre vivo frui ſolitum eſſe? taménne hæc attenta vita, & ruſticana, relegatio, atque amandatio appellabitur? vides Eruci, quantum diſtet argumentatio tua abs re ipſa, atque à veritate. Quod conſuetudine patres faciunt, id quaſi novum reprehendis, quod benevolentiâ fit, id odiô factum criminaris. Quod honoris causâ pater filio ſuo conceſſit, id eum ſupplicii causâ feciſſe dicis. Neque hæc tu non intelligis; ſed uſque eò, quid arguas, non habes; ut non modò tibi contra nos dicendum putes, verùm etiam contra rerum naturam, contráque conſuetudinem hominum, contráque opiniones omnium.

45. At enim, cùm duos filios haberet; alterum à ſe non dimittebat, alterum ruri eſſe patiebatur. Quæſo Eruci, ut hoc in bonam partem accipias. Non enim exprobrandi causâ, ſed commovendi gratiâ dicam.

46. Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo naſcerêre; ex quo intelligere poſſes, qui animus patrius in liberos eſſet; at natura certè dedit, ut humanitatis non parùm haberes. Eò acceſſit ſtudium doctrinæ, ut ne à litteris quidem alienus eſſes. Et quid tandem tibi videtur (ut ad fabulas veniamus) ſenex ille Cæcilianus minoris facere Eutychum filium ruſticum, quàm illum alterum Chereſtratum? (nam, ùt opinor, hoc nomine eſt) alterum in urbe ſecum honoris causâ habere, alterum rus ſupplicii causâ relegâſſe? quid ad iſtas ineptias abis, inquies?

47. Quaſi

colenda dederint. 2. Quòd patresfamilias filios rus mittant, non quòd probroſum, aut criminoſum, ſed quia honeſtum.

44. Secum pugnare Erutium arguit à contrariarum rerum confictione.

46. *Confirmatio* 3. Fabula Cæciliani ſenis.

47. Quasi verò mihi difficile sit, quamvis multos nominatim proferre (ne longiùs abeam) vel tribules, vel vicinos meos; qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiant. Verùm homines notos sumere, odiosum est; cùm & illud incertum sit, velintne hi sese nominari; & nemo vobis magìs notus futurus sit, quàm est hic Eutychus: & certè ad rem nihil interfit, utrum hunc ego comicum adolescentem, an aliquem ex agro Vejente nominem. Etenim hæc conficta arbitror à Poëtis esse, ut effictos nostros mores in alienis personis, expressámque imaginem nostram vitæ quotidianæ videremus. Age nunc, refer animum sis, ad veritatem; & considera, non modò in Umbria, atque in ea vicinitate, sed in his veteribus municipiis, quæ studia à patribus-familias maximè laudentur. Jam profectò te intelliges inopiâ criminum summam laudem Sex. Roscio vitio, & culpæ dedisse.

48. At non modò hoc patrum voluntate liberi faciunt: sed permultos & ego novi: &, nisì me fallit animus, unusquisque vestrûm; qui & ipsi incensi sunt studiô, quod ad agrum colendum attinet; vitámque hanc rusticam, quam tu probro, & crimini putas esse oportere, & honestissimam, & suavissimam esse arbitrantur.

49. Quid censes hunc ipsum Sex. Roscium, quô studiô, & quâ intelligentiâ esse rusticis in rebus? ut ex his propinquis ejus, hominibus honestissimis, audio, non tu in isto artificio accusatorio callidior es, quàm hic in suo. Verùm, ùt opinor, quoniam ità Chrysogono videtur, qui huic nullum prædium reliquit; & artificium obliviscatur, & studium deponat, licebit. Quod tametsi miserum, & indignum est, feret tamen æquô animô judices; si per vos vitam, & famam potest obtinere. Hoc verò est, quod ferri non potest; si & in hanc calamitatem venit propter prædiorum bonitatem, & multitudinem; &, quòd ea studiosè colùit, id erit ei maximè fraudi; ut parùm miseriæ

Rhet. R sit,

47. *Confirm.* 4. Exemplo multorum, qui ista ætate agros colebant.

49. Hic parva digressio est in prædia diligenter à Sexto culta, nunc iniquè à Chrysogono possessa.

ſit, quòd aliis coluit, non ſibi, niſi etiam, quòd omnino coluit, crimini fuerit.

50. Næ tu Eruci accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus natus eſſes, cùm ab aratro arceſſebantur, qui Conſules fierent. Etenim, qui præeſſe agro colendo flagitium putes, profectò illum Attilium, quem ſua manu ſpargentem ſemen, qui miſſi erant, convenerunt, hominem turpiſſimum, atque inhoneſtiſſimum judicares. At hercule majores noſtri longè aliter, & de illo, & de cæteris talibus viris exiſtimabant; itaque ex minima, tenuiſſimáque Rep. maximam, & florentiſſimam nobis reliquerunt. Suos enim agros ſtudioſè colebant, non alienos cupidè appetebant. Quibus rebus, & agris, & urbibus, & nationibus Remp. atque hoc imperium, & populi Rom. nomen auxerunt.

51. Neque ego hæc eò profero, quò conferenda ſint cum hiſce, de quibus nunc quærimus; ſed ut illud intelligatur, cùm apud majores noſtros ſummi viri, clariſſimíque homines, qui omni tempore ad gubernacula Reipubl. ſedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operæ, temporiſque conſumpſerint; ignoſci oportere ei homini, qui ſe fateatur eſſe ruſticum, cùm rure aſſiduus ſemper vixerit; cùm præſertim nihil eſſet, quod aut patri gratiùs, aut ſibi jucundius, aut re vera honeſtius facere poſſet.

52. Odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc opinor, oſtenditur Eruci, quòd hunc rure eſſe patiebatur. Nunquid eſt aliud? imò verò, inquit, eſt. Nam iſtum exhæredare in animo habebat. Audio. Nunc dicis aliquid, quòd ad rem pertineat. Nam illa opinor, tu quoque concedis levia eſſe, atque inepta. Convivia cum patre non inibat, quippe qui ne in oppidum niſi perrarò veniret. Domum ſuam iſtum non ferè quiſquam vocabat; nec mirum, quem neque in urbe videret, neque rure vocaturus eſſet.

53. Ve-

50. *Confirm.* 5. Exemplo majorum, qui ab aratro ad Conſulatum accerſebantur.

51. Clauditur argumentum parva anacephalæoſi.

52. *Alterum* odii paterni *argumentum* de exhæredatione filii probari nequit, & dialogiſmo, ac Conceſſione ut nugatorium irrideretur.

53. Verùm hæc tu quoque intelligis eſſe nugatoria. Illud, quod cœpimus, videamus; quo certiùs argumentum odii reperiri nullo modo poteſt. Exhæredare pater filium cogitabat. Mitto quærere, qua de cauſa? quæro qui ſcias? tametſi te dicere, atque enumerare cauſas omnes oportebat; & id erat certi accuſatoris officium, qui tanti ſceleris argueret, explicare omnia vitia, atque peccata filii; quibus incenſus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipſam vinceret; ut amorem illum penitus inſitum ejiceret ex animo, ut denique patrem eſſe ſe ſe obliviſceretur; quæ ſine magnis hujuſce peccatis accidere potuiſſe non arbitror.

54. Verùm concedo tibi, ut ea prætereas, quæ, cùm taces, nulla eſſe concedis. Illum quidem voluiſſe exhæredare, certè tu planum facere debes. Quid ergo affers, quare id factum putemus: verè nihil potes dicere. Finge aliquid ſaltèm commodè, ut ne planè videaris id facere, quod apertè facis; hujus miſeri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. Exhæredare filium voluit, quam ob cauſam? neſcio. Exhæredavítne? non. Quis prohibuit? cogitabat. Cogitabat? cui dixit? nemini. Quid eſt aliud, judiciô, ac legibus, ac majeſtate veſtra abuti ad quæſtum, atque ad libidinem; niſi hoc modo accuſare, atque id objicere, quod planum facere non modò non poſſis, verùm ne coneris quidem?

55. Nemo noſtrûm eſt Eruci, quin ſciat tibi inimicitias, Sex. Roſcio nullas eſſe; vident omnes, qua de cauſa huic inimicus venias; ſciunt hujuſce pecuniâ te adductum eſſe. Quid ergo eſt? iàtamen quæſtûs te cupidum eſſe oportebat; ut horum exiſtimationem, & legem Memmiam putares aliquid valere oportere. Accuſatores multos eſſe in civitate utile eſt, ut metu contineatur audacia. Verùmtamen hoc ità eſt utile, ut ne planè illudamur ab accuſatoribus. Innocens eſt quiſpiam; verumtamen, quanquam abeſt à culpa, ſuſpicione tamen non caret. Tametſi miſerum eſt, tamen ei, qui hunc accuſet, poſſim aliquo modo

55. Digreditur in accuſatores ineptos, qui emolumentô, vel ſuſpicione ad cauſas impelluntur, adducta per Ironiam compoſitione canum, & anſerum in Capitolio.

ignoſcere. Cùm non aliquid habeat, quod poſſit criminosè; ac ſuſpiciosè dicere, apertè ludificari, & calumniari non videatur.

56. Quare facilè omnes patimur eſſe quamplurimos accuſatores: quòd innocens, ſi accuſatus ſit, abſolvi poteſt: nocens, nisì accuſatus fuerit, commendari non poteſt. Utilius eſt autem abſolvi innocentem, quàm nocentem cauſam non dicere. Anſeribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio: ut ſignificent, ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt; ſignificant tamen, ſi qui noctu in Capitolium venerint. Et quia id eſt ſuſpicioſum, tametſi beſtiæ ſunt; tamen in eam partem potiùs peccant, quæ eſt cautior. Quod ſi luce quoque canes latrent, cùm Deos ſalutatum aliqui venerint; opinor, iis crura ſuffringantur, quòd acres ſint etiam tum, cùm ſuſpicio nulla ſit.

57. Simillima eſt accuſatorum ratio. Alii veſtrûm anſeres ſunt, qui tantummodò clamant, nocere non poſſunt; alii canes, qui, & latrare, & mordere poſſunt. Cibaria vobis præberi videmus; vos autem maximè debetis in eos impetum facere, qui merentur. Hoc populo gratiſſimum eſt. Deinde ſi voletis, etiam tum, cùm veriſimile erit aliquem commiſiſſe, in ſuſpicione latratote. Id quoque concedi poteſt. Sin autem ſic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidiſſe; neque dicere poſſitis, aut quare, aut quo modo; ac tantummodo ſine ſuſpicione latrabitis; crura quidem vobis nemo ſuffringet: ſed, ſi ego hos bene novi, literam illam, cui vos uſque eò inimici eſtis, ut etiam alias omnes oderitis, ità vehementer ad caput affigent; ut poſtea neminem alium, nisì fortunas veſtras, accuſare poſſitis.

58. Quid mihi ad defendendum bone accuſator? quid hiſce autem ad ſuſpicandum? ne exhæredaretur, veritus eſt. Audio: ſed qua de cauſa vereri debuerit, nemo dicit. Habebat pater in animo: planum fac. Nihil eſt, non quicum deliberârit, quem certiorem fecerit: unde iſtud vobis ſuſpicari in mentem venerit. Cùm hoc

58. Redit ad Erutium, cujus negligentiam, & fiduciam in accuſando oſtendit Proſopopœiâ, & Ethopœiâ.

hoc modo accuſes Eruci, nónne hoc palàm dicis: ego, quid acceperim, ſcio; quid dicam, neſcio. Unum illud ſpectavi, quod Chryſogonus ajebat, neminem iſti patronum futurum, de bonorum emptione, déque ea ſocietate neminem eſſe, qui verbum facere hoc tempore auderet. Hæc te opinio falſa in iſtam fraudem impulit. Non me hercule verbum feciſſes, ſi tibi quemquam reſponſurum putâſſes.

59. Operæ precium erat, ſi animadvertiſtis Judices, negligentiam ejus in accuſando conſiderare. Credo, cùm vidiſſet, qui homines in hiſce ſubſelliis ſederent, quæſiſſe; num ille, aut ille defenſurus eſſet: de me ne ſuſpicatum quidem, quòd antea cauſam publicam nullam dixerim. Poſteaquam invenit neminem eorum, qui poſſunt, & ſolent; ità negligens eſſe cœpit, ut, cùm in mentem veniret ei: reſideret: deinde ſpatiaretur: nonnunquam etiam puerum vocaret, credo cui cœnam imperaret: prorſus ut veſtro conſenſu, & hoc conventu, pro ſumma ſolitudine abuteretur.

60. Peroravit aliquando, aſſedit. Surrexi ego. Reſpirarè viſus eſt, quòd non alius potiùs diceret. Cœpi dicere. Uſque eò animadverti judices eum jocari, atque alias res agere, antequam Chryſogonum nominavi. Quem ſimul atque attigi, ſtatim homo ſe erexit, mirari viſus eſt. Intellexi, quid eum pupugiſſet. Iterum, ac tertiò nominavi. Poſtea homines curſare ultrò, & citrò non deſtiterunt; credo, qui Chryſogono nuntiarent, eſſe aliquem in civitate, qui contra voluntatem ejus dicere auderet; aliter cauſam agi, atque ille exiſtimaret; aperiri bonorum emptionem, vexari peſſimè ſocietatem, gratiam, potentiámque ejus negligi, Judices diligenter attendere, populo rem indignam videri.

61. Quæ quoniam te fefellerunt Eruci, quoniámque vides verſa eſſe omnia: cauſam pro Sex. Roſcio, ſi non commodè, at liberè dici: quem dedi putabas, defendi intelligis: quos traditurus ſperabas, vides; judicare: reſtitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem, atque prudentiam; confitere huc ea ſpe veniſſe, quòd putares hic latrocinium, non judicium futurum. De parri-

cidio cauſa dicitur. Ratio ab accuſatore reddita non eſt, quam ob cauſam patrem filius occiderit.

62. Quod in minimis noxis, & in his levioribus peccatis, quæ magis crebra, & jam propè quotidiana ſunt, maximè, & primùm quæritur, quæ cauſa maleficii fuerit; id Erucius in parricidio quæri non putat oportere. In quo ſcelere Judices, etiam cùm multæ cauſæ conveniſſe unum in locum, atque inter ſe congruere videntur, videntur, tamen non temerè creditur: neque levi conjecturâ res penditur, neque teſtis incertus auditur, neque accuſatoris ingenio res judicatur. Cùm multa antea maleficia, tum vita hominis perditiſſima, tum ſingulari audacia oſtendatur, neceſſe eſt: neque audacia ſolùm, ſed ſummus furor, atque amentia. Hæc cùm ſint omnia, tamen extent oportet expreſſa ſceleris veſtigia; ubi? qua ratione? per quos? quo tempore maleficium ſit admiſſum? quæ niſi multa, & manifeſta ſunt, profectò res tam ſceleſta, tam atrox, tam nefaria credi non poteſt.

63. Magna eſt enim vis humanitatis: multùm valet communio ſanguinis: reclamitat iſtiusmodi ſuſpicionibus ipſa natura: portentum, atque monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana ſpecie, & figurâ; qui tantum immanitate beſtias vicerit; ut, propter quos hanc ſuaviſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſimè luce privârit; cùm etiam feras inter ſe ſe partus, atque educatio, & natura ipſa conciliet.

64. Non ità multis antè annis ajunt T. Cœlium quendam Tarracinenſem, hominem non obſcurum, cùm cænatus cubitum in idem conclave cum duobus adoleſcentibus filiis iſſet, inventum eſſe manè jugulatum. Cùm neque ſervus quiſquam reperiretur, neque liber, ad quem ea ſuſpicio pertineret; id ætatis autem duo filii propter cubantes ne ſenſiſſe quidem ſe dicerent, nomina filiorum de parricidio delata ſunt. Quid poſtea?

65. Erat

62. Concluſionem Syllogiſmi amplificat Cicero: 1. Congloba-tione cauſarum parricidii, quas maximas eſſe oportet.

63. *Amplificat* 2. A teſtimonio naturæ.

64. 3. A præjudicio Terracinenſium.

65. Erat ſanè ſuſpicioſum, neutrum ſenſiſſe? auſum autem eſſe quenquam ſe in id conclavé committere; eò potiſſimùm tempore, cùm ibidem eſſent duo adoleſcentes filii; qui & ſentire, & defendere facilè poſſent? erat porrò nemo, in quem ea ſuſpicio conveniret. Tamen cùm planum Judicibus eſſet factum, apertô oſtiô dormientes eos repertos eſſe; judiciô abſoluti adoleſcentes, & ſuſpicione omni libertati ſunt. Nemo enim putabat quenquam eſſe; qui, cùm omnia divina, atque humana jura ſcelere nefario poluiſſet, ſomnum ſtatim capere potuiſſet: propterea quòd qui tantum facinus comiſerunt, non modò ſinè cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſinè metu poſſunt.

66. Videtísne, quos nobis Poëtæ tradiderunt patris ulciſcendi causâ ſupplicium de matre ſumpſiſſe; cùm præſertim Deorum immortalium juſſis, atque oraculis id feciſſe dicantur; tamen ut eos agirent furiæ, neque conſiſtere uſquam patiantur? quod ne pii quidem ſinè ſcelere eſſe potuerunt. Sic ſe res habet judices: magnam vim, magnam neceſſitatem, magnam poſſidet religionem paternus, maternúsque ſanguis. Ex quo, ſi qua macula concepta eſt, non modò elui non poteſt, verùm uſque eò permanat ad animum, ut ſummus furor, atque amentia conſequatur.

67. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſæpè numero videtis: eos, qui aliquid impiè, ſceleratéq; commiſerint, agitari, ac perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiáque afficit; ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque furiæ; quæ dies, noctésque parentum pœnas à conſceleratiſſimis filiis repetant.

68. Hæc magnitudo maleficii facit: ut, nisì penè manifeſtum parricidium proferatur, credibile non ſit; nisì turpis adoleſcentia, nisì omnibus flagitiis vita inquinata, nisì ſumptus effuſi cum probro, atque dedecore, nisì prærupta audacia, nisì tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab inſania. Accedat huc oportet odium parentis, animadverſionis paternæ metus, amici improbi, ſervi conſcii,

66. 4. Ab exemplo Poëtico Oreſtis &c. ac malæ conſcientiæ.

ſcii, tempus idoneum, locus oportunè captus ad eam rem; penè dicam, reſperſas manus ſanguine paterno Judices videant, oportet; ſi tantum facinus, tam immane, tam acerbum crediturí ſint. Quare hoc quo minùs eſt credibile, nisì oſtenditur; eò magis eſt, ſi convincitur, vindicandum.

69. Itaque cum multis ex rebus intelligi poteſt; majores noſtros non modò armis plùs, quàm cæteras nationes, verùm etiam conſiliô, ſapientiâque potuiſſe: tum ex hac re vel maximè, quòd in impios ſingulare ſupplicium invenerunt. Qua in re quantum prudentiâ præſtiterint iis, qui apud cæteros ſapientiſſimi fuiſſe dicuntur, conſiderate.

70. Prudentiſſima civitas Athenienſium, dum ea rerum potita eſt, fuiſſe traditur. Ejus porrò civitatis ſapientiſſimum Solonem dicunt fuiſſe eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, ſcripſerit. Is cùm interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necâſſet; reſpondit: ſe id neminem facturum putâſſe. Sapienter feciſſe dicitur, cùm de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat; ne non tam prohibere, quàm admonere videretur. Quantò majores noſtri ſapientiùs; qui, cùm intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquandò violaret audacia; ſupplicium in parricidas ſingulare excogitaverunt: ut, quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet, ii magnitudine pœnæ maleficio ſummo tenerentur. Inſui voluerunt in culeum vivos, atque ità in flumen dejici.

71. O ſingularem ſapientiam Judices. Nónne videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe, & erripuiſſe; cui repentè cœlum, ſolem, aquàm, terrámque ademerunt? ut, qui eum necâſſet, unde natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. Noluerunt feris corpus objicere; ne beſtiis quoque, quæ tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus uterentur. non ſic nudos in flumen dejicere, ne, cùm delati eſſent in mare,

69. 5. Ab exemplo Athenienſium, & graviſſimis ſuppliciis in parricidas Romæ decretis.

70. Ornatur hic locus exclamatione, & eleganti diſtributione.

mare, ipſum poluerent, quò cætera, quæ violata ſunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare eſt, cujus partem ullam reliquerint.

72. Etenim quid eſt tam commune, quàm ſpiritus vivis? Terra mortuis? mare fluctuantibus? littus ejectis? ità vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ità moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ità jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ità poſtremò ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mòrtui conquieſcant. Tanti maleficii crimen, cui maleficio tam inſigne ſupplicium eſt conſtitutum, probare te Eruci cenſes poſſe talibus viris, ſi ne cauſas quidem maleficii protuleris? ſi hunc apud bonorum emptores ipſos accuſares, eíque judicio Chryſogonus præeſſet; tamen diligentiùs, paratiúsque veniſſes.

73. **Argumentum II.** Utrum, quid agatur, non vides? aut; apud quos agatur? agitur de parricidio; quod ſinè multis cauſis ſuſcipi non poteſt, apud homines autem prudentiſſimos agitur; qui intelligunt, neminem ne minimum quidem maleficium ſinè cauſa admittere. Eſto: cauſam proferre non potes. Tametſi ſtatim viciſſe debeo, tamen de meo jure decedam; & tibi, quod in alia cauſa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentiâ. Non quæro abs te, quare Patrem Sex. Roſcius occiderit: quæro, quô modô occiderit. Ità quæro abs te Eruci quô modô. Et ſic tecum agam, ut in eo loco vel reſpondendi, vel interpellandi tibi poteſtatem faciam, vel etiam ſi quid voles, interrogandi.

74. Quô modô occidit: ipſe percuſſit, an aliis occi-

 dendum

Iterum Erutium redarguit, hominem probum tanti ſceleris, apud prudentiſſimos Judices accuſare auſi.

73. Argumentum 2. *Sex. Roſcius non occidit Patrem ſuum, quia non habuit facultatem illum occidendi.* Ad quod probandum Conceſſione ingreditur Cicero.

74. Probat autem Dilemmate: *Si habuit facultatem, vel per ſe, vel per alios, ſeu liberos, ſeu ſervos occidit; neutrum eſt, ergo.* Probatur pars dilemmatis prima non *per ſe*, quia Romæ non fuit, dum occideretur Pater. Nec per liberos ex Ameria, qui non nominantur, nec per ſicarios, quos non novit vir agreſtis.

dendum dedit? si ipsum arguis: Romæ non fuit. Si per alios feciſſe dicis; quæro, ſervósne, an liberos, quos homines? indidem ne Ameriâ, an hoſce ex Urbe ſicarios? ſi Ameriâ, qui ſunt hi? cur non nominantur? ſi Româ, unde eos noverat Roſcius? qui Romam multis annis non venit, neque unquam plùs triduo fuit. Ubi eos convenit? quicum locutus eſt? quô modô perſuaſit? precium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? nónne his veſtigiis ad caput maleficii perveniri ſolet? & ſimul tibi in mentem veniat facito, quemadmodum vitam hujuſce depinxeris; hunc hominem ferum, atque agreſtem fuiſſe; nunquam cum homine quodam collocutum eſſe, nunquam in oppido conſtitiſſe.

75. Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad hujus innocentiam poterat eſſe; in ruſticis moribus, in victu arido, in hac horrida, incultáque vita, iſtiusmodi maleficia gigni non ſolere. Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire poſſis; ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. In urbe luxuries creatur; ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt; ex avaritia erumpat audacia; inde omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra eſt. Verùm hæc miſſa facio.

76. Illud quæro, is homo, qui, ùt tutè dicis, nunquam inter homines fuerit; per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, abſens præſertim, conficere potuerit? multa ſunt falſa judices, quæ tamen argui ſuſpiciosè poſſunt; in his rebus, ſi ſuſpicio reperta erit, culpam ineſſe concedam. Romæ Sex. Roſcius occiditur, cùm in agro Amerino eſſet filius. Literas, credo, miſit alicui ſicario, qui Romæ noverat neminem. Arceſſivit aliquem, at quando? nuncium miſit; quem? aut ad quem? pretio, gratiâ, ſpe, promiſſis induxit aliquem? nihil horum ne confingi quidem poteſt, & tamen cauſa de parricidio dicitur; reliquum eſt, ut per ſervos id admiſerit.

77. O

75. Hunc locum interrogatione ab Adjunctis concludit, præſertim per Præteritionem ab integritate, & innocentia vitæ ruſticæ, quam commendat ſimilitudine, & gradatione.

77. O Dii immortales! rem miſeram, & calamitoſam. Quod in tali crimine innocenti ſaluti ſolet eſſe, ut ſervos in quæſtionem polliceatur; id Sex. Roſcio facere non licet; vos, qui hunc accuſatis, omnes ejus ſervos habetis; unus puer victûs quotidiani adminiſter ex tanta familia Sex. Roſcio relictus non eſt. Te nunc appello P. Scipio, te Metelle; vobis advocatis, vobis agentibus, aliquoties ſuos ſervos paternos in quæſtionem ab adverſariis Sex. Roſcius poſtulavit, meminiſtisne T. Roſcium recuſare? quid? ii ſervi ubi ſunt? Chryſogonum Judices ſectantur, apud eum ſunt in honore, & in precio. Etiam nunc, ut ex his quæratur, ego poſtulo; hic orat, atque obſecrat. Quid facitis? cur recuſatis?

78. Dubitate etiam nunc Judices, ſi poteſtis, à quo ſit Sex. Roſcius occiſus; ab eône, qui propter illius mortem in egeſtate, & inſidiis verſatur, cui ne quærendi quidem de morte patris poteſtas permittitur? an ab iis, qui quæſtionem fugitant, bona poſſident, in cæde, atque ex cæde vivunt? omnia Judices in hac cauſa ſunt miſera, atque indigna; tamen hoc nihil neque acerbiùs, neque iniquiùs proferri poteſt. Mortis paternæ de ſervis paternis quæſtionem habere filio non licet. Ne tamdiu quidem dominus erit in ſuos, dum ex iis de patris morte quæratur. Veniam, neque ita multò pòſt, ad hunc locum. Nam hoc totum ad Roſcios pertinet, de quorum audacia tum me dicturum pollicitus ſum, cùm Erucii crimina diluiſſem.

79. Nunc Eruci ad te venio, conveniat mihi tecum, neceſſe eſt; ſi ad hunc maleficium iſtud pertinet, aut ipſum ſua manu feciſſe, id quod negas; aut per aliquos liberos, aut ſervos. Liberósne? quos neque ut convenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque ubi, neque per quos, neque qua ſpe, aut quo precio, potes oſtendere. Ego contrà oſtendo, non modò nihil eorum feciſſe Sex. Roſcium,

77. Nec verò occidit per ſervos, quos quotidie poſtulat in quæſtionem; atque hoc non licere S. Roſcio, per adverſarios, qui ejus ſervos in honore, & pretio habent, expoſtulat Cicero per Exclamationem, & Apoſtrophem ad Judices.

78. Ex his cædem S. Roſcii obiter in adverſarios conjicit.

79. Parva Anacephalæoſi vana Eruitii argumenta diluit.

ſcium, ſed ne potuiſſe quidem facere; quòd neque Romæ multis annis fuerit, neque de prædiis unquam temerè diſceſſerit. Reſtare tibi videbatur ſervorum nomen; quò, quaſi in portum rejectus à cæteris ſuſpicionibus, confugere poſſes; ubi ſcopulum offendis ejuſmodi, ut non modò ab hoc crimen reſilire videas; verùm omnem ſuſpicionem in voſmetipſos recidere intelligas.

80. Quid eſt ergo, quò tandem accuſator inopiâ argumentorum confugerit? ejuſmodi tempus erat, inquit, ut homines vulgò impunè occiderentur. Quare tu hoc, propter multitudinem ſicariorum, nullô negotiô facere potuiſti. Interim mihi videris Eruci una mercede duas res aſſequi velle; nos judiciô perfundere, accuſare autem eos ipſos, à quibus mercedem accepiſti. Quid ais? vulgò occidebantur? per quos, & à quibus? nónne cogitas te à ſectoribus huc adductum eſſe? quid poſtea? Neſcimus, per iſta tempora eoſdem ferè ſectores fuiſſe collorum, & borum?

81. Ii denique, qui tum armati dies, noctésque concurſabant, qui Romæ erant aſſidui, qui omni tempore in præda & ſanguine verſabantur, Sex. Roſcio temporis illius acerbitatem, iniquitatémque objicient? & illam ſicariorum multitudinem, in qua ipſi duces, ac principes erant, huic crimini putabunt fore? qui non modò Romæ non fuit, ſed omnino, quid Romæ ageretur, neſciret; propterea quòd ruri aſſiduus, quemadmodum tutè confiteris, fuit.

82. *Confirmationis Pars Poſterior.* **Argumentum I.** Vereor, ne aut moleſtus ſim vobis Judices, aut ne ingeniis veſtris videar diffidere? ſi de tam perſpicuis rebus diutiùs diſſeram. Eruci criminatio tota, ùt arbitror, diſſoluta eſt; niſi fortè expectatis, ut illa diluam, quæ de peculatu, ac de ejuſmodi rebus commentitiis, inaudita nobis ante hoc tempus, ac nova objecit. Quæ mihi iſte viſus eſt ex alia oratione declamare, quam in alium reum

80. Iterum eum jugulat, cùm probabiliùs ſit, iſtos noctu ſicarios, qui Romæ Patrem Roſcium occiderunt, eſſe adverſarios.

82. Demum reliquam Erutii criminationem inſinuatione, ac Ironiâ diſſolvit.

reum commentaretur: ità neque ad crimen parricidii, neque ad eum, qui cauſam dicit, pertinebant. De quibus, quoniam verbô arguit, verbô ſatis eſt negare. Si quid eſt, quod ad teſtes reſervet; ibi nos quoque, ùt in ipſa cauſa, paratiores reperiet, quàm putabat.

83. Venio nunc eò, quò me non cupiditas ducit, ſed fides. Nam ſi mihi liberet accuſare, accuſarem alios potiùs, ex quibus poſſem creſcere. Quod certum eſt non facere, dum utrumvis licebit. Is enim mihi videtur ampliſſimus, qui ſua virtute in altiorem locum pervenit; non qui aſcendit per alterius incommodum, & calamitatem. Deſinamus aliquando ea ſcrutari, quæ ſunt inania; quæramus, ubi maleficium & eſt, & inveniri poteſt. Jam intelliges Eruci, certum crimen quàm multis ſuſpicionibus coarguatur. Tametſi neque omnia dicam, & leviter unumquodque tangam. Neque enim id facerem, niſi neceſſe eſſet. Et id erit ſigni, me invitum facere; quòd non proſequar longiùs, quàm ſalus hujus, & mea fides poſtulabit.

84. Cauſam tu nullam reperiebas in Sex. Roſcio; at ego in T. Roſcio reperio. Tecum enim mihi res eſt T. Roſci; quoniam iſtic ſedes, ac te palam adverſarium eſſe profiteris. De Capitone pòſt viderimus, ſi quemadmodum paratum eſſe audio, teſtis prodierit. Tum alias quoque ſuas palmas cognoſcet, de quibus me ne audiſſe quidem ſuſpicatur. L. Caſſius ille, quem populus R. veriſſimum, & ſapientiſſimum Judicem putabat, identidem in cauſis quærere ſolebat, cui bono fuiſſet. Sic vita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſinè ſpe, atque emolumento accedere.

85. Hunc quæſtorem, ac judicem fugiebant, atque horrebant ii, quibus periculum creabatur; ideò quòd tametſi

83. Partis ſecundæ argumentum primum eſt: *Adverſarii occiderunt Patrem S. Roſcii, quia habuerunt cauſam illum occidendi.* Id hoc ſyllogiſmo conficitur: *cui cædes majori bono fuit, is majorem ejus patrandæ cauſam habuit, ſed hæc cædes majori bono fuit T. Roſcio, ergo ille potiùs, quàm hic, habuit cauſam occidendi.*

84. Major probatur dicto L. Caſſii, & comparatione Judicis Fanii cum ipſo L. Caſſio.

metsi veritatis erat amicus, tamen naturâ non tam propenſus ad miſericordiam, quàm inclinatus ad ſeveritatem videbatur. Ego, quanquam præeſt huic quæſtioni vir, & contra audaciam fortiſſimus, & ab innocentia clementiſſimus; tamen facilè me paterer, vel illo ipſo acerrimo Judice quærente, vel apud Caſſianos Judices, quorum etiam nunc ii, quibus cauſa dicenda eſt, nomen ipſum reformidant, pro Sex. Roſcio dicere.

86. In hac enim cauſa, cùm viderent illos ampliſſimam pecuniam poſſidere, hunc in ſumma mendicitate eſſe; illud quidem non quærerent, cui bono fuiſſet; ſed eò perſpicuum crimen, & ſuſpicionem potiùs ad prædam adjungerent, quam ad egeſtatem. Quid, ſi accedi eodem, ùt tenuis antea fueris? quid, ſi, ùt avarus? quid, ſi, ùt audax? quid, ſi, ùt illius, qui occiſus eſt, innocentiſſimus? num quærenda cauſa, quæ te ad tantum facinus adduxerit? quid ergo horum negari poteſt? tenuitas hominis hujuſmodi eſt, ut diſſimulari non queat; atque eò magìs elucebat, quò magìs occultatur.

87. Avaritiam præfers, qui ſocietatem coëgeris de municipiis, cognatique fortunis cum alieniſſimo. Quàm ſis audax (ut alia obliviſcar) hinc omnes intelligere potuerunt; quòd ex tota ſocietate, hoc eſt, ex tot ſicariis, ſolus tu inventus, qui cum accuſatoribus ſederes, atque os tuum non modò oſtenderes, ſed etiam offerres. Inimicitias tibi fuiſſe cum Sex. Roſcio, & magnas rei familiaris controverſias, concedas neceſſe eſt.

88. Reſtat Judices, ut hoc dubitemus, uter potiùs Sex. Roſcium occiderit is, ad quem à morte ejus divitiæ venerint? an is, ad quem mendicitas? is, qui antea tenuis fuerit? an is, qui poſtea factus ſit egentiſſimus? is, qui ardens avaritiâ feratur infeſtus in ſuos? an is, qui ſemper ità vixerit, ut quæſtum nôſſet nullum, fructum autem eum ſolum, quem labore peperiſſet? is, qui omnium ſectorum audaciſſimus ſit? an is, qui propter fori, judiciorúmque inſolen-

86. Minor infertur per diſtributionem ex divitiis S. Roſcii, ex mendicitate, avaritia, audacia, inimicitiis, T. Roſcii.

88. Concluſio ſyllogiſmi fit per Antitheſes comparatione utriuſque.

ſolentiam non modò ſubſellia, verum etiam urbem ipſam reformidat? poſtremò Judices, id quod ad rem meâ ſententiâ maximè pertinet, utrum inimicus potiùs, an filius?

89. Hæc tu Eruci tot & tanta ſi nactus eſſes in reo, quàm diu diceres? quô te modô jactares? tempus hercule te citiùs, quàm oratio deficeret; etenim in ſingulis rebus ejuſmodi materies eſt, ut dies ſingulos poſſis conſumere, neque ego non poſſum. Non enim mihi tantùm derogo, tametſi nihil arrogo, ut te copioſiùs, quàm me, putem poſſe dicere. Verùm ego forſitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer, te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit. Multos cæſos non ad Thraſimenum lacum, ſed ad Servilium vidimus.

90. Quis ibi non eſt vulneratus ferrô Phrygiô? non neceſſe eſt omnes commemorare, Curios, Marios, denique Mamercos, quos jam ætas à præliis avocabat; poſtremò Priamum ipſum, ſenem Antiſtium, quem non modò ætas, ſed etiam leges pugnare prohibebant. Jam quos nemo propter ignobilitatem nominat, ſexcenti ſunt, qui inter ſicarios, & de veneficiis accuſabant. Qui omnes (quod ad me attinet) vellem viverent; nihil enim mali eſt, canes ibi quàm plurimos eſſe, ubi permulti obſervandi, multáque ſervanda ſunt.

91. Verùm (ùt fit) multa ſæpè imprudentibus Imperatoribus vis belli, ac turba moliur. Dum is in aliis rebus erat occupatus, qui ſummam rerum adminiſtrabat; erant interea, qui ſuis vulneribus mederentur; qui, tanquam ſi offuſa Reipublicæ ſempiterna nox eſſet, ità ruebant in tenebris, omniáque miſcebant. A quibus, miror, ne quod judiciorum eſſet veſtigium, non ſubſellia quoque eſſe combuſta; nam & accuſatores, & Judices ſuſtulerunt. Hoc commodi eſt, quòd ità vixerunt, ut teſtes omnes, ſi cuperent, interficere non poſſent; nam, dum hominum genus erit, qui accuſet eos, non deerit; dum civitas erit, judicia fient. Verùm, ùt cœpi dicere, & Erucius, hæc ſi habe-

89. Digreſſio in Erutium, cujus dicendi facultatem irridet comparatione ſui, & accuſatorum, ad Cannas, & lacum Servilium occiſorum.

haberet in cauſa, quæ commemoravi, poſſet ea, quamvis diu dicere, & ego Judices poſſum; ſed in animo eſt (quemadmodum antè dixi) leviter tranſire, ac tantummodò perſtringere unamquamque rem, ut omnes intelligant me non ſtudiò accuſare, ſed officio defendere.

92. **Argumentum II.** Video igitur cauſas eſſe permultas, quæ iſtum impellerent. Videamus nunc, ecquæ facultas ſuſcipiendi maleficii fuerit. Ubi occiſus eſt Sex. Roſcius? Romæ. Ubi tu Roſci tunc eras? Romæ. Verùm quid ad rem? & alii multi. Quaſi nunc id agatur, qui ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quæratur, cum, qui Romæ ſit occiſus, utrùm veriſimiliùs ſit ab eo eſſe occiſum, qui aſſiduus eo tempore Romæ fuerit; an ab eo, qui multis annis Romam omnino non acceſſerit.

93. Age nunc, cæteras facultates quoque conſideremus. Erat tum multitudo ſicariorum, id quod commemoravit Erucius, & homines impunè occidebantur. Quid? ea multitudo quæ erat? opinor, aut eorum, qui in bonis erant occupati; aut eorum, qui ab iis conducebantur, ut aliquem occiderent. Si eos putas, qui alienum appetebant; tu es in eo numero, qui noſtrâ pecuniâ dives es; ſin eos, quos, qui leviore nomine appellant, percuſſores vocant; quære, in cujus fide ſint & clientela? mihi crede, aliquem de ſocietate tua reperies. Et quidquid tu contrà dixeris, id cum defenſione noſtra contendito. Ità facillimè cauſa Sex. Roſcii cum tua conferetur.

94. Dices, quid poſtea, ſi Romæ aſſiduus fuit? reſpondebo: ego omnino non fui. Fateor me ſectorem eſſe, verùm & alii multi; at ego (ùt tutè agis) agricola, & ruſticus. Non continuò, ſi me in gregem ſicariorum contuli, ſum ſicarius; at ego profectò, qui ne novi quidem quenquam ſicarium, longè abſum ab ejuſmodi crimine.

92. Partis ſecundæ ſecundum argumentum: *Adverſarii occiderunt Roſcium, quia habuerunt facultatem occidendi.* Quod elegante dialogiſmo, & comparatione diſſimilium adjunctorum & perſonarum proponitur. Explicatur verò inductione, & enumeratione eorum, quæ mortem Roſcii conſecuta ſunt: quinque enim ſunt indicia, quibus hæc facultas, & cædes S. Roſcii in adverſarios conjicitur.

ne. Permulta ſunt, quæ dici poſſunt, quare intelligatur ſummam tibi facultatem fuiſſe maleficii ſuſcipiendi. Quæ non modò idcirco prætereo, quòd te ipſum non libenter accuſo: verùm eò magis etiam, quòd ſi de illis cædibus velim commemorare, quæ tum factæ ſunt, iſta eadem ratione, quâ Sex. Roſcius occiſus eſt, vereor, ne ad plures oratio mea pertinere videatur.

95. Videamus nunc ſtrictim, ſicut cætera, quæ poſt mortem Sex. Roſcii abs te T. Roſci facta ſunt; quæ ità aperta, & manifeſta ſunt, ut medius fidius Judices invitus ea dicam. Vereor enim, cuicuimodi es Roſci, ne ità hunc videar voluiſſe ſervare, ut tibi omninò non pepercerim. Cùm hoc vereor, & cupio tibi aliqua ex parte, quòd ſalva fide poſſim, parcere, rurſus immuto voluntatem meam; venit enim mihi in mentem oris tui. Te, cùm cæteri ſocii tui fugerent, ac ſe occultarent, ut hoc judicium non de illorum præda, ſed de hujus maleficio fieri videretur; potiſſimùm tibi partes iſtas depopoſciſſe, ut in judicio verſarere, & ſederes cum accuſatore? qua in re nihil aliud aſſequeris, nisi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoſcatur, & impudentia.

96. Occiſo Sex. Roſcio, quis primus Ameriam nunciat? Manilius Glaucia, quem jam antea nominavi, tuus cliens, & familiaris. Quid attinuit eum potiſſimùm nunciare: quod, ſi nullum jam antè conſilium de morte, ac de bonis ejus inieras, nullámque ſocietatem neque ſceleris, neque præmii cum homine ullo coieras, ad te minimè omnium pertinebat. Sua ſponte Manilius nunciat? Quid quæſo, ejus intererat? an cùm Ameriam non hujuſce rei cauſa veniſſet, caſu accidit, ut id, quod Romæ audierat, primus nunciaret? cujus rei causâ venerat Ameriam? non poſſum, inquit, divinare. Eò rem adducam, ut nihil divinatione opus ſit. Qua ratione Roſcio Capitoni primùm nunciavit? cùm Ameriæ Sex. Roſcii domus, uxor, liberique eſſent; cùm tot propinqui, cognatique optimè convenientes: qua ratione factum eſt, ut

95. Eſt *audacia* T. Roſcii, qui iſthic cum accuſatore ſedeat.

96. Eſt *nuncius cædis magna celeritate facius* per Glauciam Roſcio Capitoni, quam celeritatem pulchrè urget ab adjunctis loci, temporis, & perſonarum.

iſte tuus cliens, ſceleris tui nuncius, T. Roſcio Capitoni potiſſimùm nunciaret?

97. Occiſus eſt à cœna rediens. Nondum lucebat, cùm Ameriæ ſcitum eſt. Quid hic incredibilis curſus? quid hæc tanta celeritas, feſtinatióque ſignificat? non quæro, quis percuſſerit. Nihil eſt Glaucia, quod metuas: non excutio te: ſi quid fortè ferri habuiſti, non ſcrutor: nihil ad me arbitror pertinere: quoniam, cujus conſilio occiſus ſit, invenio; cujus manu ſit percuſſus, non laboro. Unum hoc ſumo, quòd mihi apertum tuum ſcelus, réſque manifeſta dat. Ubi, aut unde audivit Glaucia? qui tam citò ſcivit? fac audiſſe ſtatim, quæ res eum nocte una tantum itineris contendere coëgit? quæ neceſſitas eum tanta premebat; ut, ſi ſua ſponte iter Ameriam faceret, id temporis Româ proficiſceretur? nullam partem noctis, requieſceret? etiámne in tam perſpicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda ſit?

98. Nónne vobis hæc, quæ audiſtis, cernere oculis videmini Judices? non illum miſerum, ignarum casûs ſui, redeuntem à cœna videtis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? non verſatur ante oculos vobis in cæde Glaucia? non adeſt iſte T. Roſcius? non ſuis manibus in curru collocat Automedontem illum, ſui ſceleris acerbiſſimi, nefariæque victoriæ nuncium? non orat, aut eam noctem pervigilet? ut hominis ſui causâ laboret? ut Capitoni quamprimùm nunciet.

99. Quid erat? quòd Capitonem primùm ſcire voluerit? neſcio: nisi hoc video Capitonem in his bonis eſſe ſocium; de tribus, & decem fundis tres nobiliſſimos fundos eum video poſſidere. Audio præterea, non hanc ſuſpicionem nunc primùm in Capitonem conferri.

100. Multas eſſe infames palmas, hanc primam eſſe tamen lemniſcatam, quæ Romæ deferatur; nullum modum eſſe hominis occidendi, quô ille non aliquot occiderit; multos ferro, multos veneno. Habeo etiam dicere, quem,

98. Mox hypotypoſi percuſſorem Roſcii oſtendit T. Roſcium, qui illico curſorem Glauciam expedit ad Capitonem.

99. Capitonem quoque hujus cædis conſcium deſignat præter alia ejus flagitia.

quem, contra morem majorum, minorem annis LX. de ponte in Tyberim dejecerit. Qui, si prodierit, atque adeò tum prodierit, scio enim proditurum esse audiet.

101. Veniat modò, explicet suum volumen illud, quod ei planum facere possum, Erucium conscripsisse; quod ajunt illum Sex. Roscio intentâsse, & minitatum esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum. O præclarum testem Judices! ô gravitatem dignam expectatione! ô viam honestam, atque ejusmodi, ut libentibus animis ad ejus testimonium vestrum jusjurandum accommodetis. Profectò non tam perspicuè istorum maleficia videremus, nisi ipsos cœcos redderet cupiditas, & avaritia, & audacia.

102. Alter ex ipsa cæde volucrem nuncium Ameriam ad socium, atque ad magistrum suum misit; ut, si dissimulare omnes cuperent se scire, ad quem maleficium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos poneret. Alter (si Diis immortalibus placet) testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est. Quasi verò id nunc agatur, utrum id, quòd dixerit credendum, an, quod fecerit, vindicandum sit. Itaque more majorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent.

103. Africanus, qui suo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret, nam illud in talem virum non audeo dicere: si diceret, non crederetur. Videte nunc, quam versa, & mutata in pejorem partem sint omnia. Cùm de bonis, & de cæde agatur, testimonium dicturus est is, qui & sector est, & sicarius: hoc est, qui & illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor, atque possessor est: & eum hominem occidendum curavit, de cujus morte quæritur.

104. Quid tu vir optime? ecquid habes, quòd dicas?

101. Deinde hujus testimonium in propria causa rejicit exclamatione ironica.

102. Et comparatione Africani.

104. Tum Apostrophâ redit ad T. Roscii audaciam, & hanc communicatione reprimit.

cas? mihi auſculta; vide ne tibi deſis: tua quoque res permagna agitur. Multa ſceleratè, multa audacter, multa improbè feciſti, unum ſtultiſſimè, profectò tua ſponte, non de Erucii ſententia. Nihil opus fuit te iſtic ſedere. Neque enim accuſatore muto, neque teſte quiſquam utitur eo, qui de accuſatoris ſubſellio ſurgit. Huc accedit, quòd paulò tamen occultior, atque tectior veſtra iſta cupiditas eſſet. Nunc quid eſt, quòd quiſquam ex vobis audire deſideret? cùm, quæ facitis, ejusmodi ſint, ut eâ deditâ operâ à vobis contra voſmetipſos facere videamini. Age nunc illa videamus Judices, quæ ſtatim conſecuta ſunt.

105. Ad Volaterras in caſtra L. Syllæ mors Sex. Roſcii quatriduo, quo is occiſus eſt, Chryſogono nunciatur. Quæritur etiam nunc, quis eum nuncium miſerit? Nónne perſpicuum eſt eundem, qui Ameriam? curat Chryſogonus, ut ejus bona veneant ſtatim; qui non norat hominem, aut rem. At quî ei venit in mentem prædia concupiſcere hominis ignoti, quem omnino nunquam viderat? ſoletis, cùm aliquid hujuſmodi auditis Judices, continuò dicere: neceſſe eſt aliquem dixiſſe municipem, aut vicinum. Ii plerumque indicant, per eos plerique produntur.

106. Hic nihil eſt, quòd ſuſpicionem hanc putetis. Non enim ego ità diſputabo: veriſimile eſt, Roſcios iſtam rem ad Chryſogonum detuliſſe. Erat enim eis cum Chryſogono jam antea amicitia. Nam cùm multos veteres à majoribus Roſcii patronos, hoſpitésque haberent; omnes eos colere, atque obſervare deſtiterunt, ac ſe in Chryſogoni fidem, & clientelam contulerunt.

107. Hæc poſſum omnia verè dicere: ſed in hac cauſa conjecturâ nihil opus eſt; ipſos certò ſcio non negare, ad hæc bona Chryſogonum acceſſiſſe impulſu ſuo. Si enim, qui indicii partem acceperit, oculis cernetis; poteritisne dubitare Judices, quis indicârit? qui ſunt igitur in iſtis bonis, quibus partem Chryſogonus dederit? duo Ro-

105. Denique Chryſogonum, ad quem item celeriter unicus pervenit, ſi non cædis, at avaritiæ, & communis prædæ inſimulat.

Roſcii. Num quiſnam præterea? nemo eſt judices. Num ergo dubium eſt, quin ii obtulerint hanc prædam Chryſogono, qui ab eo partem prædæ tulerunt?

108. Age, nunc ex ipſius Chryſogoni judicio, Roſciorum factum conſideremus. Si nihil in iſta pugna Roſcii, quod operæ precium eſſet, fecerant; quam ob cauſam à Chryſogono tantis præmiis donabantur? ſi nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt; nónne ſatis fuit, his gratias agi? denique ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? cur tria prædia, tantæ pecuniæ ſtatim Capitoni dantur? cur, quæ reliqua ſunt, iſte Roſcius omnia cum Chryſogono communiter poſſidet? nónne perſpicuum eſt Judices, has manubias Roſciis Chryſogonum re cognita conceſſiſſe?

109. Venit in decem primus Legatus in caſtra Capitonis. Totam vitam, naturam, morésque hominis ex ipſius legatione cognoſcite. Nisi intellexeritis Judices, nullum eſſe officium, nullum jus tam ſanctum, atque integrum; quod non ejus ſcelus, atque perfidia violârit, & imminuerit, virum oprimum eſſe eum judicatote.

110. Impedimento eſt, quò minùs de his rebus Sylla doceatur; cæterorum Legatorum conſilia, & voluntatem Chryſogono enunciat; monet, ut provideat, ne palàm res agatur; oſtendit, ſi ſublata ſit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amiſſurum, ſeſe capitis periculum aditurum; illum acuere, hos, qui ſimul erant miſſi, fallere; illum identidem monere, ut caveret; hiſce inſidioſè ſpem falſam oſtendere; cum illo contra hos inire conſilia; horum conſilia illi enunciare; cum illo partem ſuam depaciſci; hiſce, aliquâ fretus horâ ſemper, omnes aditus ad Syllam intercludere. Poſtremò iſto hortatore, auctore, interceſſore ad Syllam Legati non adierunt; iſtius fide, ac potiùs perfidiâ decepti, id quod ex ipſis cognoſcere poteritis, ſi accuſator voluerit teſtimonium eis denunciare; pro re certa ſpem falſam domum retulerunt.

109. *Tertium* indicium eſt *Capitonis perfidia in fallendis ad Syllam legatis.* Hanc perfidiam Cicero ſubjicit conceſſioni, & Ethopœiæ.

111. In privatis rebus si qui rem mandatam non modò malitiosiùs gessisset sui quæstûs, aut commodi causâ, verùm etiam negligentiùs; eum majores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque mandati constitutum est judicium, non minùs turpe, quàm furti: credo propterea, quòd quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur, quàm qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium; & quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. Non enim possumus omnia per nos agere: alius in alia re est magis utilis, idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur.

112. Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? cur mihi te offers? ac meis commodis officio simulato officiis, & obstas? recede de medio, per alium transigam. Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse; quod minimè videtur grave iis, qui minimè ipsi leves sunt. Ergo idcirco turpis hæc culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam, & fidem. Nam neque mandat quisquam ferè, nisi amico; neque credit, nisi ei quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul & amicitiam dissolvere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset.

113. Itáne est? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo judicio condemnetur necesse est: in re tanta, cùm is, cui fama mortui, fortunæ vivi commendatæ sunt, atque concreditæ, ignominiâ mortuum affecerit; is inter honestos homines, atque adeò inter vivos numerabitur? in minimis, privatísque rebus etiam negligentia in crimen mandati, judiciúmque infamia revocatur; propterea quòd si rectè fiat, illum negligere oporteat, qui mandârit; non illum, qui mandatum receperit. In re tanta quæ publicè gesta, atque commissa sit; qui non negli-

111. Deinde amplificat duplici comparatione majorum, quarum prima est hæc: in privata re nobis credita, amicum fallere turpe est, quia fides, & amicitia violatur, quantò igitur turpius in Rempubl., seu legatione sibi credita, à qua S. Roscii fortunæ, fama, vita pendebat, perfidum fuisse.

113

negligentiâ privatim aliquod commodum læserit, sed perfidiâ legationis ipsius ceremoniam polluerit, maculâque afecerit, qua is tandem pœna afficietur? aut quo judicio damnabitur?

114. Si hanc ei rem privatim Sex. Roscius mandavisset, ut cum Chrysogono transigeret, atque decideret; inque eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret: ille, qui sese facturum recepisset, nonne, si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset, damnatus per arbitrum, & rem restituere, & honestatem omnem amitteret?

115. Nunc non hanc ei rem Sex. Roscius mandavit; sed id, quod multò gravius est, ipse Sex. Roscius cum fama, vita, bonisque omnibus à decurionibus publicè Roscio mandatus est; & ex eo T. Roscius non paulùm nescio quid in rem suam convertit, sed hunc funditus evertit bonis: ipse tria prædia sibi depactus est; voluntatem decurionum, ac municipum omnium tantidem, quanti fidem suam fecit.

116. Videte jam porrò cætera Judices, ut intelligatis, fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminârit. In rebus mutuis socium fallere turpissimum est. Æquéque turpe, atque illud, de quo antè dixi: neque injuria, propterea quòd auxilium, sibi se putat adjunxisse, qui cum altero rem communicavit. Ad cujus igitur fidem confugiet, cùm per ejus fidem lædituf, cui se commiserit? atqui ea sunt animadvertenda peccata maximè, quæ difficillimè præcaventur. Tecti esse ad alienos possumus: intimi multa apertiora videant necesse est: socium verò cavere qui possumus? quem etiam si metuimus, jus officii lædimus. Rectè igitur majores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putârunt haberi oportere.

117. At verò T. Roscius non unum rei pecuniariæ socium fefellit (quod tamensi grave est, tamen aliquo modo posse ferri videtur) verùm novem homines honestissimos,

116. *Altera* est hæc: turpe est, sua nobiscum consilia communicantem socium fallere, quanti igitur turpius non unum in re pecuniaria sed novem legationis socios fefellisse.

ejusdem muneris, legationis, officii, mandatorúmque ſocios induxit, decepit, deſtituit, adverſariis tradidit, omni fraude, & perfidiâ fefellit. Qui de ejus ſcelere ſuſpicari nihil potuerunt, ſocium officii metuere non debuerunt; ejus malitiam non viderunt, orationi vanæ crediderunt. Itaque nunc illi homines honeſtiſſimi propter iſtius inſidias parùm putantur cauti, providíque fuiſſe. Iſte, qui initiò proditor fuit, deinde perfuga, qui primò ſociorum conſilia adverſariis enunciavit, deinde ſocietatem cum ipſis adverſariis coiit, terret etiam nos, ac minatur, tribus prædiis, hoc eſt, præmiis ſceleris, ornatus. In ejuſmodi vita Judices, in his tot, tan ísque flagitiis, hoc quoque maleficium, de quo judicium eſt, reperietis.

118. Etenim quærere ità debetis: ubi multa avarè, multa audacter, multa improbè, multa perfidiosè facta videris; ibi ſcelus quoque latere inter illa tot flagitia putatote. Tametſi hoc quidem minimè latet, quod ità promptum, & propoſitum eſt, ut non ex illis maleficiis, quæ in illo conſtat eſſe, hoc intelligatur; verùm ex hoc, etiamſi quod illorum fortè dubitabitur, convincatur. Quid tandem quæſo Judices? num aut ille laniſta omnino jam à gladiis receſſiſſe videtur, aut is diſcipulus magiſtro tantulum de arte concedere? par eſt avaritia, ſimilis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia.

119. Etenim quoniam fidem magiſtri cognôſtis, cognoſcite nunc diſcipuli æquitatem. Dixi jam antea, ſæpenumerô poſtulatos eſſe ab iſtis duos ſervos in quæſtionem; tu ſemper T. Roſci recusâſti. Quæro abs te, íne, qui poſtulabant, indigni erant, qui impetrarent? an iſte non commovebat, pro quo poſtulabant? an res ipſa tibi iniqua videbatur? poſtulabant homines nobiliſſimi, atque integerrimi noſtræ civitatis; quos jam antea nominavi, qui ità vixerunt, talésque à populo R. putantur, ut quidquid dicerent;

118. Quare Cicero ex hac perfidia probabiliter hanc cædem Capitoni adſcribit, quia homo tantæ perfidiæ à nullo ſcelere patrando alienus eſt. Confirmat id ex eo, quòd Capito ſub gladiatore ex laniſta magiſtro brevi inſignis diſcipulus evaſerit.

119. *Quartum* indicium eſt *quæſtio ſervorum recuſata ſæpiùs à T. Roſcio*, quos Chryſogonus tanto opere, & honore fovet.

rent; nemo eſſet, qui non æquum putaret. Poſtulabant autem pro homine miſerrimo, atque infeliciſſimo, qui vel ipſe ſeſe in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quæreretur. Res abs te ejuſmodi poſtulabatur, ut nihil intereſſet, utrum eam rem recuſares, an de maleficio confiterêre.

120. Quæ cùm ità ſint, quæro abs te, quam ob cauſam recuſaris? cùm occiditur Sex. Roſcius, ibidem fuerunt. Servos ipſos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo. Quòd à vobis hoc pugnari video, ne in quæſtionem dentur, ſuſpicioſum eſt. Quòd verò apud vos ipſos in honore tanto ſunt, profectò neceſſe eſt, ſciant aliquid, quod ſi dixerint, pernicioſum vobis futurum ſit. In dominos quæri de ſervis, iniquum eſt. Anne quæritur? Sex. enim Roſcius reus eſt. Neque cùm de hoc quæritur, vos dominos eſſe dicitis. Cum Chryſogono ſunt. Ità credo, literis eorum, & urbanitate Chryſogonus ducitur; ut inter ſuos omnium deliciarum, atque omnium artium puerulos, ex tot elegantiſſimis familiis lectos, velit hos verſari homines penè operarios ex Amerina diſciplina patrisfamiliæ ruſticani.

121. Non eſt ità profectò Judices, non eſt veriſimile, ut Chryſogonus horum literas adamârit, aut humanitatem; non, ut rei familiaris negotio diligentiam cognôrit eorum, & fidem, eſt quiddam, quod occultatur; quod quò ſtudioſiùs ab ipſis opprimitur, & abſconditur, eò magis eminet, & apparet.

122. Quid igitur? Chryſogonus ſui maleficii occultandi cauſa quæſtionem de his haberi non vult? minimè Judices. Non in omnes arbitror omnia convenire. Ego in Chryſogono, quod ad me attinet, nihil ejuſmodi ſuſpicor; neque hoc mihi nunc primùm in mentem venit dicere. Meminiſtis me ità diſtribuiſſe initiò cauſam, in crimen, cujus tota argumentatio permiſſa Erucio eſt; & in audaciam, cujus partes Roſciis impoſitæ ſunt. Quidquid

122. Quamquam Roſcium tantùm cædis aceuſat, Chryſogonum verò amicitiæ eum his, & iniquæ venditionis bonorum S. Roſcii.

maleficii, ſceleris, cædis erit, proprium id Roſciorum eſſe debebit. Nimiam gratiam, potentiámque Chryſogoni dicimus & nobis obſtare, & perferri nullo modo poſſe; & à vobis, quoniam poteſtas data eſt, non modò infirmari, verùm etiam vindicari oportere.

123. Ego ſic exiſtimo, qui quæri velit ex iis, quos conſtat, cùm cædes facta ſit, affuiſſe, eum cupere verum invenire, qui recuſet, eum profectò, tametſi verbô non audet, tamen re ipſa de maleficio ſuo confiteri. Dixi initiô Judices, nolle me plura de iſtorum ſcelere dicere, quàm cauſa poſtularet, ac neceſſitas ipſa cogeret. Nam & multæ res afferri poſſunt, & unaquæque earum multis cum argumentis dici poteſt. Verùm ego, quod invitus, ac neceſſariò facio, neque diu, neque diligenter facere poſſum. Quæ præ eriri nullo modo poterant, ea leviter Judices attigi. Quæ poſita ſunt in ſuſpicionibus, de quibus ſi cœpero dicere, plu ibus verbis ſit diſſerendum, ea veſtris ingeniis conjecturæque committo.

124. Venio nunc ad illud nomen aureum Chryſogoni, ſub quo nomine tota ſocietas ſtatuitur; de quo Judices neque quo modo dicam, neque quo modo taceam, reperire poſſum. Si enim taceo, vel maximam partem relinquo; ſi autem dico, vereor, ne non ille ſolus, id quod ad me nihil attinet; ſed alii quoque plures læſos ſe eſſe putent. Tametſi ità res ſe habet, ut mihi in communem cauſam ſectorum dicendum nihil magnopere videatur. Hæc enim cauſa nova profectò & ſingularis eſt.

125. Bonorum Sex. Roſcii emptor eſt Chryſogonus. Primùm hoc videamus, ejus hominis bona, qua ratione venierunt, aut quomodo venire potuerunt? Atque hoc non ita quæram Judices, ut id dicam, eſſe indignum hominis innocentis bona veniſſe. Si enim hæc audientur, ac liberè dicen-

124. Porrò avaritiam Chryſogoni notatione, & dubitatione arguit.

125. Iniquam fuiſſe venditionem bonorum oſtendit ab Adjunctis legis Corneliæ, ſeu Valeriæ, quæ proſcriptorum tantum, vel in adverſariorum præſidiis occiſorum, vel malorum civium bona præſtituta die vendi jubebat, talis autem S. Roſcius nequaquam fuit, nec ejus bona ad præfixam lege diem veniêre.

dicentur, non fuit tantus homo Sex. Roſcius in civitate, ut de eo potiſſimùm conqueramur. Verùm ego hoc quæro: qui potuerunt iſta ipſa lege, quæ de proſcriptione eſt, ſive Valeria eſt, ſive Cornelia (non enim novi, nec ſcio) verùm iſta ipſa lege bona Sex. Roſcii venire, qui potuerunt?

126. Scriptum enim ità dicunt eſſe, ut *eorum bona veneant, qui proſcripti ſunt*: quo in numero Sex. Roſcius non eſt: *aut eorum, qui in adverſariorum præſidiis occiſi ſunt.* Dum præſidia ulla fuerunt, in Syllæ præſidiis fuit. Poſteaquam ab armis receſſerunt, in ſummo otio, rediens à cœna, Romæ occiſus eſt. Si lege, bona quoque lege veniſſe fatcor. Sin autem conſtat, contra omnes non modò veteres leges, verùm etiam novas occiſum eſſe; bona quo jure, aut quomodo, aut qua lege venierint, quæro.

127. In quem hoc dicam, quæris Eruci? non in eum, quem vis, & putas. Nam Syllam & oratio mea ab initio, & ipſius eximia virtus omni tempore purgavit. Ego hæc omnia Chryſogonum feciſſe dico, ut malum civem Roſcium fuiſſe fingeret, ut eum apud adverſarios occiſum eſſe diceret, ut his de rebus à legatis Amerinorum doceri L. Syllam paſſus non ſit. Denique etiam illud ſuſpicor, omnino hæc bona non veniſſe; id quod poſtea, ſi per vos Judices licitum erit aperietur.

128. Opinor enim eſſe in lege, quam ad diem proſcriptiones, venditionésque fiant, nimirum ad Calend. Jun. aliquot poſt menſes & homo occiſus eſt, & bona veniſſe dicentur. Profectò aut hæc bona in tabulas publicas nulla redierunt, nósque ab iſto nebulone facetiùs eludimur, quàm putamus; aut, ſi redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione ſunt. Nam lege quidem bona venire non potuiſſe conſtat. Intelligo, me ante tempus Judices hæc ſcrutari, & propemodum errare; qui cum capiti Sex. Roſcii mederi debeam, reduviam curem. Non enim laborat de pecunia, non ullius rationem ſui commodi ducit; facilè ege-

127. Verùm hic interjecta eſt duplex Apoſtropha, ſive digreſſio, una ad Erucium, quâ Chryſogonum, non Syllam ſe attingere dicit.

egeſtatem ſuam laturum putat, ſi hac indigna ſuſpicione, & ficto crimine liberatus ſit.

129. Verùm quæſo à vobis Judices, ut hæc pauca, quæ reſtant, ità audiatis, ut partim me dicere pro me ipſo putetis, partim pro Roſcio. Quæ enim mihi ipſi indigna, & intolerabilia videntur, quæque ad omnes, nisi providemus, arbitror pertinere; ea pro me ipſo, ex animi mei ſenſu, ac dolore pronuncio. Quæ ad hujus vitæ caſum, causámque pertineant, & quid hic pro ſe dici velit, & quæ conditione contentus ſit, jam in extrema oratione noſtra Judices audietis. Ego hæc à Chryſogono mea ſponte, remoto Sex. Roſcio, quæro.

130. Primùm, quare civis optimi bona venierint; deinde, quare hominis ejus, qui neque apud adverſarios occiſus eſt, neque proſcriptus fuerat, bona venierint; cùm in eos ſolos lex ſcripta eſt. Deinde, quare aliquanto poſt eam diem venierint, quæ dies in lege præfinita eſt? Deinde, cur tantulo venierint? Quæ omnia ſi quemadmodum ſolent liberti nequam, & improbi facere: in patronum ſuum voluerit conferre, nihil elegerit. Nemo eſt enim, qui neſciat, propter magnitudinem rerum multa multos partim connivente partim imprudente L. Sylla commiſiſſe.

131. Placet igitur in his rebus aliquid imprudentiâ præteriri? non placet Judices, ſed neceſſe eſt. Etenim ſi Jupiter optimus Maximus, cujus nutu, & arbitriô cœlum, terra mariáque reguntur, ſæpè ventis vehementioribus, aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit, quorum nihil perniciei causâ divino conſilio, ſed vi ipſa, & magnitudine rerum factum putamus; at contra, commoda, quibus utimur, lucémque, quâ fruimur, ſpiritúmque quem ducimus, ab eo nobis dari, atque impertiri videmus; quid miramur, L. Syllam, cùm ſolus Rempubl. regeret, orbémque terrarum gubernaret, imperiíque majeſtatem, quam armis réceperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuiſſe? nisi hoc mirum eſt, quòd vis divi-

129. Altera ad Judices, quâ dolorem ſuum, & animi ſenſum exprimit.

131. Syllam artificiosè excuſat, quem cum Jove comparat.

divina aſſequi non poſſit, ſi id mens humana adepta non ſit?

132. Verùm ut hæc miſſa faciam, quæ jam facta ſunt; ex iis, quæ nunc maximè fiunt, nónne quivis poteſt intelligere, omnium architectum, & machinatorem unum eſſe Chryſogonum, qui Sex. Roſcii nomen deferendum curavit? hoc judicium, cujus honoris causâ ſe dixit Erucius.

Deſunt non pauca.

Aptam, & ratione diſpoſitam ſe habere exiſtimant, qui in Salentinis, aut in Brutiis habent, unde vix ter in anno audire nuncium poſſunt.

133. Alter tibi deſcendit de Palatio, & ædibus ſuis. Habet animi relaxandi causâ rus amœnum, & ſuburbanum: plura præterea prædia, neque tamen ullum, niſi præclarum, & propinquum. Domus referta vaſis Corinthiis, & Deliacis: in quibus eſt authepſa illa, quam tanto pretio nuper mercatus eſt: ut, qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. Quid prætereà cælati argenti? quid ſtragulæ veſtis? quid pictarum tabularum? quid ſignorum? quid marmoris apud illum putatis eſſe? tantum ſcilicet, quantum è multis, ſplendidísque familiis, in turba, & rapinis coacervari una in domo potuit.

134. Familiam verò quantam, & quàm variis cùm artificiis habeat, quid ego dicam? mitto haſce artes vulgares, coquos, piſtores, lecticarios: animi, & aurium causâ tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum, & nervorum, & tibiarum, nocturnísque conviviis tota vicinitas perſonet. In hac vita Judices, quos ſumptus quotidianos, quas effuſiones fieri putatis? quæ verò convivia? honeſta credo, in ejusmodi domo. Si domus hæc habenda eſt potiùs, quàm officina nequitiæ & diverſorium flagitiorum omnium.

135. Ipſe verò quemadmodum compoſito, & deliluto capillo paſſim per forum volitet, cum magna caterva

132. *Quintum* indicium eſt *potentia*, quâ adverſarii ad maleficium utuntur.

133. Chryſogoni potentiam inſectatur Cicero à prædiis, domo, per Ethiopæam ab habitu, & ſuperbia.

va togatorum videris Judices: ut omnes deſpiciat, ut hominem præ ſe neminem putet, ut ſe ſolum beatum, ſolum potentem putet. Quæ verò efficiat, & quæ conetur, ſi velim commemorare, vereor Judices, ne quis imperitior exiſtimet, me cauſam nobilitatis, victoriámque voluiſſe lædere, tametſi meo jure poſſum, ſi quid in hac parte non placeat, vituperare. Non enim vereor, ne quis alienum me animum habuiſſe à cauſa nobilitatis exiſtimet.

136. Sciunt ii, qui me nôrunt, me pro illâ tenui, infirmáque parte, poſteaquam id, quod maximè volui, fieri non potuit, ut componeretur; id maximè defendiſſe, ut ii vincerent, qui vicerunt. Quis enim erat, qui non videret, humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditi civis erat non ſe ad eos jungere: quibus incolumibus, & domi dignitas, & foris auctoritas retineretur. Quæ perfecta eſſe, & ſuum cuique honorem, & gradum redditum, gaudeo Judices, & vehementer lætor; eáque omnia Deorum voluntate, ſtudiô populi R. conſiliô, imperiô, & felicitate L. Syllæ geſta eſſe intelligo.

137. Quòd animadverſum eſt in eos, qui contrà omni ratione pugnârunt; non debeo reprehendere. Quod viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus eſt; laudo. Quæ ut fierent, idcirco pugnandum eſſe arbitror; méque in eo ſtudii partium fuiſſe confiteor. Sin autem id actum eſt, & idcirco arma ſumpta ſunt; ut homines poſtremi pecuniis alienis locupletarentur: & in fortunas uniuſcujuſque impetum facerent: & id non modò re prohibere non licet, ſed ne verbis quidem vituperare: tum verò in iſto bello non recreatus, neque reſtitutus, ſed ſubactus, oppreſsúsque populus R. eſt.

138. Verùm longè aliter eſt: nihil horum eſt Judices. Non modò non lædetur cauſa nobilitatis, ſi iſtis hominibus reſiſtetis, verùm etiam ornabitur. Etenim, qui

136. Deinde longa Prolepſi nobiles viros conciliat, unum Chryſogonum in invidiam vocat, ſuâ potentiâ abutentem.

qui hæc vituperare volunt, Chryſogonum tantùm poſſe quæruntur; qui laudare volunt, conceſſum ei non eſſe commemorant. Ac jam nihil eſt, quòd quiſquam aut tam ſtultus, aut tam improbus ſit, qui dicat: *Vellem quidem licere.* Hoc *dixiſſem:* dicas licet. *Hoc feciſſem:* facias licet, nemo prohibet. *Hoc decreviſſem:* decerne modò rectè: omnes approbabunt. *Hoc judicâſſem:* laudabunt omnes, ſi rectè, & ordine judicaris.

139. Dum neceſſe erat, résque ipſa cogebat, unus omnia poterat. Qui poſteaquam magiſtratus creavit, legésque conſtituit; ſua cuique procuratio, auctoritásque eſt reſtituta. Quam ſi retinere volunt ii, qui recuperarunt; in perpetuum poterunt obtinere. Si has cædes, & rapinas, & hos tantos, támque profuſos ſumptus, aut facient, aut approbabunt; nolo in eos graviùs quidquam, ne ominis quidem causâ dicere. Unum hoc dico. Noſtri iſti nobiles, nisì vigilantes, & boni, & fortes, & miſericordes erunt; iis hominibus, in quibus hæc erunt, ornamenta ſua concedant neceſſe eſt.

240. Quapropter deſinant aliquando dicere, malè aliquem locutum eſſe, ſi quis verè, ac liberè locutus ſit: deſinant ſuam cauſam cum Chryſogono communicare: deſinant, ſi ille læſus ſit, de ſe aliquid detractum arbitrari: videant, ne turpe miſerúmque ſit, eos, qui equeſtrem ſplendorem pati non potuerunt, ſervi nequiſſimi, dominationem ferre poſſe. Quæ quidem dominatio Judices in aliis rebus antea verſabatur, nunc verò quam viam muniret, quò iter affectet, videtis: ad fidem, ad jusjurandum, ad judicia veſtra, ad id, quod ſolum propè in civitate ſincerum, ſanctúmque reſtat.

141. Hícne etiam ſeſe putat aliquid poſſe Chryſogonus? hic etiam potens eſſe vult? ô rem miſeram, atque acerbam! neque me hercule hoc indignè fero, quòd verear, ne quid poſſit; verùm quòd auſus eſt, quòd ſperavit ſeſe apud tales viros aliquid in perniciem poſſe innocentis, id ipſum queror. Idcircóne experrecta nobi-

141. Hanc in eum invidiam auget exclamatione, & indignatione.

nobilitas, armis, atque ferro Rempubl. recuperavit; ut ad libidinem ſuam liberti, ſervulíque nobilium bona fortunas veſtras, noſtrásque vexare poſſent.

142. Si id actum eſt, fateor me errâſſe, qui hoc maluerim; fateor inſaniſſe, qui cum illis ſenſerim; tametſi inermis Judices ſenſi. Sin autem victoria nobilium, ornamento, atque emolumento Reipubl., populóque R. debet eſſe; tum verò optimo, & nobiliſſimo cuique meam orationem gratiſſimam eſſe oportet. Quòd ſi quis eſt, qui & ſe, & cauſam lædi putet, cùm Chryſogonus vincere ur; is cauſam ignorat, ſe ipſum propè non novit. Cauſa enim ſplendidior fiet, ſi nequiſſimo cuique reſiſtetur. Ille improbiſſimus Chryſogoni fautor, qui ſibi cum illo rationem comunicatam putat, læditur, cùm ab hoc ſplendore cauſæ ſeparatur.

143. *Peroratio.* Verùm hæc omnis oratio, ut jam antè dixi, mea eſt; quâ me uti Reſpubl. & dolor meus, & iſtorum injuria coëgit. Sed Roſcius horum nihil indignum putat; neminem accuſat; nihil de ſuo patrimonio quæritur; putat homo imperitus morum, agricola, & ruſticus, iſta omnia, quæ vos per Syllam geſta eſſe dicitis, more, lege, jure gentium facta; culpâ liberatus, & crimine nefario ſolutus, cupit à vobis diſcedere.

144. Si hac indigna ſuſpicione careat, animo æquo ſe carere ſuis omnibus commodis dicit. Rogat, orátque te Chryſogone, ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis in ſuam rem convertit: ſi nulla in re te fraudavit: ſi tibi optima fide ſua omnia conceſſit, adnumeravit, appendit: ſi veſtitum, quo ipſe tectus erat, annulúmque dedit: os ſuum tibi tradidit: ſi ex omnibus rebus ſeipſum nudum, neque præterea quidquam excepit: ut ſibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egeſtate degere.

145. Prædia mea tu poſſides, ego alienâ miſericordiâ vivo. Concedo, & quòd animus æquus eſt, & quia neceſſe eſt.

143. Peroratio commiſerationem movet 1. parheticâ per Repetitionem, Antitheſes, & ſubjectiones Proſopopœia, quâ Sex. Roſcius hæc omnia concedit Chryſogono, dum vitam ſervet.

eſt, Mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt: fero. Familiâ meâ maximâ uteris, ego ſervum habeo nullum: patior, & ferendum puto. Quid vis ampliùs? quid inſequeris: quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi a me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obſto? ſi ſpoliorum causâ vis hominem occidere, ſpoliâſti. Quid quæris ampliùs? ſi inimicitiarum, quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo, cujus antea prædia poſſediſti, quàm ipſum cognôſti? ſin metuis, ab eóne aliquid metuis, quem vides ipſum ab ſe ſe tam atrocem injuriam propulſare non poſſe? ſin quòd bona, quæ Roſcii fuerunt, tua facta ſunt, idcirco hunc illius filium ſtudes perdere; nónne oſtendis, id te vereri, quod præter cæteros id metuere non debeas, ne quando liberis proſcriptorum bona patria reddantur?

146. Facis injuriam Chryſogone, ſi majorem ſpem emptionis tuæ in hujus exitio ponis, quàm in iis rebus, quas L. Sylla geſſit. Quòd ſi tibi cauſa nulla eſt, cur hunc miſerum tanta calamitate affici velis; ſi tibi omnia ſua præter animam tradidit; nec ſibi quidquam paternum, ne monumenti quidem causâ, reſervavit; per Deos immortales! quæ iſta tanta crudelitas eſt? quæ tam fera, immanisque natura? quis unquam prædo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus; ut, cùm integram prædam ſine ſanguine habere poſſet, cruenta ſpolia detrahere mallet?

147. Scis hunc nihil habere, nihil audere, nihil poſſe, nihil unquam contra rem tuam cogitâſſe; & tamen oppugnas eum, quem neque metuere potes, neque odiſſe debes, nec quidquam habere jam reliqui vides, quod ei detrahere poſſis. Niſi hoc indignum putas, quòd veſtitum ſedere in judicio vides, quem tu è patrimonio, tanquam è naufragio nudum expuliſti. Quaſi verò neſcias, hunc & ali, & veſtiri à Cæcilia Balearici filia, Nepotis ſorore, ſpectatiſſima fœmina. Quæ cùm Patrem clariſſimum, ampliſſimos patruos, ornatiſſimum fratrem haberet; tamen, cùm eſſet

146. Apoſtrophâ Ciceronis ad Chryſogonum, cujus crudelitatem exclamatione, & comparatione accuſat.

147. Exaggeratur hæc crudelitas ex oppoſita Cæciliæ, Ciceronis miſericordia.

eſſet mulier, virtute perfecit; ut, quanto honore ipſa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex ſua laude redderet.

148. An quod diligenter defenditur, id tibi indignum facinus videtur? mihi crede, ſi pro patris ejus hoſpitiis, & gratia vellent omnes hujus hoſpites adeſſe, & auderent liberè defendere, ſatis copiosè defenderetur. Sin autem pro magnitudine injuriæ, próque eo, quod ſumma Reip. in hujus periculo tentatur, hæc omnes vendicarent; conſiſtere me Hercule vobis iſto in loco non liceret. Nunc ita defenditur, non ſanè, ut moleſtè ferre adverſarii debeant, neque ut ſe potentiâ ſuperari putent.

149. Quæ domi gerenda ſunt, ea per Cæciliam tranſiguntur. Fori, judiciíque rationem Meſſala, ùt videtis Judices, ſuſcepit; qui ſi jam ſatis ætatis, atque roboris haberet; ipſe pro Sex. Roſcio diceret. Quoniam ad dicendam impedimento eſt ætas, & pudor, qui ornat ætatem; cuſam mihi tradidit, quem ſuâ causâ cupere, ac debere intelligebat. Ipſe aſſiduitate, conſiliô, auctoritate, diligentiâ perfecit; ut Sex. Roſcii vita, erepta de manibus ſectorum, ſententiis Judicum permitteretur. Nimirum Judices pro hac nobilitate pars maxima civitatis in armis fuit: hæc acta res eſt, ut nobiles reſtituerentur in civitatem; qui hoc facerent, quod facere Meſſalam videtis; qui caput innocentis defenderent: qui injuriæ reſiſterent; qui, quantum poſſent, in ſalute alterius, quàm in exitio, mallent oſtendere. Quod ſi omnes, qui eodem loco nati ſunt, facerent; & Respubl. ex illis, & ipſi ex invidia minùs laborarent.

150. Verùm ſi à Chryſogono Judices non impetramus, ut pecuniâ noſtrâ contentus ſit, vitam ne petat: ſi ille adduci non poteſt, ut, cùm ademerit nobis omnia, quæ noſtra erant propria, ne lucem quoque hanc, quæ communis eſt, eripere cupiat; ſi non ſatis habet avaritiam ſuam pecuniâ explere, niſi etiam crudelitate ſanguinis perlitus ſit; unum perfugium Judices, una ſpes reliqua eſt.

Sex.

150. 3. Deprecatione ad Judices, ne hanc Chryſogoni immanitatem ferant, quod exclamatione, & ſequentibus Reipubl. periculis, & ſimilitudine à bello petita Cicero deteſtatur.

Sex. Roſcio, eadem quæ Reipubl. veſtra priſtina bonitas, & miſericordia. Quæ ſi manet, ſalvi etiam nunc eſſe poſſumus. Sin ea crudelitas, quæ hoc tempore in Republ. verſata eſt, veſtros quoque animos, id quod fieri profectò non poteſt, duriores, acerbioréſque reddit; actum eſt Judices: inter feras ſatiùs eſt ætatem degere, quàm in hac tanta immanitate verſari.

151. Ad eámne rem vos reſervati eſtis, ad eámne rem delecti, ut eos condemnaretis, quos ſectores, ac ſicarii jugulare non potuiſſent? ſolent hoc boni Imperatores facere, cùm prælium committunt, ut in eo loco, quo fugam hoſtium fore arbitrantur, milites collocent; in quos, ſi qui ex acie fugerint, de improviſo incidant. Nimirùm ſimiliter arbitrantur iſti bonorum emptores, vos hìc tales viros ſedere; qui excipietis eos, qui de his manibus effugerint. Dii prohibeant Judices, ut hoc, quod majores conſilium publicum vocari voluerunt, præſidium ſectorum exiſtimetur.

152. An verò Judices vos non intelligitis, nihil aliud agi, niſi ut proſcriptorum liberi, quavis ratione tollantur? & eius rei initium in veſtro jurejurando, atque in Sex. Roſcii periculo quæri? dubium eſt, ad quem maleficium pertineat, cùm videatis ex altera parte ſectorem, inimicum, ſicarium, eundémque accuſatorem hoc tempore; ex altera egentem, probatum ſuis filium, in quo non modò culpa nulla, ſed ne ſuſpicio quidem potuit conſiſtere? nunquid hìc aliud videtis obſtare Roſcio, niſi quòd patris bona venierunt?

153. Quòd ſi id vos ſuſcipitis, & eadem in re operam veſtram profitemini; ſi ideircò ſedetis, ut ad vos adducantur eorum liberi, quorum bona venierunt; cavete per Deos immortales Judices, ne nova, & multò crudelior per vos proſcriptio inſtaurata eſſe videatur. Illam priorem, quæ facta eſt in eos, qui arma capere potuerunt, tamen ſenatus ſuſcipere noluit; ne quid acriùs, quàm more majorum comparatum eſt, publicò conſiliò factum videretur. Hanc verò, quæ ad eorum liberos, atque infantium puerorum incunabula pertinet, niſi hoc judicio à vobis rejici-

tis, & aſpernamini; videte per Deos immortales, quem in locum Remp. perventuram putetis.

154. Homines ſapientes, & iſta auctoritate, & poteſtate præditos, quâ vos eſtis, ex quibus rebus maximè Respubl. laborat, iis maximè mederi convenit. Veſtrûm nemo eſt, quin intelligat, populum Rom. qui quondam in hoſtes leniſſimus exiſtimabatur, hoc tempore domeſtica crudelitate laborare. Hanc tollite ex civitate Judices; hanc pati nolite diutiùs in hac Republ. verſari; quæ non modò id habet in ſe mali, quòd tot cives atrociſſimè ſuſtulit, verùm etiam hominibus leniſſimis ademit miſericordiam conſuetudine incommodorum. Nam cùm omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus; etiam qui naturâ mitiſſimi ſumus, aſſiduitate moleſtiarum ſenſum omnem humanitatis ex animis amittimus.

Pro T. Annio Milone.

ORATIO II.

Argumentum.

T. Annius Milo, P. Platius Hypſæus, & Q. Metellus Scipio Conſulatum petierunt: atque in eundem annum P. Clodius. Erant autem ipſi cum Milone ſummæ inimicitiæ; ſæpéque inter ſe cum ſuis factioſis depugnaverant. Cùm jam tracta eſſent Comitia ob Candidatorum contentiones, profectus Lanuvium, patrium in oppidum Milo obviam habuit Clodium; quem obortâ utrimque inter ſervos pugnâ interfecit. Accuſatus eſt igitur de vi *ab Appio, M. Antonio, & P. Valer. Nepote A. U. C. 702. Reſpondit eis unus Cicero, non eâ, quâ ſolitus erat, conſtantiâ: Clodianorum clamore deterritus. Scripſit verò hanc pro Milonis defenſione orationem tam diligenter, ut plerique primam, pulcherrimam, nobiliſſimâmque appellent. Acta eſt cauſa*

154. Demum Judices hortatur ad munus ſuum fortiter contra hujusmodi crudelitatem, & adverſarios exequendum.

cauſa in foro ſtipantibus undique Pompeji militibus ad coërcendam plebem, ultionem Clodii cupientem, collocatis. Quæſitor fuit L. Domitus Ænobardus extra ordinem lectus cum LI. Judicibus. Damnatus Milo, in exilium Maſſiliam abiit. damnationis cauſa non tam Clodii cædes fuit, Judicibus, & bonis omnibus gratiſſima, quàm quòd in judicio nec comam, nec veſtem reorum more mutavit; ſeu iræm Milonis audaciam averti, è Republica viſum eſt.

SYNOPSIS.

Exordium. Ab adjunctis Judicii, quæ Ciceroni, ac Miloni plus afferunt fiduciæ, quàm timoris.

Propoſitio. Jure, & cum laude Milo occidit Clodium.

Argumenta. 1. Quia Clodius inſidiatus fuit Miloni. 2. Clodius ſceleratus vir, & perniciosus Reipublicæ fuit.

Confutatio. Præjudicia, quæ jactant adverſarii, non ſunt contra Milonem. Nam plures, qui occiſum à ſe hominem fatebantur, abſoluti ſunt, vel à populo Rom. vel à Senatu, vel à Diis ipſis: quin ipſæ 12. tabulæ, & lex naturæ, & Cornelia, non vetant ſicarium, ſeu inſidiatorem jure interfici. Deinde Senatus quid judicavit? vim eſſe factam, ſed non contra fas à Milone. Tum Pompejus ſapienter novam quæſtionem tulit, non ob controverſiam facti, vel dignitatem mortui, ſed propter diſceptationem Juris, temporisque rationem, ut integra cauſa ſelectis Judicibus traderetur.

Narratio. Luce clariores ſunt inſidiæ Clodii, à propoſito ejus fine, ſuſcepto itinere, loco pugnæ, cæteriſque Adjunctis.

Argumentatio primi argumenti: Clodius multas habuit cauſas inſidiandi Miloni; Milo nullam habuit Clodio inſidiandi; igitur Clodius fuit Inſidiator Milonis. *Amplificatio, & affectus.* Utilitas, odium, violentia, magnæ ſunt inſidiandi cauſæ, quæ non in Milone, ſed Clodio fuerunt. Nam Clodius ſperabat, Milone interfecto ſe Prætorem futurum, & legibus improbis Rempubl. vexaturum; Milo vivo Clodio Conſul fuiſſet, & iſtius Prætoris furorem frænaſſet. Clodius oderat Milonem, defenſorem Ciceronis, repreſſorem ſcelerum, accuſatorem ſuum: odium Milonis in Clodium commune fuit omnibus bonis. Clodius ſæpius vim in Ciceronem, Hortenſium, &c. Milo nemini, ne Clodio quidem violentus fuit, quem multis occaſionibus occidere potuiſſet Clodius ex impunitate judicia ſæpè contempſit, & palàm dixit, triduo, aut quatriduo periturum Milonem: & verò profectus eſt tertio die, nullâ aliâ causâ, in equo cum lecta ſervorum manu, & cognito Milonis reditu hunc veſperi ante ſuum fundum adortus eſt; Milo habuit cauſam eundi La-

nuvium, ivit multis cum impedimentis, uxore, & rheda, cùm de Clodii itinere nihil reſciſcere poſſet. Quòd ſi Milo imparatus, & impeditus confecit Clodium, id nempe feliciter evenit. Si Appius quæſtionem habuit, at non legitimè. Huc adde conſcientiæ fiduciam, quâ imperterritus rediit Milo, &c.

Argumentatio ſecundi argumenti. Laus eſt, ſceleratum virum, & pernicioſum civem occidere: ejuſmodi fuit Clodius: ergo cum laude occidit. *Argumentatio*, *Affectus*. Iterum, iterúmque gloriatur Milo, à ſe clarorum Virorum exemplo pernicioſum civem ſublatum. Et fuit hæc inſignis felicitas populi Rom. quod Clodius in expectanda ſua prætura omnia permiſturus ſublatus fuerit. Quamquam non tam ſingulari Milonis virtute, quàm Deorum Providentiâ, & æquitate necatus eſt, etiam ante aras, quas pollut, & ſinà honore ſepulturæ.

Peroratio Cicero miſericordiam Judicum expoſcit à perſona Milonis Viri fortis, & amantis Reipubl. tum à ſua, quia per illum revocatus fuerat ab exilio.

ORATIO.

I. *Exordium.* Etſi vereor Judices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere: minimèque deceat, cùm Titus Annius Milo ipſe magis de Reipub. ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad ejus cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe: tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos: qui quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum minimè vident. Non enim coronâ conſeſſus veſter cinctus eſt, ùt ſolebat; non uſitatâ frequentiâ ſtipati ſumus.

2. Nam illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etſi contrà vim collocata ſunt: non afferunt tamen oratori aliquid; ut in foro, & in judicio (quamquam

1. Dicere incipit Cicero ab adjunctis hujus Judicii, quæ ſibi, & Miloni plus fiduciæ, quàm timoris afferant. Timoris quidem cauſæ ſunt duæ: 1. Timor ille in principio dicendi ipſi naturalis, quique objecta Milonis fortitudine poſſet eſſe turpior. 2. Eſt nova Judicii forma, ac præſidium militum. Utramque timendi cauſam elevat per Prolepſim, & adfert quinque fiduciæ cauſas.

2. *Prima* eſt, Cn. Pompeji ſapientia, ac juſtitia.

quam præsidiis salutaribus, & necessariis septi) tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Quæ si opposita Miloni putarem, cederem tempori Judices: nec inter tantam vim armorum existimarem oratori locum esse. Sed me recreat, & reficit Cn. Pompeji sapientissimi, & justissimi viri consilium: qui profectò nec justitiæ suæ putaret esse, quem reum sententiis Judicum tradidisset, eundem telis militum dedere: nec sapientiæ, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publicâ armare.

3. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed præsidium denunciant: neque solùm ut quieto, sed etiam ut magno animo simus hortantur: neque auxilium modò defensioni meæ, verùm etiam silentium pollicentur. Reliqua verò multitudo, quæ quidem est civium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos undique intuentes ex hoc ipso loco cernitis, unde aliqua pars fori aspici potest, & hujus exitum expectant; non, cùm virturi Milonis favet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis, hodierno die decertari putat. Unum genus est adversum, infestúmque nobis, eorum: quos P. Clodii furor rapinis, & incendiis, & omnibus exitiis publicis pavit. Qui hesterna etiam concione incitati sunt: ut vobis voce præirent, quid judicaretis. Quorum clamor si quis fortè fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamorésque maximos, pro vestra salute neglexit.

4. Quamobrem adeste animis, Judices: & timorem, si quem habetis, deponite. Nam si unquam de bonis, & fortibus viris, si unquam de benemeritis civibus potestas vobis judicandi fuit, si denique unquam locis amplissimorum ordinum delectis virus datus est, ubi sua studia erga fortes, & bonos cives, quæ vultu, & verbis sæpè

3. *Secunda*, multitudo, & occursus civium ad hoc Judicium. *Tertia*. Adversariorum clamor, & incendium Curiæ, in qua cadaver Clodii crematum fuerat.

4. *Quarta* per Apostrophen studium Judicum, erga fortes, & bonos cives.

ſignificâſſent, re, & ſententiis declararent: hoc profecto tempore eam poteſtatem omnem vos habetis: ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper veſtræ auctoritati dediti ſumus, ſemper miſeri lugeamus: an diu vexati à perditiſſimis civibus, aliquando per vos, ac veſtram fidem, virtutem, ſapientiámque recreemur.

5. Quid enim nobis duobus, Judices, laborioſius, quid magìs ſolicitum, magìs exercitum dici, aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Rempubl. adducti, metu crudeliſſimorum exitiorum carere non poſſumus. Et quidem cæteras tempeſtates, & procellas, in illis duntaxat fluctibus concionum, ſemper putavi Miloni eſſe ſubeundas: quòd ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat. In judicio verò, & in eo conſilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi viri judicarent, nunquam exiſtimavi, ſpem ullam eſſe habituros Milonis inimicos, ad ejus non ſalutem modò extinguendam, ſed etiam gloriam per tales viros infringendam.

6. *Propoſitio.* Quanquam in hac cauſa Judices Titi Annii tribunatu, rebus omnibus pro ſalute Reipubl. geſtis, ad hujus criminis defenſionem non abutemur; niſi oculis videritis inſidias Miloni à Clodio factas, nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in Rempubl. merita condonetis; nec poſtulaturi, ut ſi mors P. Clodii ſalus veſtra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potiùs, quàm populi Rom. felicitati aſſignetis. Sed ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint; tum denique obſecrabo, obteſtabórque vos Judices; ſi cætera amiſimus, hoc ſaltèm nobis ut relinquatur; ab inimicorum audacia, telíſque vitam, ut impunè liceat defendere.

7. *Confutatio.* Sed antequam ad eam orationem venio,

5. *Quinta*, quam Allegoriâ ornat, Milonis fortitudo contra improbos.

6. *Propoſitio.* Duo argumenta affert, primùm: Clodius fuit inſidiatus Miloni. Secundum: Clodius ſceleratus vir fuit.

7. *Confutatio*, quam Confirmationi Cicero hic præmittit, ac tria præjudicia refellit; primum: *nefas eum hominem vivere, qui à ſe hominem occiſum fateatur*: confutatur exemplo Horatii, qui ſororem occiderat.

nio, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis: videntur ea eſſe refutanda, quæ in Senatu ſæpè ab inimicis, ab improbis ſæpè jactata ſunt, & in concione etiam paulò antè ab accuſatoribus; ut omni errore ſublato, rem planè, quæ venit in judicium, videre poſſitis. Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum fateatur. In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortiſſimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi Rom. comitiis liberatus eſt; cùm ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur.

8. An eſt quisquam, qui hoc ignoret, cùm de homine occiſo quæratur: aut negari ſolere omnino eſſe factum, aut rectè, ac jure factum eſſe, defendi? niſi verò exiſtimatis dementem P. Africanum fuiſſe: qui cùm à C. Carbone Tribunopl. in concione ſeditiosè interrogaretur: quid de T. Gracchi more ſentiret? reſpondit jure cæſum videri. Neque enim poſſet aut Ahala ille Servilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me conſule Senatus, non nefarius haberi; ſi ſceleratos cives interfici nefas eſſet. Itaque hoc Judices, non ſine cauſa fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt; eum, qui patris ulciſcendi causâ matrem necaviſſet: variatis hominum ſententiis, non ſolùm humanâ, ſed etiam Deæ ſapientiſſimæ ſententiâ liberatum.

9. Quòd ſi duodecim tabulæ nocturnum furem, quoquo modo; diuturnum autem, ſi ſe telô defenderit, interfici impunè voluerunt; quis eſt, qui, quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet; cùm videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus? atque ſi tempus eſt ullum jure hominis necandi, quæ multa ſunt; cerè illud eſt non modò juſtum, verùm etiam neceſſarium; cùm vi vis illata defenditur. Pudicitiam cùm eriperet militi tribunus militaris in exercitu C.

8. P. African', qui non damnavit interfectorem Gracchi; neque Senatus Ahalam, Naſicam, Opimium, Marium. Fabulæ Oreſtem parricidam à Dea abſolutum ferunt.

9. 12. Tabulæ furem nocturnum occidi non vetant, ùt patet exemplo Cluſſii, &c.

Marii, propinquus ejus imperatoris; interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus scelere solutum periculò liberavit. Insidiatori verò, & latroni, quæ potest afferri injusta nex?

10. Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certè non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim hæc Judices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim leges inter arma; nec se expectari jubent; cùm ei, qui expectare velit, antè injusta pœna luenda sit, quàm justa repetenda.

11. Et si persapienter, & quodammodo tacitè, dat ipsa lex potestatem defendendi: quæ non modò hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causâ, vetat: ut, cùm casu, non telum quæreretur, qui sui defendendi causâ telo esset usus; non hominis occidendi causâ habuisse telum judicaretur. Quapropter hoc maneat in causa, Judices. Non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam: si id memineritis, quod oblivisci non potestis, insidiatorem jure interfici posse.

12. Sequitur illud, quod à Milonis inimicis sæpissimè dicitur: cædem, quâ P. Clodius occisus est, Senatum judicâsse contra Remp. esse factam. Illam verò Senatus non sententiis suis solùm, sed etiam studiis comprobavit. Quoties enim est illa causa à nobis acta in Senatu? quibus assensionibus universi ordinis? nec tacitis, nec occultis? quando enim frequentissimo Senatu quatuor,

10. Lex naturæ est, vim vi repellere, & Cornelia: insidiatorem occidi posse. Antitheton, Compar, Repetitio.

12. Alterum præjudicium: *Senatus hanc cædem nempe vim illatam, contra Rempub. factam esse judicavit.* Confutatur: non item judicavit vim à Milone factam, aut Clodio contra fas illatam.

tuor, ad ſummum quinque ſunt inventi, qui Milonis cauſam non probarent? declarant hujus [illegible] nſii Tribuni plebis illæ intermortuæ conciones: quibus quotidie meam potentiam, invidioſè criminabatur: cùm diceret, Senatum non quòd ſentiret, ſed quòd ego vellem, decernere. Quæ quidem ſi potentia eſt appellanda potiùs, quàm propter magna in Rempubl. merita mediocris in bonis cauſis auctoritas, aut propter officioſos labores meos nonnulla apud bonos gratia; appelletur ita ſanè, dummodo eâ nos utamur pro ſalute bonorum, contra amentiam perditorum.

13. Hanc verò quæſtionem, etſi non eſt iniqua, nunquam tamen Senatus conſtituendam putavit. Erant enim leges: erant quæſtiones, vel de cæde, vel de vi. Nec tantum mœrorem, ac luctum Senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quæſtio conſtitueretur. Cujus enim Senatui de illo inceſto ſtupro judicium decernendi poteſtas eſſet erepta; de ejus interitu quis poteſt credere Senatum judicium novum conſtituendum putâſſe? cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium Marci Lepidi, cædem hanc ipſam, contra Rempubl. Senatus factam eſſe decrevit?

14. Quia nulla vis unquam eſt in libera civitate ſuſcepta inter cives non contra Rempublicam. Non enim eſt nulla defenſio contra vim unquam opranda, ſed nonnunquam eſt neceſſaria. Niſi verò aut ille dies, in quo T. Gracchus eſt cæſus; aut ille, quo Cajus; aut quo arma Saturni oppreſſa ſunt; etiam ſi à Republica, Rempublicam tamen non vulnerârunt. Itaque ego ipſe decrevi, cùm cædem in Appia factam eſſe conſtaret; non eum, qui defendiſſet, contra Rempubl. feciſſe; ſed cùm ineſſet in re vis, & inſidiæ, crimen judicio reſervavi, rem notavi. Quodſi per furioſum illum tribunum Senatui, quod ſentiebat, perficere licuiſſet; novam quæſtionem nunc nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quæreretur. Diviſa ſententia eſt, poſtulante neſcio quo-

13. Quòd de cæde hac quæſtionem novam haberi voluit, id propter vim factam, & interceſſionem tribuni Munatii contigit.

quo. Nihil enim neceſſe eſt omnium flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas Senatûs empta interceſſione ſublata eſt.

15. At enim Pompejus rogatione ſua, & de re, & de causâ judicavit. Tulit enim de cæde, quæ in Appia via facta eſſet, in qua P. Clodius occiſus fuit. Quid ergo tulit? nempe ut quæreretur. Quid porrò quærendum eſt? factúmne ſit? at conſtat. A quo? at patet. Vidit etiam in confeſſione facti, juris tamen defenſionem ſuſcipi poſſe. Quòd niſi vidiſſet, poſſe abſolvi eum, qui fateretur, cùm videret nos fateri; neque quæri unquam juſſiſſet, nec vobis ſalutarem hanc in judicando literam, quàm illam triſtem dediſſet. Mihi verò Cn. Pompejus non modò nihil gravius contra Milonem judicâſſe; ſed etiam ſtatuiſſe videtur, quid vos in judicando ſpectare oporteret. Nam qui non pœnam confeſſioni, ſed defenſionem dedit; is cauſam interitûs quærendam, non interitum putavit. Jam illud dicet ipſe profectò, quod ſua ſponte fecit; P. ne Clodio tribuendum putet, an tempori.

16. Domi ſuæ nobiliſſimus vir, Senatûs propugnator, atque illis quidem temporibus penè patronus, avunculus hujus noſtri judicis fortiſſimi viri Catonis, Tribunus pleb. M. Druſus occiſus eſt. Nihil de ejus morte populus conſultus; nulla quæſtio decreta à Senatu eſt. Quantum luctum in hac urbe fuiſſe à noſtris patribus accepimus, cùm P. Africano, domi ſuæ quieſcenti, illa nocturna vis eſſet illata? quis tum non gemuit? quis non arſit dolore? quem immortalem, ſi fieri poſſet, omnes eſſe cuperet; ejus ne neceſſariam quidem expectatam eſſe mortem?

17. Num igitur ulla quæſtio de Africani morte lata eſt? certè nulla. Quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur. Interſit inter vitæ dignitatem ſummorum, atque infimorum; mors quidem illata

per

15. Tertium præjudicium: *Milo damnatus eſt ipſius Pompeji ſententiâ*, confutatur; nam Pompejus quæſtionem hanc inſtituit, non ob facti, ſed juris controverſiam; nec de cæde, quam Milo fatetur, ſed de jure, quo rectè à ſe factum defendat.

16. Nec inſtituit Pompejus ob dignitatem cæſi; quia item nulla quæſtio inſtituta fuit à cæde P. Africani, Druſi &c. clariſſimorum virorum. Comparatio majorum.

per ſcelus iisdem pœnis teneatur, & legibus. Niſi fortè magis erit parricida, ſi quis Conſularem patrem, quàm ſi quis humilem necaverit; aut eò mors atrocior erit P. Clodii, quòd is in monumentis majorum ſuorum ſit interfectus? hoc enim ſæpè ab iſtis dicitur. Perinde quaſi Appius ille cœcus viam munierit, non quâ populus uteretur, ſed ubi impunè ſui poſteri latrocinaretur.

18. Itaque in eadem iſta Appia via, cùm ornatiſſimum equitem Rom. Marcum Papirium occidiſſet; non fuit illud facinus puniendum? Homo enim nobilis in ſuis monumentis equitem Rom. occiderat. Nunc ejusdem Appiæ nomen quantas tragœdias excitat? quæ cruentata antea cæde honeſti, atque innocentis viri filebatur; eadem nunc crebrò uſurpatur; poſteaquam latronis, & parricidæ ſanguine imbuta eſt. Sed quid ego illa commemoro? comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſervus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompejum interficiendum collocârat. Extorta eſt confitenti ſica de manibus. Caruit forò poſtea Pompejus; caruit Senatu; caruit publicò; januâ ſe ac parietibus, non jure legum, judiciorúmque texit.

19. Num quæ rogatio lata? num quæ nova quæſtio decreta eſt? atqui ſi res, ſi vir, ſi tempus ullum dignum fuit, certè hæc in illa cauſa ſumma omnia fuerunt. Inſidiator erat in foro collocatus, atque in veſtibulo ipſo Senatûs. Ei viro autem mors parabatur, cujus in vita nitebatur ſalus civitatis; eo porrò Reipublicæ tempore, quò ſi unus ille occidiſſet, non hæc ſolùm civitas, ſed gentes omnes concidiſſent. Niſi fortè, quia perfecta res non eſt, non fuit punienda. Perinde quaſi exitus rerum, non hominum conſilia legibus vindicentur. Minus dolendum fuit re non perfecta, ſed puniendum certè nihilominus.

20. Quoties ipſe, Judices, ex P. Clodii telis, & ex cruentis ejus manibus effugi? ex quibus ſi me non mea, vel

18. Neque propter locum, ubi cæſus eſt, quia idem Clodius in hac ipſa Appia via M. Papirium interfecit.

19. Idem Clodius Ciceroni toties inſidiatus, in ipſo veſtibulo ſenatûs ſervum ad cædem Pompeji collocavit, nulla ob id nova quæſtione decreta.

20. Concludit parva Anacephalæoſi, & Ironiâ.

vel Reipublicæ fortuna ſervâſſet, quis tandem de interitu meo quæſtionem tuliſſet? Sed ſtulti ſumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompejum, nosmetipſos, cum P. Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa; P. Clodii mortem æquò animò nemo ferre poteſt; luget Senatus, mœret equeſter ordo, tota civitas confecta ſenio eſt, ſqualent municipia, afflictantur coloniæ, agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum civem deſiderant.

21. Non fuit ea cauſa Judices, non fuit cur ſibi cenſeret Pompejus quæſtionem ferendam. Sed homo ſapiens, & alia quadam mente præditus, multa vidit; fuiſſe ſibi ullum inimicum, familiarem Milonem: in communi omnium lætitia ſi etiam ipſe gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ. Multa etiam alia vidit, ſed illud maximè, quamvis atrociter ipſe tuliſſet, vos tamen fortiter judicaturos. Itaque delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina. Neque verò quod nonnulli dictitant, ſecrevit in judicibus legendis amicos meos. Neque enim hoc cogitavit vir juſtiſſimus: neque in bonis viris legendis id aſſequi potuiſſet, etiamſi cupiſſet. Non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quæ latè patere non poſſunt: propterea quòd conſuetudines victûs non poſſunt eſſe cum multis. Sed ſi quid poſſumus, ex eo poſſumus, quòd Respubl. nos conjunxit cum multis. Ex quibus ille cùm optimos viros legeret, idque maximè ad fidem ſuam pertinere arbitraretur; non potuit legere non ſtudioſos mei.

22. Quòd verò te L. Domiti huic quæſtioni præeſſe maximè voluit; nihil quæſivit aliud, niſi juſtitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Tulit, ut Conſularem neceſſe eſſet; credo, quòd principum munus eſſe ducebat, reſiſtere, & levitati multitudinis, & perditorum temeritati; ex conſularibus te creavit potiſſimum. Dederas enim, quàm contemneres populares inſanias, jam ab adoleſcentia documenta maxima.

23. *Nar-*

21. Ait ſapienter hanc è Pompejo quæſtionem inſtitutam, pluribus è cauſis, præſertim ob perſpectam æquitatem lectorum extra ordinem Judicum.

23 *Narratio.* Quamobrem Judices, ut aliquando ad cauſam, criménque veniamus: ſi neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata: neque de cauſa quidquam noſtra aliter, ac nos vellemus, à Senatu judicatum eſt: & lator ipſe legis, cùm eſſet controverſia nulla facti, juris tamen diſceptationem eſſe voluit: & electi Judices, & iſti præpoſitus quæſtioni, qui hæc juſtè, ſapientérque diſcepter: reliquum eſt Judices, ut nihil jam aliud quærere debeatis; niſi uter utri inſidias fecerit. Quod quò facilius argumentis perſpicere poſſitis, rem geſtam vobis dum breviter expono, quæſo diligenter attendite.

24. P. Clodius cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura vexare Rempublicam: videréque ita tractata eſſe comitia anno ſuperiore, ut non multos menſes præturam gerere poſſet: qui non honoris gradum ſpectaret, ut cæteri, ſed & L. Paulum, collegam effugere vellet, ſingulari virtute civem, & annum integrum ad dilacerandam Rempublicam quæreret: ſubitò reliquit annum ſuum: séque in annum proximum tranſtulit: non religione aliqua, ſed ut haberet, quod ipſe dicebat, ad præturam gerendam, hoc eſt, ad evertendam Rempublicam, plenum annum, atque integrum.

25. Occurrebat, mancam, ac debilem præturam ſuam futuram Conſule Milone: eum porrò ſummo conſenſu populi Romani Conſulem fieri videbat. Contulit ſe ad ejus competitores: ſed ita, totam ut petitionem ipſe ſolus, etiam invitis illis gubernaret: tota ut comitia ſuis, ùt dictabat, humeris ſuſtineret. Convocabat tribus: ſe interponebat: coloniam novam, delectum perditiſſimorum ſcribebat civium. Quantò illa plura miſcebat, tantò magis in dies convaleſcebat. Ubi vidit homo ad omne facinus paratiſſimus fortiſſimum virum, inimiciſſimum ſuum, certiſſimum conſulem: idque intexit non ſolùm ſermonibus, ſed & jam ſuffragiis populi Romani ſæpè

24. Clodius cùm Præturam, nec cum Milone, nec L. Paulo Æmilio gerere vellet, ejus petitionem in alterum annum differt.

25. At cum hoc anno Milonem Conſulem fore, nec impediri poſſe videret, eum tollere ſtatuit, idque palàm prædicavit.

ſæpè eſſe declaratum : palàm agere cœpit, & apertè dicere, occidendum Milonem.

26. Servos agreſtes, & barbaros, quibus ſylvas publicas depopulatus erat, Hetruriámque vexârat, ex Appennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minimè obſcura. Etenim palàm dictitabat, Conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. Significavit hoc ſæpè in Senatu, dixit in concione. Quin etiam Favonio, fortiſſimo viro, quærenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone vivo : reſpondit, triduo illum, ad ſummum quatriduo periturum. Quam vocem ejus ad hunc M. Catonem ſtatim Favonius detulit.

27. Interim cùm ſciret Clodius (neque enim erat difficile ſcire) iter ſolenne, legitimum, neceſſarium, ante diem III. Calend. Febr. Miloni eſſe Lanuvium ad Flaminem prodendum, quòd erat Dictator Lanuvii Milo : Roma ſubitò ipſe profectus pridie eſt: ut ante ſuum fundum (quod re intellectum eſt) Miloni inſidias collocaret. Atque ita profectus eſt; ut concionem turbulentam, in qua ejus furor deſideratus eſt, quæ illo ipſo die habita eſt, relinqueret. Quam, niſi obire facinoris locum, tempúsque voluiſſet, nunquam reliquiſſet.

28. Milo autem, cùm in Senatu fuiſſet eo die quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit: calceos, & veſtimenta mutavit : pauliſper, dum ſe uxor, ùt fit, comparat, commoratus eſt : deinde profectus eſt id temporis, cùm jam Clodius, ſiquidem eo die Romam venturus erat, redire potuiſſet. Obviam fit ei Clodius expeditus in equo, nullâ rhedâ, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ùt ſolebat : ſine uxore, quod nunquam ferè; cùm hic inſidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparâſſet, cum uxore veheretur in rheda, penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri, & delicato ancillarum, puerorúmque comitatu.

29. Fit obviam Clodio ante fundum ejus hora ferè unde-

27. Miloni neceſſarium fuit iter Lanuvium. Ivit tardè cum uxore, pueris, &c. Clodius ſubitò, pridie, &c.

29. Fit pugna in loco, Clodio aptiore; defendit ſe Milo, cujus ſervi nec ſcieute, nec imperante hero occidunt Clodium.

cima, aut non multò ſecus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum; adverſi rhedarium occidunt. Cùm autem hic de rheda rejectâ penulâ deſiluiſſet, séque acri animo defenderet; illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, à tergo Milonem adorirentur, partim, quòd hunc jam interfectum putarent, cædere incipiunt ejus ſervos, qui pòſt erant. Ex quibus, qui animo fideli in dominum erant, & præſentes fuerunt, partim occiſi ſunt; partim cùm ad rhedam pugnari viderent, & domino ſuccurrere prohiberentur, Milonémque occiſum etiam ex ipſo Clodio audirent, & ità eſſe putarent; fecerunt id ſervi Milonis (dicam enim non derivandi criminis causâ, ſed ùt factum eſt) neque imperante, neque ſciente, neque præſente domino, quod ſuos quiſque ſervos in tali re facere voluiſſet.

30. Hæc ſicut expoſui, ità geſta ſunt Judices: inſidiator ſuperatus, vi victa vis, vel potiùs oppreſſa virtute audacia eſt. Nihil dico, quid Reſpubl. conſecuta ſit: nihil, quid vos: nihil, quid homines boni: nihil ſanè id profit Miloni, qui hoc fato natus eſt, ut ne ſe quidem ſervare potuerit, quin unà Rempubl. vósque ſervaret. Si id jure non poſſet, nihil habeo, quod defendam. Sin hoc & ratio dictis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit; ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent, non poteſtis hoc facinus improbum judicare; quin ſimul judicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut veſtris ſententiis eſſe pereundum.

31. Quòd ſi ità putâſſet, certè optabiliùs Miloni fuit dare jugulum P. Clodio, non ſemel ab illo, neque tum primùm petitum; quàm jugulari à vobis, quia ſe illi non jugulandum tradidiſſet. Sin hoc nemo veſtrûm ità ſentit, iſtud jam in judicium venit; non, occiſúsne ſit, quod fatemur; ſed jure, an injuriâ? quod multis antea in cauſis jam quæſitum eſt. Inſidias factas eſſe conſtat: & id eſt, quod Senatus contra Rempubl. factum judicavit. Ab utro factæ ſint, incertum eſt. De hoc igitur latum eſt, ut

30. Narratio Epiphonemate, & brevi recapitulatione clauditur.

quæreretur. Ità & Senatus rem, non hominem notavit; & Pompejus de jure, non de facto quæſtionem tulit. Nunquid igitur aliud in judicium venit, niſi uter utri inſidias fecerit? profectò nihil. Si hic illi, ut ne ſit impunè; ſi ille huic, tum nos ſcelere ſolvamur.

32. *Confirmatio.* **Argumentum I.** Quonam igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium? ſatis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere; magnam ei cauſam, magnam ſpem, in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe. Itaque illud Caſſianum, cui bono fuerit, in his perſonis valeat; & ſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpè parvo. Atqui Milone interfecto Clodius hoc aſſequebatur, non modò ut prætor eſſet, non eo Conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet; ſed etiam, ut iis conſulibus prætor eſſet, quibus, ſi non adjuvantibus, at conniventibus certè ſperâſſet, ſe poſſe Rempublicam eludere in illis ſuis cogitatis furoribus. Cujus illi conatus, ùt ille ratiocinabatur, nec, ſi cuperent, reprimere poſſent; cùm tantùm beneficium ei ſe debere arbitrarentur; & ſi vellent, fortaſſe vix poſſent frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam jam vetuſtate audaciam.

33. An verò, Judices, vos ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac urbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures? neque in hoc pervagato civitatis ſermone verſantur; quas illæ leges (ſi leges nominandæ ſunt, ac non faces urbis, & peſtes Reipublicæ) fuerit impoſiturus nobis omnibus, atque inuſturus? Exhibe quæſo Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum veſtrarum; quod te ajunt eripuiſſe è domo, & ex mediis armis, turbâque nocturna, tanquam Palladium ſuſtu-

32. *Confirmatio.* *Primum argumentum: Clodius multas cauſas habuit inſidiandi Miloni, Milo nullas.* Probatur enumeratione cauſarum, & diſſimili collatione utriuſque. *Prima* cauſa, quam habuit Clodius, *quia Milone interfecto Prætor erat futurus*, & legibus perniciosis, quas jam tota urbe ſparſerat, maximas turbas daturus.

33. Interſeritur falſa excurſio in Sex. Clodium, qui librarium harum rerum Clodii domò extulit, & expoſito noctu cadavere incendii Curiæ author fuit.

ſuſtuliſſe; ut præclarum inde munus, ac inſtrumentum tribunatûs ad aliquem, ſi nactus eſſes, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre poſſes. Et aſpexit me quidem illis oculis; quibus tum ſolebat, cùm omnia omnibus minabatur. Movet me quippe lumen curiæ. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi? cujus tu inimiciſſimum multò crudeliùs etiam puniviſti, quàm erat humanitatis meæ poſtulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver ejeciſti domô, tu in publicum ejeciſti; tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompâ, laudatione, infeliciſſimis ignis ſemiuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti. Quam rem etſi neceſſariò feciſti; tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompſiſti tuam, laudare non poſſum; iraſci certè non debeo.

34. P. Clodii Præturam non ſinè maximo rerum novarum motu proponi ſolitam eſſe videbatis; niſi eſſet is Conſul, qui eam auderet, poſſéque confringere. Eum Milonem eſſe cùm ſentiret univerſus populus Romanus; quis dubitaret ſuffragio ſuo ſe metu, periculô Reipubl. liberare? At non P. Clodio mortuo uſitatis jam rebus obnitendum eſt Miloni, ut tueatur dignitatem ſuam. Singularis illa huic uni conceſſa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, jam morte Clodii cecidit. Vos adepti eſtis, ne quem civem metueretis. Hic exercitationem virtutis, ſuffragationem Conſulatus, fontem perennem gloriæ ſuæ perdidit. Itaque Milonis Conſulatus, qui vivo Clodio labefactari non potuerat, mortuo denique tentari cœptus eſt. Non modò igitur nihil prodeſt, ſed obeſt etiam P. Clodii mors Miloni.

35. At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor injuriæ, punitor doloris ſui. Quid ſi hæc, non dico majora fuerunt in Clodio, quàm in Milone; ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis ampliùs? quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem, ac materiam ſuæ gloriæ; præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat, ut odiſſet primùm defenſorem ſalutis meæ; dein-

35. Contrà Milo cauſam non habuit, qui vel vivo Clodio Conſul fuiſſet, & hujus furores freg iſſet; quâ gloriâ per necem iubiatâ obeſt potiùs Miloni, quàm prodeſt mors Clodii.

de vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum; poſtremò etiam accuſatorem ſuum. Reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tuliſſe creditis? quantum odium illius, & in homine injuſto quàm etiam juſtum?

36. Reliquum eſt, ut jam illum natura ipſius, conſuetudóque defendat; hunc autem hæc eadem cauſa coarguat. Nihil per vim unquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergo Judices? cum mœrentibus vobis, urbe ceſſi, non ſervos, non arma, non vim intentavit? quæ fuiſſet igitur cauſa reſtituendi mei, nisi fuiſſet injuſta ejiciendi? diem mihi, credo, dixerat, mulctam ignorârat, actionem perduellionis intenderat. Et mihi Judices in cauſa aut veſtra mala, aut mea nec præclariſſima, etiam judicium timendum fuit? ſervorum, & egentium civium, & facinoroſorum armis, meos cives, meis conſiliis, periculísque ſervatos, pro me objici nolui.

37. Vidi enim, vidi hunc ipſum Q. Hortenſium, lumen & ornamentum Reipublicæ penè interfici ſervorum manu, cùm mihi adeſſet. Qua in turba C. Vibienus Senator, vir optimus, cum hoc, cùm eſſet unà, ità eſt mulctatus, ut vitam amiſerit. Itaque quando illius poſtea ſica illa, quam à Catilina acceperat, conquievit? hæc intentata nobis eſt; huïc ego vos objici pro me non ſum paſſus; hæc inſidiata Pompejo eſt; hæc iſtam Appiam viam, monumentum ſui nominis, nece Papirii cruentavit; hæc eadem longo intervallo converſa rurſus eſt in me; nuper quidem, ùt ſcitis, me ad regiam penè confecit.

38. Quid ſimile Milonis? cujus vis omnis hæc ſemper fuit; ne P. Clodius, cùm in judicium detrahi non poſſet, vi oppreſſam civitatem teneret. Quem ſi interficere voluiſſet, quantæ, quoties occaſiones, quàm præclaræ fuerunt? potuítne, cùm domum, ac Deos penates ſuos, illo oppugnante defenderet, jure ſe ulciſci? po-

36. *Secunda* cauſa inſidiandi fuit *maximum odium* Clodii in Milonem nullum Milonis in Clodium nisi commune.

37. *Tertia* fuit *conſueta violentia*, nam Clodius ſæpè vim fecit, nempe aliàs Ciceroni, Hortenſio, Pompejo ipſi inſidiatus, & nuper Papirii interfector.

potuítne, cive egregio, & viro fortiſſimo P. Sextio collega ſuo vulnerato? potuítne Fabricio, viro optimo, cùm de reditu meo legem ferret, pulſo, crudeliſſima in foro cæde facta? potuítne L. Cæcilii juſtiſſimi, fortiſſimíque Prætoris oppugnata domo? potuítne illo die, cùm eſt lata lex de me? cùm totius Italiæ concurſus, quam mea ſalus concitârat, facti illius gloriam libens agnoviſſet; ut etiamſi id Milo feciſſet, cuncta civitas eam laudem pro ſua vendicaret?

39. Atqui erat id temporis, clariſſimus, & fortiſſimus Conſul, inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor ſceleris illius, propugnator Senatûs, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſenſûs, reſtitutor ſalutis meæ: ſeptem Prætores, octo Tribunipl. illius adverſarii, defenſores mei: Cn. Pompejus, auctor, & dux mei reditûs, illius hoſtis: cujus ſententiam Senatus omnis de ſalute mea graviſſimam, & ornatiſſimam ſecutus eſt: qui populum Rom. cohortatus eſt: qui cùm de me decretum Capuæ feciſſet, ipſe cunctæ Italiæ cupienti, & ejus fidem imploranti ſignum dedit, ut ad me reſtituendum Romam concurrerent. Omnia tum denique in illum odia civium ardebant deſiderio mei: qui tum interemiſſet, non de impunitate ejus, ſed de præmiis cogitaretur.

40. Tamen ſe Milo continuit; & P. Clodium ad judicium bis, ad vim nunquam vocavit. Quid? privato Milone, & reo ad populum, accuſante P. Clodio; cùm in Cn. Pompejum pro Milone dicentem impetus factus eſt, quæ tum non modò occaſio, ſed etiam cauſa illius opprimendi fuit? nuper verò cùm M. Antonius ſummam ſpem ſalutis bonis omnibus attuliſſet: graviſſimámque adoleſcens nobiliſſimus Reipublicæ partem fortiſſimè ſuſcepiſſet: atque illam belluam judicii laqueos declinantem, jam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, Dii immortales, fuit? cùm ſe ille fugiens in ſcalarum tenebras addidiſſet, magnum Miloni fuit, conficere illam peſtem, nullâ ſuâ invidiâ, Antonii verò maximâ gloriâ?

39. Milo nunquam vim fecit, etſi plurimas, quæ per Repetitionem enumerantur Clodium impunè occidenni occaſiones habuerat.

41. Quid? comitiis in campo quoties potestas fuit? cùm ille in septa irruisset; gladios distringendos, lapides jaciendos curâsset; dein subitò, vultu Milonis perterritus fugeret ad Tyberim; vos, & omnes boni vota faceretis, ut Miloni ui virtute sua liberet. Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cùm aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impunè non est ausus; hunc injuriâ, inimicô locô, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere?

42. Præsertim Judices, cùm honoris ampliſſimi contentio, & dies comitiorum subesset. Quo quidem tempore, scio enim, quàm timida sit ambitio, quantáque & quàm solicita cupiditas Consulatûs) omnia, non modò quæ reprehendi palàm, sed etiam quæ obscurè cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falsam perhorrescimus; ora omnium, atque oculos intuemur. Nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm voluntas erga nos, sensúsque civium, qui non modò improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam in rectè factis sæpè fastidiunt.

43. Hunc diem igitur campi speratum, atque exoptatum sibi proponens Milo; cruentis manibus scelus, & facinus præ se ferens, & confitens, ad illa augusta Centuriarum auspicia veniebat? quàm hoc non credibile in hoc? quàm idem in Clodio non dubitandum? qui, se interfecto Milone regnaturum putaret? quid? quod caput audaciæ est Judices, quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? in utro igitur hæc fuit? in Milone? qui etiam nunc reus est facti, aut præclari, aut certè necessarii. An Clodio? qui ità judicia, pœnámque contempserat, ut eum nihil delectaret: quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret.

44. Sed

41. Potuit loco & tempore opportuno eum occidere, quando Clodius impetum fecit in Pompejum, aut in Comitiis à Milone fugatus ad Tyberim.

42. Concludit pulchrè Cicero à majori ad minus, Milonem non attulisse vim, aut necem Clodio. Confirmatur ab imminente Comitiorum die, quo tempore omnes Consulatûs Candidati populum offendere timent.

44. Sed quid ego argumentor? quid plura diſputo? Te Q. Petili appello optimum, & fortiſſimum civem. Te M. Cato, Teſtor; quos mihi divina quædam ſors dedit judices: vos ex M. Favonio audiſtis, Clodium ſibi dixiſſe, & audiſtis vivo Clodio, periturum Milonem triduo. Poſt diem tertium geſta res eſt, quam dixerat. Cùm ille non dubitaret aperire, quid cogitaret; vos poteſtis dubitare, quid fecerit?

45. Quemadmodum igitur eum dies non fefellit? dixi equidem modò. Dictatoris Lanuvini ſtata ſacrificia nôſſe, negotii nihil erat; vidit, neceſſe Miloni, proficiſci Lanuvium illo ipſo, quo profectus eſt die. Itaque antevertit. At quo die? quo, ùt ante dixi, inſaniſſima concio ab ipſius mercenario Tribunopl. eſt concitata: quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisì ad cogitatum facinus approperaret, nunquam reliquiſſet. Ergo illi ne cauſa quidem itineris; etiam cauſa manendi. Miloni nulla facultas manendi; exeundi, non cauſa ſolùm, ſed etiam neceſſitas fuit. Quid ſi, ùt ille ſcivit Milonem fore eo die in via, ſic Clodium Milo ne ſuſpicari quidem potuit?

46. Primùm quæro, quî ſcire potuit? quod vos idem in Clodio quærere non poteſtis. Ut enim neminem alium, nisì T. Patinam familiariſſimum ſuum rogâſſet; ſcire potuit, illo ipſo die Lanuvii à Dictatore Milone prodi Flaminem neceſſe eſſe. Sed erant permulti alii, ex quibus id facillimè ſcire poſſet; omnes ſcilicet Lanuvii, Milo de Clodii reditu unde quæſivit? quæſierit ſanè. Videte, quid vobis largior: ſervum etiam, ùt Arrius meus

44. *Quarta* cauſa, fuit *ſperata* à Clodio, qui ſæpè, judicia & pœnas evaſerat *impunitas*. Hanc Milo non ſperabat etiam nunc reus, ac cauſæ ambiguus.

45. Hæc ſpes impunitatis confirmatur ipſis verbis, & confeſſione Clodii per Præteritionem, & Apoſtrophen ad Judices. Tertio enim die dixit periturum Milonem, & ex urbe ſine cauſa profectus eſt; cum Miloni neceſſariò ob ſtata ſacrificia proficiſcendum eſſet.

46. Facilè reſcire à variis potuerat Clodius; cùm de ejus reditu nihil ſuſpicari poſſet Milo, nec Clodii ſervos ad id corrupit, quòd quidam nullius fidei teſtes edixerant.

amicus dixit, corruperit. Legite teſtimonium teſtium veſtrorum. Dixit C. Caſſinus, cognomento Schola, Interamnis, familiaris meus, & idem comes P. Clodii: cujus jam pridem teſtimonio Clodius eâdem horâ Interamnæ fuerat, & Roma P. Clodium illo die in Albano manſurum fuiſſe; ſed ſubitò ei fuiſſe nunciatum, Cyrum architectum eſſe mortuum. Itaque Romam repentè conſtituiſſe proficiſci. Dixit hoc comes item Publii Clodii C. Clodius.

47. Videte, Judices, quantæ res his teſtimoniis ſint confectæ. Primùm certè liberatur Milo, non eo conſiliô profectus eſſe; ut inſidiaretur in via Clodio: quippe qui ei obvius futurus omnino non erat. Deinde (non enim video, cur non meum quoque agam negotium) ſcitis Judices fuiſſe; qui in hac rogatione ſuadenda dicerent: Milonis manu cædem eſſe factam, conſilio verò majoris alicujus: videlicet me latronem, ac ſicarium abjecti homines, & perditi deſcribebant. Jacent ſuis teſtibus ii, qui Clodium negant eo die Romam, niſi de Cyro auditum eſſet, rediturum fuiſſe. Reſpiravi, liberatus ſum: non vereor, ne, quôd ne ſuſpicari quidem potuerim, videar id cogitâſſe.

48. Nunc perſequar cætera. Nam occurrit illud: ne Clodius quidem de inſidiis cogitavit; quoniam fuit in Albano manſurus, ſiquidem exiturus ad cædem è villa non fuiſſet. Video enim illum, qui dicitur de Cyri morte nunciâſſe, non id nunciâſſe, ſed Milonem appropinquare. Nam quid de Cyro nunciaret? quem Clodius Româ proficiſcens, reliquerat morientem? unà fui, teſtamentum ſimul obſignavi cum Clodio. Teſtamentum autem palàm fecerat, & illum hæredem, & me ſcripſerat. Quem pridie horâ tertiâ animam efflantem reliquiſſet, eum mortuum poſtridie hora decima ei nunciabatur? Age, ſi ità factum: quæ cauſa, cur Romam properaret? cur in noctem ſe conjiceret? quid afferebat feſtinationem? quôd hæres erat? primùm erat nihil,

48. Quia horum teſtimonia pro ſe Cicero interpretatur, quia ſi Clodius in Albano ob mortem Cyri eo die manſurus erat, ejus reditus Miloni ignotus fuit. Cùm igitur Clodius in Albano non manſit, Romam reverà ad inſidias rediit, non ob morem Cyri, quem pridie morientem reliquerat.

nihil, cur properarò opus erat. Deinde, ſi quid eſſet; quid tandem, quòd ea nocte conſequi poſſet? amitteret autem, ſi poſtridie manè Romam veniſſet.

49. Atque ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potiùs, quàm expetendus fuit, ſic Miloni, cùm inſidiator eſſet, ſi illum ad urbem noctu acceſſurum ſciebat, ſubſiſtendum atque expectandum fuit.

50. Noctu invidioſo, & pleno latronum in loco, occidiſſet, nemo ei neganti non credidiſſet; quem eſſe omnes ſalvum etiam confitentem volunt. Suſtinuiſſet hoc crimen primùm ipſe latronum occultator, & receptor locus: dum neque muta ſolitudo indicâſſet, neque cæca nox oſtendiſſet Milonem, deinde ubi multi ab eo violati, ſpoliati, bonis expulſi, multi etiam hæc timentes, in ſuſpicionem caderent; tota denique rea citaretur Hetruria.

51. Atque illo die certè Aricià rediens divertit Clodius ad Albanum. Quod, niſi ſciret illum Milo Ariciæ fuiſſe; ſuſpicari tamen debuit, eum, etiam ſi Romam illo die reverti vellet, ad villam ſuam, quæ viam tangeret, diverſurum. Cur neque antè occurrit, ne in villa reſideret; nec eo in loco ſubſedit, quò ille noctu venturus eſſet? Video adhuc conſtare omnia Judices: Miloni etiam utile fuiſſe, Clodium vivere; illi ad ea, quæ cupiebat, optatiſſimum interitum Milonis fuiſſe. Odium illius in hunc acerbiſſimum, in illum hujus nullum. Conſuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, hujus tantùm in repellenda.

52. Mortem ab illo denunciatam palàm Miloni, & prædictam; nihil unquam auditum ex Milone. Profectionis hujus diem illi notum, reditum illius huic ignotum fuiſſe. Hujus iter neceſſarium, illius etiam potiùs alienum. Hunc præ ſe tuliſſe, ſe illo die Româ exiturum; illum eo die ſe diſſimulâſſe rediturum. Hunc nullius rei mutâſſe conſilium, illum cauſam mutandi conſilii finxiſſe. Huic, ſi inſidiaretur, nocte propè urbem expectandum; illi, etiam

50. Confirmatur ex feſtinatione Clodii.

51. Contrà ſuſpicione inſidiarum abſolvitur Milo, quia ei ante ejus fundum non fuiſſet occurſurus.

52. Itaque perſpicua repetitione concludit orator probabiles eſſe inſidias Clodii, non Milonis.

ſi hunc non timeret, tamen acceſſum ad urbem nocturnum fuiſſe metuendum.

53. Videamus nunc id, quod caput eſt; locus ad inſidias ille ipſe, ubi congreſſi ſunt, utri tandem fuerit aptior. Id verò judices etiam dubitandum, & diutiùs cogitandum eſt. Ante fundum Clodii, quo in fundo, propter inſanas illas ſubſtructiones, facilè mille hominum verſabantur valentium adverſari. Atqui excelsô locô ſuperiorem ſe fore putabat Milo, & ob eam cauſam eum locum ad pugnam potiſſimùm delegerat? An in eo loco potiùs expectandum ab eo, qui ipſius loci ſpe facere impetum cogitarât? res loquitur Judices ipſa, quæ ſemper valet plurimum.

54. Si hæc non geſta audiretis, ſed picta videretis, tamen appareret, uter eſſet inſidiator; uter nihil cogitaret mali; cùm alter veheretur in rheda penulatus, unà ſederet uxor. Quid horum non impeditiſſimum? veſtitus? an vehiculum, an comes? quid minùs promptum ad pugnam? cùm penulâ irretitus, rhedâ impeditus, uxore penè conſtrictus eſſet. Videte nunc illum primùm egredientem è villa ſubitò. Cur veſperi? qui neceſſe eſt tardè? quî convenit, præſertim id temporis? divertit in villam Pompeji. Pompejum ut videret? ſciebat in Alſienſi eſſe procul inde. Villam ut perſpiceret? millies in ea fuerat. Quid ergo erat moræ, & tergiverſationis? dum hic veniret, locum reliquere noluit.

55. Age, nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum uxore, tum ſine ea; nunquam non in rheda, tum in equo; comites Græculi, quocunque ibat, etiam cùm in caſtra Hetruſca properabat; tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquam, tum caſu pueros ſymphoniacos uxoris ducebat, & ancillarum greges. Ille, qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat, tum nemi-nem; niſi ut virum à viro lectum eſſe diceres. Cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur; quia quanquam paratus

54. Mirificè locum pugnæ, inſidiis aptiorem exprimit Cicero per Hypotypoſim, & Comparationem ab Adjunctis, comitatu, facultate, & tempore.

ratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.

56. Nec verò ſic erat unquam non paratus Milo contra illum, ut non ſatis ferè eſſet paratus. Semper ille, & quantum intereſſet P. Clodii ſe perire, & quanto illi odio eſſet, & quantum ille auderet. Quamobrem vitam ſuam, quam maximis præmiis propoſitam, & penè addictam ſciebat, nunquam in periculum ſinè præſidio, & ſinè cuſtodia provehebat. Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, martémque communem; qui ſæpè ſpoliantem jam, & exultantem everit, & perculit ab abjecto. Adde inſcitiam pranſi, poti, oſcitantis ducis; qui cùm à tergo hoſtem intercluſum reliquiſſet, nihil de ejus extremis comitibus cogitavit; in quos incenſos ira, vitámque domini deſperantes cùm incidiſſet; hæſit in iis pœnis, quas ab eo ſervi fideles pro domini vita expetiverunt.

57. Cur igitur eos manumiſit? metuebat ſcilicet, ne indicarent, ne dolorem perferre non poſſent, ne tormentis cogerentur, occiſum eſſe à ſervis Milonis in Appia via P. Clodium, confiteri. Quid opus eſt tortore? quid quæris? occiderſine? occidit. Jure, ac injuriâ? nihil ad tortorem. Facti enim in equuleo quæſtio eſt; juris, in judicio. Quod igitur in cauſa quærendum eſt, id agamus; hoc, quòd tormentis invenire vis, id fatemur. Manu verò cur miſerit, ſi id potiùs quæris, quàm cur parùm amplis affecerit præmiis, neſcis inimici factum reprehendere.

58. Dixit enim hic idem, qui omnia ſemper conſtanter, & fortiter, M. Cato; dixítque in turbulenta concione, quæ tamen hujus authoritate placata eſt; non libertate ſolùm, ſed etiam omnibus præmiis digniſſimos fuiſſe, qui domini caput defendiſſent. Quod enim præmium ſatis magnum eſt tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus ſervis, propter quos vivit? etſi id quidem non tanti eſt; quàm quòd

56. Digreditur Cicero, & ad tres Prolepſes reſpondet. 1. *Victus eſt Clodius.* Incerti ſunt exitus pugnæ. Clodius inſcitus, effæminatus; Milo providus, & circumſpectus.

57. 2. *Milo ſervos manumiſit.* Et merebantur, quòd ità herum defenderant, nec ea cauſa manumiſi, ne in quæſtionem vocarentur, nec enim tormentis opus, ubi facti confeſſio eſt.

quòd propter eosdem, non sanguine, & vulneribus suis, crudelissimi inimici mentem, oculósque satiavit. Quis nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerunt conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis? hic verò nihil habet in his malis, quod minùs molestè ferat; quàm etiam si quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum præmium persolutum.

59. Sed quæstiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ nunc in atrio Libertatis. Quibusnam de servis? rogas? de P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio. Dii boni, quid potest agi severiùs? de servis nulla quæstio est in dominum, nisi de incæsta, ùt fiat in Clodium. Proximè Deos accessit Clodius; propiùs, quàm tum, cùm ad ipsos penetrârat; cujus de morte, tanquam de ceremoniis violatis, quæritur. Sed tamen majores nostri in dominum de servo quæri noluerunt: non, quia non posset verum inveniri; sed quia videbatur, indignum esse, & dominis morte ipsa tristius. In rem de servis accusatoris cùm quæritur, verum inveniri potest?

60. Age verò, quæ erat, aut qualis quæstio? heus ubi Roscio? Cave mentiaris. Clodius insidias fecit Miloni? fecit: certa crux. Nullas fecit? sperata libertas. Quid hac quæstione certius? subitò arrepti in quæstionem tamen separantur à cæteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Hi centum dies penes accusatorem cùm fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid hac quæstione dici potest integrius? quid incorruptius?

61. Quòd si nondum satis cernitis, cùm res ipsa tot, tam claris argumentis, signísque luceat, pura mente, atque inte-

59. *Ab Appio quæstiones habitæ sunt de servis Clodii.* I. quidem nihil ad rem. Nec enim licet contra herum de servis quari, minus contra Domini inimicum. Quæstiones has facetâ Ironiâ, complexione, & Prosopopœja Cicero refellit à persona Appii, & ejus modo quærendi non legitimo.

61. Redit ex digressione, & pluribus ab adjunctis temporis, loci à consequentibus, signis à Milone insidiarum suspicionem removet; imprimis ejus fiduciam prædicat, qua se in Urbem retulit, & conscientiæ vim.

integra Milonem, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nullâ conſcientiâ exanimatum, Romam revertiſſe: recordamini per Deos immortales! quæ fuerit celeritas reditûs ejus: qui ingreſſus in forum ardente curia: quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio: neque verò ſe populo ſolùm, ſed etiam Senatui tradidit: neque Senatui modò, ſed etiam publicis præſidiis, & armis: neque his tantùm, verùm etiam ejus poteſtati, cui Senatus totam Rempublicam, omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiſerat. Cui ſe nunquam profectò tradidiſſet, niſi cauſæ ſuæ confideret; præſertim omnia audienti, magna metuenti, multa ſuſpicanti, nulla credenti. Magna vis eſt conſcientiæ Judices, & magna in utramque partem; ut neque timeant, qui nihil commiſerint; & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccârint.

62. Neque verò ſine ratione certa, cauſa Milonis ſemper à Senatu probata eſt. Videbant enim ſapientiſſimi homines facti rationem, præſentiam animi, defenſionis conſtantiam. An verò obliti eſtis Judices, recenti illo nuncio necis Clodianæ, non modò inimicorum Milonis ſermones, & opiniones, ſed nonnullorum etiam imperitorum, qui negabant eum Romam eſſe redditurum?

63. Sive enim illud animò iratò, ac perciò feciſſet, ut incenſus odiò trucidaret inimicum; arbitraban ur eum tanti mortem P. Clodii putâſſe, ut æquò animò patriâ careret, cum ſanguine inimici explêſſet odium ſuum. Sive etiam illius morte patriam liberare voluiſſet, non dubiturum fortem virum, quin, cùm ſuò periculò ſalutem Reipubl. attuliſſet, cæderet æquò animò legibus; ſecum auferret gloriam ſempiternam; nobis hæc fruenda relinqueret, quæ ipſe ſervâſſet. Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur; erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet. Miſeros interdum cives optimè de Republ. meritos! in quibus homines non modò res præclariſſimas obliviſcuntur, ſed etiam nefarias ſuſpicantur. Ergo illa falſa fuerunt, quæ certè vera extitiſſent, ſi Milo admiſiſſet aliquid, quod non poſſet honeſtè, veréque defendere.

64. Quid

64. Quid? quæ postea sunt in eum congesta? quæ quamvis etiam mediocrium delictorum conscientiam perculissent, ut sustinuit, Dii immortales! sustinuit? imò verò ut contempsit, ac pro nihilo putavit? quæ neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset. Scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum, pilorúmque etiam multitudo deprehendi posse judicabatur; nullum in urbe vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus; arma in villam Oriculanam devecta Tyberi; domus in clivo Capitolino scutis referta; plena omnia malleorum ad urbis incendia comparatorum. Hæc non delata solùm, sed penè credita; nec ante repudiata, quàm quæsita.

65. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeji. Sed dicam, ut sentio, Judices nimìs multa audire coguntur, neque aliter facere possunt ii, quibus tota commissa est Republica. Quin etiam audiendus sit Popa Licinius, nescio quis de circo maximo; servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse de interficiendo Cn. Pompejo conjurâsse. Deinde postea se gladiô percussum esse ab uno de illis, ne indicaret, Pompeio in hortos nunciavit. Arcessor inprimis. De animorum sententia rem defert ad Senatum. Non poteram in illius mei, patriæq; custodis tanta suspicione, non metu exanimari. Sed mirabar tamen credi Popæ, ebriosorum confessionem servorum audiri; vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari.

66. Verùm etiam, ut intelligo, cavebat magìs Pompejus, quàm timebat, non ea solùm, quæ timenda erant, sed omnia, ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Cæsaris, clarissimi, ac fortissimi viri, per multas noctis horas nunciabatur; nemo audiêrat tam celebri loco, nemo senserat, tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompejum præstantissima virtute civem timidum suspicari. Diligen-

64. Deinde ejus fortitudinem, qua sparsos de se rumores contempserat.

66. Digreditur hinc ad diluendas suspiciones Pompeii, quem operosè multáque arte conciliare studet. Elevat has suspiciones 1. à persona Licinii, & furiosorum servorum.

gentiam totâ Rep. ſuſceptâ, nimiam nullam putabam. Frequentiſſimo Senatu nuper in Capitolio ſenator inventus eſt, qui Milonem cum telo eſſe diceret. Nudavit ſe in ſanctiſſimo Templo, quoniam vita talis & civis, & viri, fidem non faciebat, nisì eo tacente res ipſa loqueretur.

67. Omnia falſa, atque inſidiosè ficta comperta ſunt; cùm tamen, ſi meruitur etiam nunc Milo, non hoc jam Clodianum crimen timemus; ſed tuas Cn. Pompei (te enim jam appello ea voce, ut me audire poſſis) tuas inquam ſuſpiciones perhorreſcimus. Si Milonem times, ſi hunc de tua vita nefariè, aut nunc cogitare, aut meditatum aliquando aliquid putas; ſi Italiæ delectus, ùt nonnulli conquiſitores tui dictitant; ſi hæc arma, ſi Capitolinæ cohortes, ſi excubiæ, ſi vigiliæ, ſi delecta juventus, quæ tuum corpus, domúmque cuſtodit, contra Milonis impetum armata eſt; atque illa omnia in hunc unum inſtituta, parata, intenta ſunt; magna in hoc certè vis, & incredibilis animus, & non unius viri vires, atque opes indicantur; ſiquidem in hunc unum, & præſtantiſſimus dux electus, & tota Reſpubl. armata eſt.

68. Sed quis non intelligit? omnes tibi Reipubl. partes ægras, & labentes, ut eas his armis ſanares, & confirmares, eſſe commiſſas? Quòd ſi Miloni locus datus eſſet, probâſſet profectò tibi ipſi, neminem unquam hominum homini chariorem fuiſſe, quàm te ſibi; nullum ſe unquam periculum pro tua dignitate fugiſſe, cum illa ipſa teterrima peſte ſæpè pro tua gloria contendiſſe; Tribunatum ſuum ad ſalutem meam, quæ tibi chariſſima fuiſſet, conſiliis tuis gubernatum; ſe à te poſtea defenſum in periculo capitis, adjutum in petitione præturæ, duos ſe habere ſemper amiciſſimos ſperâſſe; te tuô beneficiô, me ſuô. Quæ ſi non probaret, ſi tibi ità penitus inſedisſet iſta ſuſpicio, nullo ut evelli modo poſſet; ſi denique Italia à delectu, urbs ab armis, ſine Milonis clade nunquam eſſet conquietura; nec iſte haud dubitans ceſſiſſet patriâ. Is, qui ità natus eſt, & ità

67. 2. Falſitate plurium ejuſmodi rumorum de Milone.

68. 3. A conſilio, & teſtimonio ipſius Pompeji, qui arma non contra Milonis inſidias, ſed adverſariorum vim Reipubl. causâ paravit.

ità consuevit, te Magne tamen attestaretur, quod nunc etiam facit.

69. Vide, quàm sit varia vitæ, commutabilísque ratio, quàm vaga, volubilísque fortunæ; quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ simulationes; quantæ in periculis fugæ proximorum? quantæ timiditates? erit, erit illud profectò tempus, & illucescet aliquando ille dies; cùm tu salutaribus, ùt spero rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis (qui quàm crebrò accidat, experti debemus scire) & amicissimi benevolentiam, & gravissimi honoris fidem, & unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres.

70. Quanquam quis hoc credat Cn. Pompejum juris publici, majorum, rei denique publicæ peritissimum, cùm Senatus ei commiserit, ut videret, ne quid Respubl. detrimenti caperet; quo uno versiculo satis armati semper Consules fuerunt, etiam nullis armis datis; hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium expectaturum fuisse in ejus consiliis judicandis, qui vel judicia ipsa tolleret? Satis judicatum est à Pompejo, falsò ista conferri in Milonem; qui legem tulit, qua, ùt ego sentio, Milonem absolvi oporteret; ùt omnes confitentur, liceret.

71. Quòd verò in illo loco, atque in illis publicorum præsidiorum copiis circumfusus sedet! satis declarat non se terrorem inferre vobis (quid enim illo minùs dignum, quàm cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipse, & more majorum, & suo jure posset?) sed præsidio esse; ut intelligatis, contra hesternam concionem illam licere vobis, sentiatis liberè judicare.

72. Argumentum II. Nec verò me Jud. Clodianum

69. 2. Probata toties Milonis fide, atque animô erga Pompejum, cui fors etiam olim prodesse posset.

71. 3. A præjudicio Pompeji, qui vel sinè judicio poterat in Milonem animadvertere, præsidiúmque ideo solum in foro collocavit, quo libertatem Judicum, contra Clodianorum concionem tueretur.

72. Argumentum 2. *Miloni est gloriosum, scelveratum, & nexium civem occidisse.* Pro Syllogismo: *Gloriosum est malum, & perniciosum civem tollere, sed talis fuit Clodius, ergo ejus ce-*

dianum crimen movet: nec tam ſum demens, támque veſtri ſenſûs ignarus, atque expers, ut neſciam, quid de morte Clodii ſentiatis. De qua ſi jam nollem jàm diluere crimen, ut dilui; tamen impunè Miloni palàm clamare atque mentiri gloriosè liceret: Occidi, occidi non Spurium Melium, qui annonâ levandâ, jacturísque rei familiaris, quia nimìs amplecti plebem putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi: non T. Grachum, qui collegæ magiſtratum per ſeditionem abrogavit: quorum interfectores implêrunt orbem terrarum nominis ſui gloriâ: ſed eum (auderet enim dicere, cùm patriam periculô ſuô liberâſſet) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus ſanctiſſimis nobiliſſimæ fœminæ comprehenderunt: eum, cujus ſupplicio Senatus ſolennes religiones expiandas ſæpè cenſuit.

73. Eum, quem cum ſorore germana nefarium ſtuprum feciſſe, L. Lucullus juratus ſe quæſtionibus habitis dixit comperiſſe: eum, qui civem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes, urbis, ac vitæ civium conſervatorem judicabant, ſervorum armis exterminávit: eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum, quibuſcum voluit, partitus eſt: eum, qui pluribus cædibus in foro factis, ſingulari virtute, & gloriâ civem, domum vi, & armis compulit.

74. Eum, cui nihil unquam nefas fuit, nec in facinore, nec in libidine; eum, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recenſionis tabulis publicis impreſſam extingueret: eum denique, cui jam nulla lex erat, nullum civile jus, nulli poſſeſſionum termini: qui non calumnia litium, non injuſtis vindiciis, ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat: qui non ſolùm Hetruſcos (eos enim penitus contempſerat) ſed hunc Cn. Pompejum, virum fortiſſimum, atque optimum civem, Judicem noſtrum, pellere poſſeſſionibus, armis, caſtrísque conatus eſt: qui cum architectis, & decempedis villas multorum, hortósque peragrabat:

des glorioſa Miloni. Major amplificatur inſigni Proſopopœia Milonis gloriantis de cæde pernicioſioris civis, quàm Sp. Melius &c.

73. *Minor* multa Clodii ſcelera, ſtupra &c. acervatim continet.

bat: qui Ianiculo, & Alpibus ſpem poſſeſſionum terminabat ſuarum; qui cùm ab equite Romano ſplendidiſſimo, & forti viro, T. Pacanio non impetrâſſet, ut inſulam in lacu pretiô venderet, repentè lintribus in eam inſulam, materiam, calcem, cæmenta, atque arma convexit; dominóque trans ripam inſpectante, non dubitavit ædificium extruere in alieno.

75. Qui huic T. Furfanio, cui viro, Dii immortales! (quid enim de muliercula Sanctia, quid de adoleſcente Apronio dicam? quorum utrique mortem eſt minitatus, nisì ſibi hortorum poſſeſſione ceſſiſſet) ſed auſus Furfanio dicere, ſi ſibi pecuniam, quantam popoſcerat, non dediſſet, mortuum ſe in domum ejus illaturum: quâ invidiâ huic eſſet tali viro conflagrandum: qui Appium fratrem, hominem mihi conjunctum fideliſſimâ gratiâ, abſentem de poſſeſſione fundi dejecit: qui parietem ſic per veſtibulum ſororis inſtituit ducere, ſic agere fundamenta, ut ſororem non modò veſtibulô privaret, ſed omni aditu, & limine.

76. Quanquam hæc quidem jam tolerabilia videbantur; etſi æqualiter in Rempublicam, in privatos, in propinquos, in alienos, in ſuos irruebat. Sed neſcio, quomodo jam uſu obduruerat, & percalluerat civitatis incredibilis patientia. Quæ verò aderant jam, & impendebant; quonam modo ea, aut depellere potuiſſetis, aut ferre imperium, ſi id ille nactus eſſet? omitto ſocios, exteras nationes, Reges Tetrarchas. Vota enim faceretis, ut in eos ſe potiùs mitteret; quàm in veſtras poſſeſſiones, veſtra tecta, veſtras pecunias. Pecunias dico? à liberis medius fidius, & conjugibus veſtris, nunquam ille effræna as ſuas libidines cohibuiſſet. Fingi hæc putatis, quæ patent, quæ nota omnibus, quæ tenentur? ſervorum exercitus illum in urbe conſcripturum fuiſſe, per quos totam Rempubl. réſque privatas omnium poſſideret.

77. Quamobrem ſi cruentum gladium tenens clamaret T. Antonius: Adeſte quæſo, atque audite cives: P. Clodium

76. Amplificat hæc per Incrementum ex iis, quæ nefariè facturus erat, ſi Prætor fuiſſet.

Amplificat à Proſopopœia Milonis.

dium interfeci: ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frænare poteramus, hoc ferro, & hac dextera, à cervicibus veſtris repuli: per me unum effectum eſt, ut jus, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent: enimverò timendum, quonam modo id factum ferret civitas? nunc enim quis eſt, qui non probet? qui non laudet? qui non unum poſt hominum memoriam T. Annium plurimùm Reipubl. profuiſſe, maximâ lætitiâ populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affeciſſe, & dicat, & ſentiat? Nequeo vetera illa populi Romani, quanta fuerint, gaudia judicare. Multas tamen jam ſummorum Imperatorum clariſſimas victorias ætas noſtra vidit; quarum nulla, neque tam diuturnam attulit lætitiam, nec tantam.

78. Mandate hoc memoriæ, Judices. Spero multa vos, liberósque veſtros in Republ. bona eſſe viſuros. In his ſingulis ità ſemper exiſtimabitis, vivô P. Clodiô nihil horum vos viſuros fuiſſe. In ſpem maximam, & quemadmodum confido, veriſſimam adducti ſumus; hunc ipſum annum, hoc ſummo viro Conſule, concuſsâ hominum licentiâ, cupiditatibus fractis, legibus, & judiciis conſtitutis, ſalutarem civitati fore. Num quis igitur eſt tam demens, qui hoc P. Clodiô vivô, contingere potuiſſe arbitretur? Quid? ea, quæ tenetis privata, atque veſtra, dominante homine furioſo, quod jus perpetuæ poſſeſſionis habere potuiſſent? non timeo Judices, ne odiô inimicitiarum meârum inflammatus, libentiùs hæc in illum evomere videar, quàm veriùs. Etenim etſi præcipuum eſſe debebat, tamen ità communis erat omnium ille hoſtis, ut in communi odio penè æqualiter verſaretur odium meum. Non poteſt dici ſatis, ne cogitari quidem, quantum in illo ſceleris, quantum exitii fuerit.

79. Quin ſic attendite Judices, nempe hæc eſt quæſtio de interitu P. Clodii. Fingite animis (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ; &, quæ volunt, ſic intuentur, ut ea

78. Auget Milonis laudem à comparatione ſperati ejus Conſulatûs, & Præturæ Clodii, quam omnes timuerant.

79. Item alia Proſopopœia: nam ſi ab inferis revocari poſſet Clodius, nemo id, nec Pompejus faceret.

cernimus, quæ videmus) fingite igitur cogitatione imaginem hujus conditionis meæ; si possim efficere, ut Milonem absolvatis; sed ità, si P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit? quid? si ipse Cn. Pompejus, qui ea virtute, ac fortunâ est, ut ea potuerit semper, quæ nemo præter illum; si is, inquam, potuisset, ut quæstionem de morte P. Clodii ferre, sic ipsum ab inferis excitare; utrum putatis potiùs facturum fuisse? Etiamsi propter amicitiam vellet illum ab inferis revocare, propter Rempubl. non feciſſet. Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam, si putetis, per vos restitui posse, nolitis; & de ejus nece lata quæstio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset. Hujus ergo interfector, non esset etiam confitendo ab iis impetraturus, ne pœnam timeret, quos liberavisset?

80 Græci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quæ carmina? propè ad immortalitatis & religionem, & memoriam consecrantur. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modò honoribus nullis afficietis, sed ad supplicium rapi etiam patiemini? confitereur, confiteretur, inquam, si feciſſet, & magnô animô, & libenter, se feciſſe libertatis omnium causâ; quod certè ei non confitendum modò, verùm etiam prædicandum.

81. Etenim si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut cognoscatur; dubitaret id fateri, ex quo etiam præmia laudis essent petenda? nisi verò gratiùs putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri ordinis, defensorem fuisse; cùm præsertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos. Si factum vobis non probaretur (quanquam quî poterat salus sua cuique non probari?) sed tamen, si minùs fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset, magnô animô, constantíque cederet ex ingrata civitate.

80. Græcorum exemplô etiam præmia decernenda statuit Tyranni interfectori.

vitate. Nam quid eſſet ingratius, quàm lætari cæteros; lugere eum ſolum, propter quem cæteri lætarentur?

82. Quanquam hoc animo ſemper omnes fuimus, in patriæ proditoribus opprimendis; ut, quoniam noſtra futura eſſet gloria, periculum quoque, & invidiam noſtram putaremus. Nam quæ mihi ipſi tribuenda laus eſſet; cùm tantum in conſulatu meo pro vobis, ac liberis veſtris auſus eſſem; ſi id, quod conabar, ſinè maximis dimicationibus meis me eſſe auſurum arbitrarer? quæ mulier ſceleratum, ac pernicioſum civem occidere non auderet, ſi periculum non timeret, propoſitâ invidiâ, morte, pœnâ, qui nihilò ſegniùs Rempubl. defendit, is vir certè putandus eſt. Populi grati eſt, præmiis afficere benemeritos de Republ. cives; viri fortis, ne ſupplicijs quidem moveri, ut fortiter feciſſe pœniteat.

83. Quamobrem uteretur eadem confeſſione T. Annius, quâ Ahala, quâ Naſica, quâ Opimius, quâ Marius, quâ noſmetipſi; & ſi grata Reſpubl. eſſet, lætaretur; ſi ingrata, tamen in gravi fortuna conſcientiâ ſuâ niteretur. Sed hujus beneficii gratiam Jud. fortuna populi Romani, & veſtra felicitas, & Dii immortales, ſibi deberi putant. Nec verò quiſquam aliter arbitrari poteſt, nisi qui nullam vim cœleſtem exiſtimant, numénve divinum; quem neque imperii veſtri magnitudo, neque ſol ille, nec cœli, & ſignorum motus, nec viciſſitudines rerum, atque ordines movent; neque id, quod maximum eſt, majorum ſapientia; qui ſacra, qui cæremonias, qui auſpicia & ipſi ſanctiſſimè coluerunt, & nobis ſuis poſteris prodiderunt.

84. Eſt, eſt profectò illa vis; neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam, quod vigeat, & ſentiat; & non ineſt in hoc tanto naturæ, tam mentem, quâ ſapimus, quâ providemus, quâ hæc ipſa agimus, ac dicimus, videre, aut planè qualis, aut ubi ſit,

X 3 præ-

82. Juaet Milonem nunquam pœnitere facti, quia viri fortis eſt propoſitâ invidiâ, morte, pœnâ nihilominus defendere Rempublicam.

84. Verùm non ſinè artificio alcius extollit Milonis factum, cujus quidem manu, ſed Deorum numine, ac re interfectus ſit Clodius.

præclaro motu. Nisì fortè idcirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur. Perinde quasi nostram ipsam sentire possimus. Ea vis, ea est igitur, quæ sæpè incredibiles huic urbi felicitates, atque opes attulit; quæ illam perniciem extinxit, ac sustulit; cui primùm mentem injecit, ut vi irritare, ferróque lacessere fortissimum virum auderet; vinceretúrque ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impunitatem, & licentiam sempiternam.

85. Non est humanô consiliô, ne mediocri quidem, Judices, Deorum immortalium curâ, res illa perfecta. Religiones me hercule ipsæ, aræque, cùm illam belluam cadere viderunt, commovisse se videntur, & jus in illo suum retinuisse. Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, a que obtestor; vósque Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ, & æquales; quas ille præceps amentiâ, cæsis, prostratísque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppressérat; vestræ tum aræ, vestræ religiones viguerunt; vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat; túque ex tuo edito monte Latiali, sanctè Jupiter, cujus ille lacus, nemora, finésque sæpè omni nefario stupro, & scelere maculârat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti; vobis illæ, vobis vestro in conspectu, seræ, sed justæ tamen, & debitæ pœnæ solutæ sunt.

86. Nisi fortè hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonæ Deæ, quod est in fundo T. Sex ii Galli, in primis honesti, & ornati adolescentis; ante ipsam, inquam, Bonam Deam, cùm prælium commisisset, primùm illud vulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret; ut non absolutus judicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem pœnam reservatus. Nec verò non eadem ira Deorum hanc ejus satellitibus injecit amentiam, ut sinè imaginibus, sinè cantu, sinè ludis, sinè exequiis, sinè

85. Cœlestem enim vim esse demonstrat, quæ Romano Imperio provideat, & in scelera animadvertat.

86. Testes ejus rei facit Albanos tumulos, Jovem Latialem, sacrarium Bonæ Deæ, quorumque religiones impiè violârat, inque eorum conspectu occisus fuerit, ne sepulturæ quidem honore concesso.

ſinè lamentis, ſinè laudationibus, ſinè funere; oblitus cruore, & luto; ſpoliatus illius ſupremi dici celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, amburceretur etiam abjectus. Non fuiſſe credo fas, clariſſimorum virorum formas illi teterrimo parricidæ aliquid decoris afferre; neque ullo in loco potiùs mortem ejus lacerari, quàm in vita eſſet damnata.

87. Dura mihi medius fidius jam fortuna populi Romani, & crudelis videbatur; quæ tot annos illum in hanc Rempubl. inſultare videret, & pateretur. Polluerat ſtuprô ſanctiſſimas religiones, Senatûs graviſſima decreta perfregerat, pecuniâ ſe palàm à Judicibus redemerat: vexârat in tribunatu Senatum: omnium ordinum conſenſu pro ſalute Reipubl. geſta reciderat, me patriâ expulerat: bona diripuerat, domum incenderat, liberos, conjugem meam vexaverat; Cn. Pompejo nefarium bellum indixerat: magiſtratuum, privatorúmque cædes effecerat: domum mei fratris incenderat: vaſtârat Hetruriam: multos ſedibus, ac fortunis ejecerat: inſtabat: urgebat: capere ejus amentiam civitas, Italia, provinciæ, regna non poterant. Incidebantur jam domi leges, quæ nos noſtris ſervis addicerent: nihil erat cujusquam, quod quidem ille adamâſſet, quod non hoc anno ſuum fore putaret.

88. Obſtabat ejus cogitationibus nemo, præter illum Milonem ipſum, qui poterat obſtare: Cn. Pompejum novo reditu in gratiam quaſi devinctum arbitrabatur: Cæſaris potentiam, ſuam potentiam eſſe dicebat: bonorum animos etiam in meo caſu contempſerat: Milo unus urgebat. Hìc Dii immortales, ùt ſuprà dixi, mentem dederunt illi perdito, ac furioſo, ut huic faceret inſidias. Aliter perire peſtis illa non potuit. Nunquam illum Reſpubl. ſuo jure eſſet ulta. Senatus, credo, Prætorem eum circumſcripſiſſet. Ne cùm ſolebat quidem id facere in privato eodem hoc, aliquid profecerat.

87. Iterum enumerat Clodii ſcelera, quæque Prator factus, mala illaturus fuiſſet.

89. An Conſules in prætore coërcendo fortes fuiſſent? primùm Milone occiſo habuiſſet ſuos Conſules. Deinde quis in eo prætore Conſul fortis eſſet, per quem tribunum, virum conſularem, crudeliſſimè necatum eſſe meminiſſet? omnia poſſideret, teneret lege nova, quæ eſt inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis; ſervos noſtros libertos feciſſet; poſtremò nisi eum Dii immortales in eam mentem impuliſſent, ut homo effæminatus fortiſſimum virum conaretur occidere, hodie Rempubl. nullam haberetis.

90. An ille Prætor, ille verò Conſul, ſi modò hæc templa, atque ipſa mœnia ſtare eo vivo tamdiu, & conſulatum ejus expectare potuiſſent; ille denique vivus mali nihil feciſſet, qui mortuus, uno ex ſuis ſatellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? Quo quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, portum gentium, ſedem ab univerſo populo conceſſam uni ordini, inflammari, exſcindi, funeſtari? neque id fieri à multitudine imperita, quamquam eſſet miſerum id ipſum, ſed ab uno: qui, cùm tantùm auſus ſit uhor pro mortuo, quid ſignifer pro vivo non eſſet auſus? in curiam potiſſimùm abjecit, ut eam mortuus incenderet; quam vivus everterat.

91. Et ſunt, qui de via Appia querantur, taceant de curia? & qui ab eo ſpirante forum potuiſſet defendi, cujus non reſtiterit cadaveri Curia? excitate eum, ſi poteſtis ab inferis, frangetis impetum vivi, cujus ſuſtinetis furias inſepulti? nisi verò ſuſtinuiſtis eos, qui cum facibus ad Curiam, cucurrerunt, cum falcibus ad Caſtoris, cum gladiis toto foro volitárunt. Cædi vidiſtis populum Romanum, concionem gladiis diſturbari; cùm audiretur ſilentio M. Cælius Tribunus pl. vir fortiſſimus, & in ſuſcepta cauſa firmiſſimus, & bonorum voluntati, & auctoritati

89. Nemo præter fortiſſimum Milonem Conſulem hujus Prætoris furias coërcere potuiſſet.

90. Augetur à comparatione minorum: ſi mortuus Clodius Curiam incendit, & omnia permiſcet, quid ſi viveret?

tati Senatûs deditus; & in hac Milonis, ſive invidia, ſive fortuna ſingulari, divina, & incredibili fide.

92. *Peroratio.* Sed jam ſatis multa de cauſa, extra cauſam etiam nimis fortaſſe multa. Quid reſtat, niſi ut orem, obteſtéque vos, Judices; ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat, ego autem repugnante hoc, imploro, & expoſco. Nolite, ſi in noſtro omnium fletu nullam lachrymam aſpexiſtis Milonis; ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem, ac non muratam videtis; hoc minùs ei parcere. Atque haud ſcio, an multò etiam ſit adjuvandus magis. Etenim ſi in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominum conditione, atque fortunâ, timidos, & ſupplices, &, ut vivere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus; fortes, & animoſos, & ſe acriter ipſi morti offerentes, ſervare cupimus; eorúmque nos non magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant; quantò hoc magis in fortiſſimis civibus facere debemus.

93. Me quidem, Judices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidie; valeant, inquit, valeant cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati; ſtet hæc urbs præclara, mihíque patria chariſſima, quoquo modo merita de me erit. tranquillâ Republ. cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſinè me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur; ego cedam, atque abibo. Si mihi Republ. bonâ frui non licuerit, at carebo malâ; & quàm primùm tetigero bene moratam, & liberam civitatem, in ea conquieſcam.

94. O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores! O ſpes fallaces! O cogitationes inanes meæ! Ego cùm Tribunus plebis Republ. oppreſsâ me Senatui dediſſem, quem extinctum acceperam; equitibus Romanis, quorum vires erant

92. Peroratio eſt inſignis ad commiſerationem Milonis 1. Apoſtrophe ad Judices, ac deprecatione, addita comparatione gladiatorum, quorum timidos, & ſupplices odiſſe ſolemus, fortes ſervare cupimus.

93. 2. Proſopopœia Milonis commemorantis ſuos labores, ſpe nulla propoſita, præter ſalutem patriæ.

debiles; bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abjecerant; mihi nunquam honorum præſidium defuturum putarem? ego cùm te (mecum enim ſæpiſſimè loquitur) patriæ reddidiſſem, mihi non futurum in patria putarem locum? Ubi nunc Senatus eſt, quem ſecuti ſumus? Ubi equites Romani illi, illi inquit, tui? Ubi ſtudia municipiorum? Ubi Italiæ voces? Ubi denique tua M. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio, vox, & defenſio? mihíne ea Soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil poteſt opitulari?

95. Nec verò hæc Judices, ùt ego nunc, flens, ſed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. Negat enim ſe, negat ingratis civibus feciſſe, quæ fecerit, timidis, & omnia circumſpicientibus pericula, non negat. Plebem, & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis veſtris imminebat, eam, quò tutior eſſet vita noſtra, ſuam ſe feciſſe commemorat, ut non modò virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret; nec timet, ne cùm plebem muneribus placârit, vos non conciliârit meritis in Rempubl. ſingularibus. Senatûs erga ſe benevolentiam temporibus his ipſis ſæpè eſſe perſpectam; veſtras verò, & veſtrorum ordinum occurſationes, ſtudia, ſermones, quemcunque caſum fortuna dederit, ſecum ſe ablaturum eſſe dicit.

96. Meminit etiam ſibi vocem præconis modò defuiſſe, quam minimè deſiderârit; populi verò cunctis ſuffragiis, quod unum cupiêrit, ſe Conſulem declaratum. Nunc denique ſi hæc arma contra ſe ſint futura, ſibi facinoris ſuſpicionem, non facti crimen obſtare. Addit hæc, quæ certè vera ſunt, fortes, & ſapientes viros non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta. Se nihil in vita, nisi præclariſſimè feciſſe. Siquidem nihil ſit præſtabiliùs virô, quàm periculis patriam liberare; beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit à ſuis civibus.

97. Nec tamen eos miſeros, qui beneficiô cives ſuos vicerint. Sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium, gloriam. Eſſe hanc unam, quæ brevitatem vitæ, poſteritatis memoria conſolaretur; quæ efficeret, ut abſentes adeſſemus,

eſſemus, mortui viveremus; hanc denique eſſe, cujus gradibus etiam homines in cœlum videantur aſcendere.

98. De me, inquit, ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur; nulla unquam obmuteſcet vetuſtas. Quin hoc tempore ipſo, cùm omnes à ſuis inimicis faces invidiæ meæ ſubjiciantur, tamen omni in hominum cœtu gratiis agendis, & gratulationibus habendis, & omni ſermone celebramur. Omitto Hetruriæ feſtos, & actos, & inſtituros dies. Centeſima lux eſt hæc ab interitu P. Clodii; &, opinor, ultrà quàm fines imperii populi Romani ſunt, non ſolùm fama jam de illo, ſed etiam lætitia peragravit. Quamobrem ubi corpus hoc ſit, non, inquit, laboro; quoniam omnibus in terris & jam verſatur, & ſemper habitabit nominis mei gloria.

99. Hæc tu mecum ſæpè his abſentibus, ſed iisdem audientibus; hæc ego tecum Milo. Te quidem, quòd iſto animo es, ſatis laudare non poſſum; ſed quò eſt iſta magis divina virtus, eò majore à te dolore divellor. Nec verò, ſi mihi eriperis, reliqua eſt illa tamen ad conſolandum querela, ut iis iraſci poſſim, à quibus tantum vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſſimi; non malè aliquando de me meriti, ſed optimè. Nullum unquam, Judices, mihi tantum dolorem inuretis (& ſi quis poteſt eſſe tantus?) ſed ne hunc quidem ipſum, ut obliviſcar, quanti me ſemper feceritis. Quæ ſi vos cœpit oblivio, aut ſi in me aliquid oſtenditis; cur non id meo capite potiùs luitur, quam Milonis? præclarè enim vixero, ſi quid mihi acciderit priùs, quàm hoc tantum mali videro.

100. Nunc me una conſolatio ſuſtentat; quòd tibi, ô T. Anni! nullum à me amoris, nullum ſtudii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi; ego meum ſæpè corpus, & vitam abjeci armis inimicorum tuorum; ego me plurimis pro te ſupplicem abjeci; bona, fortunas meas, ac liberorum meorum contuli; hoc denique ipſo die, ſi qua vis eſt parata, ſi qua dimicatio capitis futura, depoſco; quid jam reſtat? quid habeo,

100. Alterâ Proſopopœiâ Cicero Miloni ſuum amorem teſtatur, dolorémque, ſi ab amiciſſimo capite divelleretur.

habeo, quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis? nisi ut eam fortunam, quæcunque erit tua, ducam meam? non recuſo, non abnuo; vósque obſecro Judices, ut veſtra beneficia, quæ in me contuliſtis, aut in hujus ſalute augeatis, aut in ejusdem exitio occaſura eſſe jubeatis.

101. His lachrymis non movetur Milo, eſt quodam incredibili robore animi ſeptus; exilium ibi eſſe putat, ubi virtuti non ſit locus; mortem naturæ finem eſſe, non pœnam. Sit hic ea mente, qua natus eſt. Quid vos Judices? quô tandem animô eritis? memoriam Milonis retinebitis, ipſum ejicietis? & erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quàm hic, qui procreavit? Vos, vos appello, fortiſſimi viri, qui multum pro Republ. ſanguinem effudiſtis; vos in viri, & in civis invicti appello periculo Centuriones, vósque milites. Vobis non modò inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic judicio præſidentibus, hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? ejicietur?

102. O me miſerum! ô infelicem! revocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos; ego te in patria per eosdem retinere non potero? quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi quid frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eosdem, per quos noſtram ille ſervâſſet? at in qua cauſa non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus. A quibus non potuiſſe? ab iis, qui maximè P. Clodii morte acquierunt. Quo deprecante? me.

103. Quodnam ego concepi tantum ſcelus, aut quod in me tantum facinus admiſi Judices: cùm illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, extinxi? omnes in me, meósque redundant ex illo fonte dolores. Quid me reducem voluiſtis? an ut inſpectante me expelleren-

102. Iterum commendatâ Milonis conſtantiâ adſtantes in foro milites compellat, ut virum adeò fortem ſervent, nec perire ſinant.

103. Milonis de ſe Cicerone merita, cùm ab exilio vocaretur, commemorat, ſuique adeò cauſâ parci petit à Judicibus. Nimis ſib. aerbum, ſi exulem videre oporteret, à quo ipſe reductus eſſet.

lerentur ii, per quos essem restitutus? nolite obsecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum esse, quàm fuerit ille ipse discessus. Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab iis, per quos restitutus sum? Utinam Dii immortales fecissent (pace tua patria dixerim: metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) ut P. Clodius non modò viveret; sed etiam Prætor, Consul, Dictator esset, antequam hoc spectaculum viderem.

104. O Dii immortales! forsem, & à vobis Judconservandum virum! Minimè, minimè inquit, imò verò pœnas ille debitas luerit; nos subeamus, si ità necesse est, non debitas. Hicccine vir patriæ natus, usquam nisi in patria morietur? aut si fortè pro patria: hujus vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulchrum esse patiemini? hunc suâ quisquam sententiâ ex hac urbe expellet; quem omnes urbes expulsum à vobis ad se vocabunt?

105. O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit! hanc ingratam, si ejecerit! miseram, si amiserit! sed finis sit. Neque enim præ lachrymis jam loqui possum, & hic se lachrymis defendi vetat. Vos oro, obtestórque Judices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtutem, justitiam, fidem, mihi credite, is maximè probabit, qui in Judicibus legendis, optimum, & sapientissimum quemque legerit.

Pro L. Muræna.

ORATIO III.

Argumentum.

CUm L. Muræna in sequentem annum Consul designatus esset cum D. Sylano, de ambitu (ambire autem erat, petere magistratum studiosius, ac impensius, quàm mores, legésque civitatis ferrent) accusârunt eum Sex. Sulpitius, M. Procius Cato, & A. Posthumius. Sulpitius competitor Mu-

105. Lachrymis orationem abrumpit.

Murænæ fuerat, & repulſam paſſus. Cato juraverat, ſe accuſaturum, quemcunque pecuniam populo dediſſe cognoſceret; arguebátque à Muræna pecunia effectum, ut cum Sylano Conſul fieret. Defenderunt eum Q. Hortenſius M. Craſſus, & Cicero; qui cùm Hortenſium tum eloquentiæ laude florentem ſuperare contenderet, nullam partem noctis conquievit, ut adeò vigiliis, & curis fractus illo inferior videretur diſceſſiſſe. Abſolutus tamen eſt Muræna; & ſequentis anni Conſul fuit, nempe U. C. 691. Quæſtio eſt in genere judiciali, an Muræna in vita, vel dignitate inferior Sulpitiô, aut reus ambitûs.

SYNOPSIS.

Exordium. Conſul Cicero Murænam amicum ſuum, & Conſulem deſignatum, Diis antea commendaverat, nunc accuſatum Judicibus commendat tum officii, ſeu defenſionis rationem contra accuſatores probat.

Propoſitio. Muræna non eſt in vita reprehendendus, nec eſt dignitate inferior Sulpitiô, nec reus ambitûs.

Argumenta. 1. Quia non fuit in Aſia luxurioſus. 2. Eſt Sulpitiô par genere, & quæſturâ, arte autem ſuperior. 3. Nihil commiſit contra legem ambitûs.

Primi Argumenti argumentatio. Muræna Patre ſuo Imperatore meruit in Aſia cum labore, & pietate, ſtipendia conſecutus eſt cum laude, triumphi paterni particeps cum felicitate; ergo Muræna in Aſia non fuit luxurioſus. *Deinde* nullus ſaltat ſobrius, quia intempeſtivi convivii, & multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio: atqui Muræna eſt ſobrius, quia nunquam ullum ejus intempeſtivum convivium, nullæ deliciæ oſtendi poſſunt; non eſt ergo ſaltator.

Amplificatio, Affectus. Imprudens accuſator Cato, qui L. Murænæ objicit Aſiam, legetem virtutis, & gloriæ; vel maledicus conviciator, ſi ſobrium Conſulem ſaltatorem appellat.

Secundi Argumenti argumentatio. Pares ſunt genere novus homo, & Patricius; nam Pompejus, & Cicero pares ſunt Patriciis: ſed Sulpitius etſi genere Patricius, tamen virtute, ac induſtriâ novus homo eſt, uti Muræna; Probatur à majoribus utriuſque, & rebus geſtis; igitur Muræna eſt genere par Sulpitio. 2. Sulpitius factus eſt primus quæſtor ordine renunciationis, non dignitatis; ergo Muræna eſt par quæſturâ Sulpitio. 3. Ad obtinendum Conſulatum ars militaris, qua excellit Muræna, præſtat juri civili, cujus cognitione clarus eſt Sulpitius; ergo Muræna eſt par arte, aut ſuperior Sulpitiô. *Amplificatio, &*

Affe-

Affectus. Non eſt, quòd Sulpitius contemnat L. Murænæ genus, efferat ſuum; nam nobilitas Patricii eſt hiſtoriis notior, quàm populo, apud quem modò valet novi hominis virtus, & induſtria, quâ ille non ſuperat Murænam. Non eſt etiam, quòd idem Sulpitius jactet ſuam jurisprudentiam, in qua nulla eſt dignitas, aut utilitas, præſertim ad obtinendum Conſulatum: Sola ars militaris, & Oratoria efficit Conſules. Deinde Sulpitius ſuffragatione militum deſtitutus, & ludorum magnificentiâ; ſorte, & adminiſtratione provinciæ neſcit Conſulatum petere, magis intentus minis, & accuſationi, quàm officioſis populi blanditiis. Prudentior fuit L. Muræna, qui iſta ſibi ad Conſulatum præſidia diligenter adjunxit.

Argumentatio Tertii Argumenti. Licuit Murænæ habere obviam prodeuntes, & Sectatores, & offerre tum ſpectacula, tum prandia: Muræna igitur nihil commiſit contra legem ambitûs.

Amplificatio, & Affectus. Auctoritas accuſantis Catonis præjudicio eſſe non debet L. Murænæ. Stoicus eſt enimverò Cato, & nimiùm auſterus, qui contra conſuetudinem urbis, & Lacedæmoniorum, & ſummorum virorum exemplum improbat ſpectacula, conviviáque Candidatorum. Quòd ſi Cato pro ſalute Reipubl. accuſat Murænam, Cicero majore in Rempubl. officio eundem defendit, cujus Conſulatus ad comprimendum Catilinam, & firmandum ipſum Catonem Tribunum, permagni intereſt.

Peroratio. Cicero movet Judices ad miſericordiam L. Murænæ tribuendam.

ORATIO.

1. *Exordium.* Quæ precatus ſum à Diis immortalibus Judices, more, inſtitutóque majorum illo die, quo auſpicatò comitiis centuriatis L. Murænam Conſulem renunciavi; ut ea res mihi, magiſtratuíque meo, populo, plebíque Romanæ bene, atque feliciter eveniret; eadem precor ab iisdem Diis immortalibus ob ejusdem hominis Conſulatum una cum ſalute obtinendum, & ut veſtræ mentes, atque ſententiæ cum populi Romani voluntate, ſuffragiiſq; conſentiant, eáque res vobis, populóque Romano pacem, tranquillitatem, otium, concordiámque afferat. Quòd ſi illa ſolennis comitiorum precatio conſularibus auſpiciis conſecrata tantam habet in ſe vim, & religionem, quantam Reipubl.

1. Cicero pro ſalute L. Murænæ precatur Judices, pro cujus felice Conſulatu paulò antè Deos ſolenniter precatus fuerat.

Reipubl. dignitas poſtulat; idem ego ſum precatus, ut iis quoque hominibus, quibus hic Conſulatus me rogante datus eſſet, ea res fauſtè, feliciter, proſperéque eveniret.

2. Quæ cùm ità ſint Judices, & cùm omnis Deorum immortalium poteſtas, aut translata ſit ad vos, aut certè communicata vobiſcum; idem Conſul eum veſtræ fidei commendat, qui antè Diis immortalibus commendavit; ut ejusdem hominis voce, & declaratus Conſul, & defenſus, beneficium populi Romani cum veſtra, atque omnium civium ſalute tueatur. Et quoniam in hoc officio ſtudium meæ defenſionis ab accuſatoribus, atque etiam ipſa ſuſceptio cauſæ reprehenſa eſt; antequam pro L. Muræna dicere inſtituo, pro me ipſo pauca dicam; non quò mihi potior hoc quidem in tempore ſit officii mei, quàm hujuſce ſalutis defenſio; ſed ut meô factô vobis probatô, majore authoritate ab hujus honore, fama, fortunísque omnibus inimicorum impetus propulſare poſſim.

3. Et primùm M. Catoni vitam ad certam rationis normam dirigenti, & diligentiſſimè perpendenti momenta officiorum omnium, de officio meo reſpondebo. Negat fuiſſe rectum Cato, me & Conſulem, & legis ambitûs latorem, & tam ſeverè geſto Conſulatu, cauſam L. Murænæ attingere. Cujus reprehenſio me vehementer movet, non ſolùm ut vobis Judices, quibus maximè debeo, verùm etiam ut ipſi Catoni graviſſimo, atque integerrimo viro rationem facti mei probem. A quo tandem M. Cato eſt æquiùs Conſulem defendi, quàm à Conſule? Quis mihi in Republ. poteſt, aut debet eſſe conjunctior, quam is, cui Reſpubl. à me uno traditur ſuſtinenda, magnis meis laboribus, & periculis ſuſtentata? Quòd ſi in iis rebus repetendis, quæ mancipii ſunt, is periculum judicii præſtare debet, qui ſe nexu obligavit; profectò etiam rectiùs in judicio Conſulis deſignati, is potiſſimùm, qui Conſulem declaravit, author beneficii populus Romanus, defensórque periculi eſſe debebit.

4. Ac

2. Ubi etiam poteſtatis comparatione pro ſe, & Muræna benevolentiam captat, ſuique officii, ac defenſionis rationem contra duos accuſatores M. Catonem, & Sex. Sulpitium affert.

4. Ac ſi, ut nonnullis in civitatibus fieri ſolet, patronus huic cauſæ publicè conſtitueretur, is potiſſimè honore affecto defenſor daretur, qui eodem honore præditus non minùs afferret ad dicendum authoritatis, quàm facultatis. Quòd ſi è portu ſolventibus ii, qui jam in portum ex alto invehuntur, præcipere ſummô ſtudiô ſolent, & tempeſtatum rationem, & prædonum, & locorum: quod natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo tandem animo me eſſe oportet propè jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas Reipubl. tempeſtates eſſe ſubeundas? Quare ſi eſt boni Conſulis, non ſolùm videre quid agatur, verùm etiam providere quid futurum ſit; oſtendam alio loco, quantum ſalutis communis interſit, duos Conſules in Republ. Cal. Jan. eſſe.

5. Quod ſi ità eſt: non tam me officium debuit ad hominis amici fortunas, quàm Reſp. Conſulem ad communem ſalutem defendendam vocare. Nam quòd legem de ambitu tuli, certè ità tuli, ut eam, quam mihimetipſi jam pridem tulerim de civium periculis defendendis, non abrogarem. Etenim ſi largitionem factam eſſe conſiterer, idque rectè factum eſſe defenderem, facerem improbè, etiamſi alius legem tuliſſet: cùm verò nihil commiſſum contra legem eſſe defendam, quid eſt, quòd meam defenſionem latio legis impediat?

6. Negat eſſe ejusdem ſeveritatis, Catilinam exitium Reipubl. intra mœnia molientem, verbis, & penè imperiô urbe expuliſſe: & nunc pro L. Muræna dicere. Ego autem has parteis lenitatis, & miſericordiæ, quas me natura ipſa docuit, ſemper egi libenter; illam verò gravitatis, ſeveritatisque perſonam non appetivi; ſed à Republ. mihi impoſitam ſuſtinui, ſicut hujus imperii dignitas in

Rhet. Y ſum-

4. M. Catoni, neganti hunc reum ab ipſo legis ambitûs latore dicere defendi, reſpondet inductione trium ſimilium, venditionis, Patroni, & navigantium.

5. Reſpondet ad ſecundum, ſe legem de ambitu ità tuliſſe, ut quemvis ab ambitu abfuiſſe, poſſit defendere.

6. Ac tertium, ſe quidem in Catilinam ſeverum fuiſſe, quia neceſſe erat; nunc ſe ad naturam redire, ac ut cauſa poſtulat, lenem eſſe.

ſummo periculo civium poſtulabat. Quòd ſi tum, cùm Reſp. vim, & ſeveritatem deſiderabat, vici naturam, & tam vehemens fui, quàm cogebar, non quàm volebam: nunc, cùm omnes me cauſæ ad miſericordiam, atque ad humanitatem vocent, quantô tandem ſtudiô debeo naturæ meæ, conſuetudiníque ſervire? At de officio defenſionis meæ, ac de ratione accuſationis tuæ fortaſſe etiam alia in parte orationis dicendum nobis erit.

7. Sed me Judices non minùs hominis ſapientiſſimi, atque ornatiſſimi Ser. Sulpitii conqueſtio, quàm Catonis accuſatio commovebat: qui graviſſimè, & acerbiſſimè ferre dixit: me familiaritatis, neceſſitudiníque oblitum, cauſam L. Muræna contra ſe defendere. Huic ego Judices ſatisfacere cupio, vôsque adhibere Arbitros. Nam cùm grave eſt, verè accuſari in amicitia, tum etiam, ſi falsò accuſeris, non eſt negligendum. Ego Servi Sulpiti me in petitione tua tibi omnia ſtudia, atque officia pro noſtra neceſſitudine & debuiſſe confiteor, & præſtitiſſe arbitror. Nihil tibi Conſulatum petenti à me defuit, quod eſſet aut ab amico, aut à gratioſo, aut à Conſule poſtulandum. Abiit illud tempus, mutata ratio eſt: ſic exiſtimo, ſic mihi perſuadeo, me tibi contra honorem L. Muræna, quantum tu à me poſtulare auſus ſis, tantum debuiſſe; contra ſalutem nihil debere.

8. Neque enim ſi tibi tum, cùm peteres Conſulatum, affui, idcirco nûnc, cùm Murænam ipſum petas, adjuror eodem pacto eſſe debeo. Atque hoc non modò non laudari, ſed ne concedi quidem poteſt, ut amicis noſtris accuſantibus, non etiam alieniſſimos defendamus. Mihi autem cum Muræna Judices, & vetus, & magna amicitia eſt, quæ in capitis diminutione à Ser. Sulpitio non idcirco obruetur, quòd ab eodem in honoris contentione ſuperata eſt. Quæ ſi cauſa non eſſet, tamen vel dignitas hominis, vel honoris ejus, quem adeptus eſt, amplitudo, ſummam mihi

7. Servio Sulpitio graviter ob læſam amicitiam queronti reſpondet, ſe contra ſalutem L. Muræna nihil debere.

8. Addit cauſas: quòd ſibi ſit amicus, in ſumma dignitate, & periculo, quem deſerere ſummæ inhumanitatis, ſuperbiæ, crudelitatis foret.

hi ſuperbiæ, crudelitatísque famam inuſſiſſet, ſi hominis & ſuis, & Pop. Rom. ornamentis ampliſſimi cauſam tanti periculi repudiaſſem. Neque enim jam mihi licet, neque eſt integrum, ut meum laborem hominum periculis ſublevandis non impertiam. Nam cùm præmia mihi tanta pro hac induſtria ſint data, quanta antea nemini, labores, per quos ea ceperis, cùm adeptus ſis, deponere, eſſet hominis & aſtuti, & ingrati.

9. Quòd ſi licet deſinere, ſi te authore poſſum, ſi nulla inertiæ, nulla ſuperbiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa ſuſcipitur; ego verò libenter deſino; ſin autem fuga laboris deſidiam, repudiatio ſupplicum ſuperbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit; nimirum hæc cauſa eſt ejuſmodi, quam nec miſericors, nec officioſus deſerere poſſit. Atque hujuſce rei conjecturam de tuo ipſius ſtudio Servi facillimè ceperis. Nam ſi tibi neceſſe putas, etiam adverſariis amicorum tuorum de jure conſulentibus reſpondere; & ſi turpe exiſtimas, te advocato illum ipſum, quem contra veneris, causâ cadere; noli tam eſſe injuſtus, ut cùm tui fontes, vel inimicis tuis pareant, noſtros rivulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere.

10. Etenim ſi me tua familia ita ab hac cauſa removiſſet, & ſi hoc idem Q. Hortenſio, M. Craſſo clariſſimis viris, ſi item cæteris, à quibus intelligo, tuam gratiam magni æſtimari, accidiſſet; in ea civitate Conſul deſignatus defenſorem non haberet, in qua nemini unquam infimo majores noſtri patronum deeſſe voluerunt. Ego vero Judices ipſe me exiſtimarem nefarium, ſi amico; crudelem, ſi miſero; ſuperbum, ſi Conſuli defuiſſem. Quare, quod dandum eſt amicitiæ, largè dabitur à me, ut tecum agam Servi non ſecus, ac ſi meus eſſes frater, qui mihi eſt chariſſimus; iſto in loco, quod tribuendum eſt officio, fidei, religioni, id ità moderabor, ut mrminerim me contra amici ſtudium pro amici periculo dicere.

9. Addit argumentum ad hominem, ſeu ſimile exemplum Sulpitii, qui conſulentibus de jure, vel contra amicos reſpondet.

10. Exemplum Hortenſii, & Craſſi amicorum Sulpitii, ac nihilominus Murænæ defenſorum.

11. **Propoſitio, Partitio, Argumentum I.** Intelligo Judices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitûs eſſe verſatam. Atque harum trium partium prima illa, quæ graviſſima eſſe debebat, ità fuit infirma, & levis, ut illos lex magìs quædam accuſatoria, quàm vera maledicendi facultas de vita L. Murænæ dicere aliquid cœperit. Objecta eſt enim Aſia, quæ ab hoc non ad voluntatem, & luxuriam expetita eſt, ſed in militari labore peragrata. Qui ſi adoleſcens patre ſuo Imperatore non meruiſſet, aut hoſtem, aut patris imperium timuiſſe, aut à parente repudiatus videretur; an, cùm ſedere in equis triumphantium prætextati potiſſimùm filii ſoleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter geſtis penè ſimul cum patre triumpharet?

12. Hic verò Judices & fuit in Aſia, & Viro fortiſſimo parenti ſuo magno adjumento in periculis, ſolatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. Et ſi habet Aſia ſuſpicionem luxuriæ quandam, non Aſiam nunquam vidiſſe, ſed in Aſia continenter vixiſſe, laudandum eſt. Quamobrem non Aſiæ nomen objiciendum Murænæ fuit, ex qua laus familiæ, memoria generi, honor, & gloria nomini conſtituta eſt; ſed aliquod aut in Aſia ſuſceptum, aut ex Aſia deportatum flagitium, ac dedecus. Meruiſſe verò ſtipendia in eo bello, quod tum populus Romanus non modò maximum, ſed etiam ſolum gerebat, virtutis; patre Imperatore libentiſſimè meruiſſe, pietatis; finem ſtipendiorum patris victoriam, ac triumphum fuiſſe, felicitatis fuit. Maledicto quidem idcirco nihil in hiſce rebus loci eſt, quòd omnia laus occupavit.

13. Sal-

11. *Propoſitio, ac Partitio.* 1. Muræna non eſt in vita reprehendendus. 2. Nec dignitate inferior Sulpitiô, nec reus ambitûs. Argumentum 1. *Non eſt in vita reprehendendus, quia non fuit in Aſia Saltator.* Enthymema. *Muræna patre ſuo Imperatore meruit in Aſia cum labore, laude, felicitate, ergo non fuit luxurioſus.*

12. Conſequens repetitione Antecedentis ornatur.

13. Saltatorem appellat L. Murænam Cato. Maledictum eſt, ſi verè objicitur, vehementis accuſatoris; ſin falsò, maledici conviciatoris. Quare cùm iſta ſis authoritate, non debes M. Cato arripere maledictum ex trivio, aut ex ſcurrarum aliquo convivio; neque temerè Conſulem populi Romani ſaltatorem vocare, ſed conſpicere, quibus prætersa vitiis affectum eſſe, neceſſe ſit eum, cui verè iſtud objici poſſit. Nemo enim ferè ſaltat ſobrius, nisì fortè inſanit, neque in ſolitudine, neque in convivio moderato, atque honeſto. Intempeſtivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio. Tu mihi arripis id, quod neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum; relinquis ea, quibus remotis hoc vitium omnino eſſe non poteſt; nullum turpe convivium, non amor, non comeſſatio, non libido, non ſumptus oſtenditur; & cùm ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitioſa ſunt; in quo ipſam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas?

14. Nihil igitur in vi am L. Murænæ dici poteſt? nihil inquam, omnino Judices. Sic à me Conſul deſignatus defenditur, ut ejus nulla fraus, nulla avaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vita proferatur. Bene habet; jactata ſunt fundamenta defenſionis; nondum enim noſtris laudibus, quibus utar poſtea, ſed propè inimicorum confeſſione, virum bonum, atque integrum hominem defendimus.

15. Argumentum II. Quo conſtituto, facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis, quæ pars altera fuit accuſationis. Summam video eſſe in te Servi Sulpitii dignitatem generis, integritatis, induſtriæ, cæterorúmque ornamentorum omnium, quibus fretum ad Conſulatûs petitionem aggredi par eſt. Paria cognoſco eſſe iſta in L. Murænа, atque ità paria, ut neque ipſe digni-

13. *Muræna non eſt Saltator.* Probatur: Nullus ſaltat ſobrius, atqui Muræna eſt ſobrius, nec conviviis, aut deliciis indulgens, ergo non eſt ſaltator.

14. Nota venuſtam tranſitionem.

15. Argumenti pars prima: *Muræna eſt par genere Ser. Sulpitio.* Probatur: pares ſunt genere Patricius, & novus homo.

tate vinci potuerit, neque te dignitate superârit. Contempsisti L. Mænæ genus, extulisti tuum. Quo loco si tibi hoc sumis, nisi qui Patricius sit, neminem bono esse genere natum; facis, ut rursus plebs in Aventinum sevocanda esse videatur. Sin autem sunt amplæ, & honestæ familiæ plebeiæ; & Proavus L. Murænæ, & Avus Prætores fuerunt, & Pater, cùm amplissimè, atque honestissimè ex Prætura triumphâsset, hoc faciliorem huic gradum Consulatûs adipiscendi reliquit, quòd is jam Patri deditus, à filio petebatur.

16. Tua verò nobilitas Servi Sulpicii, tametsi summa est, tamen hominibus liberatis, & historicis est notior, populo verò, & suffragatoribus obscurior. Pater enim fuit equestri loco, Avus nulla illustri laude celebratus. Itaque non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuæ. Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo, quòd virtute, industriâque perfecisti, ut cùm Equitis Romani esses filius, summa tamen amplitudine dignus putarêre, nec mihi unquam minùs in Q. Pompejo novo homine, & fortissimo viro virtutis esse visum est, quàm in homine nobilissimo M. Æmilio. Etenim ejusdem animi, atque ingenii est, posteris suis, quod Pompejus fecit, amplitudinem nominis, quam non acceperit, tradere, &, ut Scaurus, memoriam propè intermortuam generis sui virtute renovare.

17. Quamquam ego jam putabam Judices, multis viris fortibus, ne ignobilitas objiceretur generis, meo labore esse perfectum; qui non modò Curiis, Catonibus, Pompejis antiquis illis fortissimis viris, novis hominibus, sed his jam recentibus Mariis, & Didiis, & Cæliis commemorandis jacebant. Cùm ego verò tantô intervallô claustra ista nobilitatis refregissem, ut aditus ad Consulatum posthac, sicut apud Majores nostros fuit, non magis nobi-

16. Probatur exemplô plurium, nominatim Q. Pompeji, & Ciceronis, qui homines in Republ. novi, Patriciis pares sunt.

17 *Minor*. Sed Sulpitius etsi Patricius, tamen virtute, & industriâ est novus homo, uti Muræna. *Probatur* à majoribus utriusque, & rebus gestis. Igitur Muræna est par genere.

nobilitati, quàm virtuti, pateret; non arbitrabar, cùm ex familia vetere, & illuſtri Conſul deſignatus ab Equitis Rom. filio Conſule defenderetur, de generis novitate accuſatores eſſe dicturos. Etenim mihi ipſi accidit, ut cum duobus Patriciis, altero improbiſſimo, atque audaciſſimo, altero modeſtiſſimo, atque optimo viro peterem; ſuperavi dignitate Catilinam, gratiâ Gelbam. Quòd ſi id crimen homini novo eſſe deberet, profectò mihi neque inimici invidi defuiſſent.

18. Omittamus igitur de genere dicere, cujus eſt magna in utroque dignitas, videamus cætera. Quæſturam una petiit, & ſum ego factus prior. Non eſt reſpondendum ad omnia. Neque enim quenquam veſtrûm fugit, cùm multi pares dignitate fiant; unus autem primùm ſolus poſſit obtinere; non eundem eſſe ordinem dignitatis, & renunciationis; propterea quòd renunciatio habeat: dignitas autem ſit perſæpè eadem omnium. Sed Quæſtura utriuſque propemodum pari momento ſortis fuit. Habuit hic lege Titiâ provinciam tacitam, & quie am: tu illam, cui cùm Quæſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet, Hoſtienſem, non tam gratioſam, & illuſtrem, quam negotioſam, & moleſtam. Conſedit utriuſque nomen in Quæſtura. Nullum enim vobis ſors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoſcíque poſſet.

19. Reliqui temporis ſpatium in contentionem vocatur. Ab utroque diſſimillima ratione tractatum eſt. Servius hic nobiſcum hanc urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cavendi, plenam ſolicitudinis, ac ſtomachi ſecutus eſt: Jus civile didicit; multùm vigilavit, laboravit; præſtò multis fuit; multorum ſtultitiam perpeſſus eſt; arrogantiam pertulit; difficultatem exorbuit; vixit ad aliorum arbitrium, non ad ſuum. Magna laus, & grata homini-

18. Argumenti II. pars II. L. *Muræna eſt par quæſturâ cum Sulpitio.* Probatur: Sulpitius eſt primus quæſtor ordine renunciationis, non dignitatis; ergo ei par Muræna.

19. Argumenti II. pars III. *Muræna eſt arte ſuperior Sulpitiô.* Probatur: Ad obtinendum Conſulatum, ars Militaris Muræna præſtat juris civilis cognitioni, quæ Sulpitii eſt, ergo Muræna eſt arte ſuperior.

mnibus, unum hominem elaborare in ea ſcientia, quæ ſit multis profutura.

20. Quid Muræna interea? fortiſſimo, & ſapientiſſimo viro, ſummo Imperatori Legatus L. Lucullo fuit, qua in legatione duxit exercitum, ſigna contulit: manum conſeruit: magnas copias hoſtium fudit: urbes partim vi, partim obſeſſione cepit: Aſiam iſtam refertam, & eandem delicatam ſic obiit, ut in ea neque avaritiæ, neque luxuriæ veſtigium reliquerit: maximo in bello ſic eſt verſatus, ut hic multas res, & magnas ſinè Imperatore geſſerit, nullam ſinè hoc Imperator. Atque hæc, quanquam præſente L. Lucullo loquar, tamen ne ab ipſo propter periculum noſtrum conceſſam videamur habere licentiam fingendi, publicis litteris teſtata ſunt omnia; quibus L. Lucullus tantum laudis impertit, quantum neque ambitioſus Imperator, neque invidus tribuere alteri in communicanda gloria debuit.

21. Summa in utroque eſt honeſtas, ſumma dignitas: quam ego, ſi mihi per Servium liceat, pari, atque eadem in laude ponam, ſed non licet. Agitat rem militarem; inſectatur totam hanc legationem; aſſiduitatis, & operarum harum quotidianarum putat eſſe Conſulatum. Apud exercitum mihi fueris, inquit: tot annos, forum non attigeris? abfueris tamdiu, & cùm longô intervallô veneris, cum iis, qui in foro habitârunt, de dignitate contendas? Primùm iſta noſtra aſſiduitas Servi neſcis, quantum interdum afferat hominibus faſtidii, quantum ſatietatis. Mihi quidem vehementer expediit, poſitam in oculis eſſe gratiam; ſed tamen mei ſatietatem magno meo labore ſuperavi; & tu idem fortaſſe: verumtamen utrique noſtrum deſiderium nihil obfuiſſet.

22. Sed ut hoc omiſſo ad ſtudiorum, atque artium contentionem revertamur; quî poteſt dubitari, quin ad Conſulatum adipiſcendum multò plus afferat dignitatis, rei militaris, quam Juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis

21. Sulpitium reprehendit, qui legationi militari Muræna, foenſem ſuam aſſiduitatem præferendam contendit.

22. Idem ornatur diſſimilitudine jurisconſulti, & Imperatoris; & militaris ſcientia longè præfertur jurisperitiæ.

ut tuis conſultoribus reſpondeas : ille, ut eò, quò intendit, maturè cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caves, ne tui conſultores, ille ne urbes, aut caſtra capiantur. Ille tenet, & ſcit, ut hoſtium copiæ, tu, ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis. Ac nimirùm (dicendum eſt enim, quod ſentio) rei militaris virtus præſtat cæteris omnibus. Hæc nomen popul. Rom. hæc huic urbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit: omnes urbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria, latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis. Simul, atque increpuit ſuſpicio tumultûs, artes illico noſtræ conticeſcunt.

23. Et quoniam mihi videris iſtam ſcientiam juris tanquam filiolam oſculari tuam, non patiar te in tanto errore verſari, ut iſtud, neſcio quid, quod tantopere didiciſti, præclarum aliquid arbitrêre. Aliis ego te virtutibus, continentiæ, gravitatis, juſtitiæ, fidei, cæteris omnibus, Conſulatûs, & omni honore ſemper digniſſimum judicavi; quòd quidem jus civile didiciſti, non dicam, operam perdidiſti; ſed illud dicam, nullam eſſe in illa diſciplina munitam ad Conſulatum viam. Omnes enim artes, quæ nobis populi Romani ſtudia conciliant, & admirabilem dignitatem, & pergratam utilitatem debent habere.

24. Summa dignitas eſt in iis, qui militari laude antecellunt; omnia enim, quæ ſunt in imperio, & in ſtatu civitatis, ab iis defendi, & firmari putantur; ſumma etiam utilitas; ſiquidem eorum conſiliô, & periculô, cùm Republ. tum etiam noſtris rebus perfrui poſſumus. Gravis etiam illa eſt, & plena dignitatis dicendi facultas, quæ ſæpè valuit in Conſule deligendo, poſſe conſiliô, atque oratione, & Senatûs, & populi, & eorum, qui res judicant, mentes permovere. Quæritur Conſul, qui dicendo nonnunquam comprimat Tribunitios furores, qui concitatum populum flectat, qui largitioni reſiſtat. Non mirùm, ſi ob

24. Quamquam ad obtinendum Conſulatum parem facit arti militari, Eloquentiæ artem.

hanc facultatem homines ſæpè etiam non nobiles Conſulatum conſecuti ſunt; præſertim cùm hæc eadem res plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maxima ſtudia pariat. Quorum in iſto artificio Sulpiti nihil eſt.

25. Primùm dignitas in tam tenui ſcientia, quæ poteſt eſſe; res enim ſunt parvæ, propè in ſingulis literis, atque interpunctionibus verborum occupatæ. Deinde etiam, ſi quid apud Majores noſtros fuit in iſto ſtudio admirationis, id enunciatis veſtris myſteriis totum eſt contemptum, & abjectum. Poſſet agi lege, nécne, pauci quondam ſciebant, faſtos enim vulgò non habebant; erant in magna potentia, qui conſulebantur; à quibus etiam dies, tanquam à Chaldæis petebantur. Inventus eſt Scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis jurisconſultis eorum ſapientiam compilârit. Itaque irati illi, quòd ſunt veriti, ne dierum ratione pervulgata, & cognita, ſinè ſua opera lege poſſet agi, notas quasdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent.

26. Cùm hoc fieri belliſſimè poſſet: Fundus Sabinus meus eſt, imò meus: deinde judicium. Noluerunt. *Fundus*, inquit, *qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur.* Satìs verbosè: cedò, quid poſtea? *Eum ego ex jure meum eſſe ajo.* Quid tum? *Inde ibi ego te ex jure manu conſertum voco.* Quid huic tam loquaciter litigioſo reſponderet ille; unde petebatur, non habebat. Tranſit idem jurisconſultus tibicinis latini modò: *Unde tu me*, inquit, *ex jure manu conſertum vocâſti, inde tibi ego te revoco.* Prætor interea, ne pulchrum ſe, ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt, cum cæteris rebus abſurdum, tum verò nulli uſui: *Utriſque ſuperſtitibus præſentibus iſtam viam dico, inire viam.* Præſtò aderat ſapiens ille, qui inire viam doceret. *Redite viam:* eodem duce redibant. Hæc jam tum apud illos barbaros ridicula, credo, videbantur; homines, cùm rectè, atque in loco conſtitiſſent, juberi abire; ut, unde abiſſent,

25. Rerum dignitatem negat eſſe in juris ſcientia, quæ in verbis, & neſcio quibus ineptis formulis verſetur.

abîssent, eôdem statim redirent. Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia: *Quando te in jure conspicio, & hæc, sed ánne tu dicis, qui causâ vindicaveris?* Quæ dum erant occulta, necessaria ab eis, qui ea tenebant, petebantur; postea verò pervulgata, atque in manibus jactata, & excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis autem, & stultitiæ plenissima.

27. Nam cùm permulta præclarè legibus essent constituta, ea jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta, ac depravata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii Majores in tutorum potestate esse voluerunt; hi invenerunt genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt, horum ingeniô senes ad coëmptiones faciendas interimendorum sacrorum causâ reperti sunt. In omni denique jure civili æquitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt; ut quia in alicujus libris exempli causâ id nomen invenerant, putârunt, omnes mulieres, quæ coëmptionem facerent, Cajas vocari. Jam illud mihi quidem mirum videri solet: tot homines, tam ingenioſos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertiam, an perendinum; judicem, an arbitrum; rem, an litem dici oporteret.

28. Itaque (ùt dixi) dignitas in ista scientia Consularis nunquam fuit, quæ tota ex rebus fictis, commentitiisque constaret; gratiæ verò multò etiam minùs. Quod enim omnibus patet, & æquè promptum est mihi, & adversario meo, id esse gratum nullo pacto potest. Itaque non modò beneficii collocandi spem, sed etiam illud, quod aliquando fuit: *Licet consulere*, jam perdidistis. Sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, quæ neque extra Romam usquam, neque Romæ rebus prolatis quicquam valet. Peritus ideo haberi nemo potest, quòd in eo, quod sciunt omnes, nullo modo possunt inter se discrepare. Difficilis autem res ideo non putatur, quòd & perpaucis, & maximè obscuris literis continetur. Itaque si mihi homini vehementer occupato stomachum moveritis, triduô me

28. **Negat præterea esse gratiam, aut difficultatem addiscendi hanc scientiam; secus est de facultate Oratoria; hinc plures Jurisconsulti, quàm Oratores fiunt.**

me jurisconſultum eſſe profitebor. Etenim, quæ de ſcripto aguntur, ſcripta ſunt omnia; neque tamen quicquam tam anguſtè ſcriptum eſt, quò ego non poſſim, *qua de re agitur*, addere. Quæ conſuluntur autem, minimô periculô reſpondentur. Si id, quod oportet, reſponderis, idem videare reſpondiſſe, quod Servius; ſin aliter, etiam controverſum jus nôſſe, & tractare videare.

29. Quapropter non ſolùm illa gloria militaris veſtris formulis, atque actionibus anteponenda eſt; verùm etiam dicendi conſuetudo longè, & multùm iſti veſtræ exercitationi ad honorem antecellet. Itaque mihi videntur plerique initiô multò hoc maluiſſe; poſt, cùm id aſſequi non potuiſſent, iſtuc potiſſimùm ſunt delapſi. Ut ajunt in Græcis artificibus, eos aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerint; ac nonnullos videmus, qui oratores non potuerunt, eos ad juris ſtudium devenire. Magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, ſumma etiam gratia. Etenim à vobis ſalubritas quædam, ab iis, qui dicunt, ſalus ipſa petitur. Deinde veſtra reſponſa, atque decreta & evertuntur ſæpè dicendo, & ſinè defenſione oratoris firma eſſe non poſſunt. In qua re, ſi ſatis profeciſſem, parciùs de ejus laude dicerem; nunc nihil de me dico, ſed de iis, qui in dicendo magni ſunt, aut fuerunt.

30. Duæ ſunt artes, quæ poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis; una Imperatoris, altera Oratoris boni. Ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. Cæteræ tamen virtutes ipſæ per ſe multum valent: juſtitia, fides, pudor, temperantia; quibus te Servi excellere ómnes intelligunt; ſed nunc de ſtudiis ad honorem diſpoſitis, non de inſita cujuſque virtute diſputo. Omnia iſta nobis ſtudia de manibus excutiuntur, ſimul atque aliquis motus bellicum canere cœpit. Etenim, ùt ait ingenioſus Poëta, & autor valde bonus, & præliis promulgatis TOLLITUR MEDIO non ſolùm iſta veſtra verboſa ſimulatio prudentiæ, ſed etiam ipſa illa domina rerum SAPIENTIA: VI GERITUR RES. SPERNITUR ORATOR non ſolùm odioſus in dicendo, ac loquax, verùm etiam BONUS;

30. **Concludit in militari, ac Oratoria plurimùm eſſe dignitatis, ac belli tempore maximè.**

BONUS; HORRIDUS MILES AMATUR. Veſtrum verò ſtudium totum jacet. NON EX JURE MANU CONSERTUM, SED MAGE FERRO inquit REM REPETUNT. Quòd ſi ità eſt, cedat opinor Sulpiti forum caſtris, otium militiæ, ſtylus gladio, umbra Soli; ſit denique in civitate ea prima res, propter quam ipſa eſt civitas omnium princeps.

31. Verùm hæc Cato nimiùm nos noſtris verbis magna facere demonſtrat, & oblitos eſſe. bellum illud omne Mithridaticum cum mulierculis eſſe geſtum, quod ego longè ſecùs exiſtimo Judices: déque eo pauca diſſeram: neque enim cauſa in hoc continetur. Nam ſi omnia bella, quæ cum Græcis geſſimus, contemnenda ſunt, derideatur de rege Pyrrho triumphus M. Curii, de Philippo T. Flaminii, de Ætolis M. Fulnii, de Rege Perſe L. Pauli, de Phendophilippo Q. Metelli, de Corinthiis L. Mummii. Sin hæc bella graviſſima, victoriæque eorum bellorum graviſſimæ fuerunt: cur Aſiaticæ nationes, atque ille à te hoſtis contemnitur? Atqui ex veterum rerum monimentis, vel maximum bellum populum Romanum cum Antiocho geſſiſſe video; cujus belli victor L. Scipio, partâ cum Publio fratre gloriâ, quam laudem ille Africâ oppreſsâ cognomine ipſo præ ſe ferebat, eandem hic ſibi ex Aſiæ nomine aſſumpſit.

32. Quo quidem in bello virtus enituit egregia M. Catonis Proavi tui. Quò ille, cùm eſſet, ùt ego mihi ſtatuo, talis, qualem te eſſe video, nunquam cum Scipione eſſet profectus, ſi cum mulierculis bellandum eſſe arbitraretur. Neque verò cum P. Africano Senatus egiſſet, ut Legatus fratri proficiſceretur; cùm ipſe paulò antè Annibale ex Italia expulſo, ex Africa ejecto, Carthagine oppreſſa maximis periculis, Rempublicam liberaviſſet, niſi illud grave bellum, & vehemens putaretur. Atqui ſi diligenter quid Mithridates potuerit, & quid effecerit, & qui vir fuerit, conſiderâris; omnibus Regibus, quibus-

31. Per Prolepſim reſpondet Catoni obiicienti, bellum Aſiaticum cum mulierculis geſtum; quod tamen graviſſimum fuiſſe oſtendunt ſummorum Imperatorum triumphi inde relati.

32. Magnitudinem belli amplificat à potentia, & fortitudine Mithridatis, quem unus Pompejus debellare potuerit.

quibuscum pop. Rom. bellum gessit, hunc Regem nimirùm antepones: quem L. Sylla maximo, & fortissimo exercitu pugnâ excitatum, non rudis Imperator, ut aliud nihil dicam, eum bellô invectum totam in Asiam, cum pace dimisit; quem L. Muræna pater hujusce vehementissimè, vigilantissimèque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit; qui Rex sibi aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes, & copias belli, tantum ipse opibus, conatúque invaluit, ut se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis conjunctum putaret.

33. Ad quod bellum duobus Consulibus ità missis, ut alter Mithridatem persequeretur, alter Bithyniam tueretur: alterius res, & terrâ, & mari calamitosæ, vehementer & opes Regis, & nomen auxerunt: L. Luculli verò res tantæ extiterunt; ut neque majus bellum commemorari possit, neque majore consilio, & virtute gestum. Nam cùm totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia constitisset, eámque urbem sibi Mithridates Asiæ januam fore putavisset, quâ effractâ, & revulsâ tota pateret provincia; perfecta ab Lucullo hæc sunt, ut urbs fidelissimorum sociorum defenderetur, ut omnes copiæ Regis diurnitate obsidionis consumerentur. Quid illam pugnam navalem ad Tenedum, cum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe, atque animis inflata peteret, mediocri certamine, & parva dimicatione commissam arbitraris? Mitto prælia, prætereo oppugnationes oppidorum; expulsus regnô tandem aliquando, tantùm tamen consiliô, atque authoritate valuit, ut se Rege Armeniorum adjuncto, novis opibus, copiísque renovârit.

34. Ac si mihi nunc de rebus gestis esset nostri exercitûs, Imperatorísque dicendum, plura, & maxima prælia commemorare possem; sed non id agimus: hoc dico: si bellum hoc, si hic hostis, si ille Rex contemnendus fuisset, neque tantâ curâ Senatus, & populus Rom. suscipiendum putasset, neque tot annos gessisset, neque tantâ L. Luculli gloriâ; neque verò ejus belli conficiendi curam tantô studiô populus Rom. ad Cn. Pompejum detulisset; cujus ex omnibus pugnis, quæ sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quæ Rege commissa est, & summa

ma contentione pugnata. Qua ex pugna cùm ſe ille eripuiſſet, & Boſphorum confugiſſet, quò exercitus adire non poſſet, etiam in extrema fortuna, & fuga, nomen tamen retinuit regium. Itaque ipſe Pompejus regnô poſſeſſô, ex omnibus oris, ac noris ſedibus hoſte pulſo, tamen tantum in unius anima poſuit, ut cùm omnia, quæ ille tenuerat, adierat, ſperârat, victoriâ poſſideret, tamen non antè, quàm illum vitâ expulit, bellum confectum judicârit. Hunc tu hoſtem Cato contemnis? quocum per tot annos, tot prælliis, tot Imperatores bella geſſerunt; cujus expulſi, & ejecti vita tanti æſtimata eſt, ut morte ejus nunciata, tum denique bellum confectum arbitraretur. Hoc igitur in L. Murænam Legatum fortiſſimi animi, ſummi conſilii, maximi laboris cognitum eſſe defendimus; & hanc ejus operam non minùs ad Conſulatum adipiſcendum, quàm hanc noſtram forenſem induſtriam dignitatis habuiſſe.

35. At enim in Prætura petitione prior renunciatus eſt Servius. Pergitísne vos, tanquam ex ſyngrapha agère cum populo, ut quem locum ſemel honoris copiam dederit, eundem reliquis honoribus debeat. Quod enim fœtum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum: Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita ſæpè perturbat omnia: & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Sæpè etiam ſinè ulla aperta cauſa fit aliud, atque exiſtimamus, ut nonnunquam ità factum eſſe etiam admiretur, quaſi verò non ipſe fecerit.

36. Nihil eſt incertius vulgò, nihil obſcurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quis L. Philippum ſummô ingeniô, operâ, gratiâ, nobilitate, à M. Herenio ſuperari poſſe arbitratus eſt? Quis Qu. Catulum humanitate, ſapientiâ, integritate antecellentem, à Cn. Manilio? quis M. Scaurum hominem graviſſi-

35. Per aliam Prolepſim reſpondet Sulpitio, ipſum in Præturæ petitione priorem renunciatum, quia ratione Comitiorum nihil incertius, quod Allegoriâ, & exemplis, & ſimilitudine oſtenditur.

vissimum, civem egregium, fortissimum Senatorem, à Qu. Maximo? non modò horum nihil fore putatum est, sed ne cùm esset, factum quidem, quare ità factum esset intelligi potuit. Nam ùt tempestates certo aliquo cœli signo commoventur, sæpè improvisò, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa excitantur; sic in hac comitiorum tempestate populari sæpè non intelligas, quo signo commota sit; sæpè ità obscura est, ut casu excitata esse videatur.

37. Sed tamen si est reddenda ratio, duæ res vehementer in Prætura desideratæ sunt, quæ ambæ in Consulatu tum Murænæ profuerunt: una expectatio muneris, quæ & rumore nonnullo, & studiis, sermonibúsque competitorum creverat: altera, quòd ii, quos in provincia, ac legatione, omnes, & liberalitatis, & virtutis suæ testeis habuerat, nondum decesserant. Horum utrumque ei fortuna ad Consulatûs petitionem reservavit. Nam & L. Luculli exercitus, qui ad triumphum convenerat, idem comes L. Murænæ præstò fuit; & munus ampliſſimum, quod petitio Præturæ desiderabat, Prætura restituit.

38. Num tibi hæc parva videntur adjumenta, & subsidia Consulatus? voluntates militum; quæ cùm per se valet multitudine, tum apud suos gratiâ; tum verò in Consule declarando multum etiam apud universum populum Rom. authoritatis habet suffragatio militaris. Imperatores enim comitiis Consularibus, non verborum interpretes deliguntur. Quare gravis est illa oratio: me saucium recreavit: me præda donavit: hoc duce castra cepimus, signa contulimus: nunquam iste plùs militi laboris imposuit, quàm sibi sumpsit: ipse cùm fortis, tum etiam felix. Hoc quanti putas esse ad famam hominum, ac voluntatem. Etenim si tanta illis comitiis religio est, ut adhuc semper omen valuerit prærogativum; quid mirum est, in hoc felicitatis famam, sermonémque valuisse. Sed si hæc gloria ducis, quæ sunt gravissima, & hanc urbanam suffragationem

37. Ex hac digressione probat argumenti II. partem 4tam: *Murænam ad obtinendum Consulatum Sulpitiô esse superiorem* plures enim huic res ad petendum fuisse, quæ illi profuerint. Prima est: *Suffragatio Militaris*, quam Cicero interrogatione, & Prosopopœiâ amplificat.

tionem militari anteponis; noli ludorum hujus elegantiam, & scenæ magnificentiam valde contemnere, quæ huic admodum profuerunt. Nam quid ego dicam populum, ac vulgus imperitorum ludis magnopere delectari? minùs est mirandum. Quamquam huic causæ id satis est; sunt enim populi, ac multitudinis comitia. Quare si populo ludorum magnificentia voluptati est, non mirandum eam L. Murænæ apud populum profuisse.

39. Sed si nosmetipsi, qui, & ab delectatione omni negotiis impendimur, & in ipsâ occupatione delectationes alias multas habere possumus, ludis tamen oblectamur, & ducimur; quid tu admirêre de multitudine indocta.

40. L. Otho vir fortis, meus necessarius, Equestri ordini restituit non solùm dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque jucunditatis est restitutus. Quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos, qui dissimulant, non solùm eos, qui fatentur: quòd ego in mea petitione sensi. Nam nos quoque habuimus scenam competitricem. Quòd si ego, qui trinos ludos Ædilis feceram, tamen Antonii ludis commovebar; tibi, qui casu nullos feceras, nihil hujus istam ipsam, quam irrides, argenteam scenam adversatam putas? Sed hæc sanè sint paria omnia: sit par forensis opera militari; sit par militari suffragatio urbana; sit idem, magnificentissimos, & nullos unquam feciſſe ludos: quid in ipsa Prætura nihilne existimas interfuam, & istius sortem interfuisse.

41. Hujus sors ea fuit, quam omnes tui necessarii sibi optabamus, juris dicundi: in qua gloriam conciliat magnitudo negotii, gratiam æquitatis largitio; qua in sorte Prætor, qualis hic fuit, offensionem vitat æquabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi. Egregia, & ad Consulatum apta provincia, in qua laus æquitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum ludorum voluptate concluditur.

39. Secunda est *ludorum magnificentia*, quam populo jucundam esse Cicero suô, & aliorum exemplô confirmat.

42. Quid tua ſors? triſtis, atrox, quæſtio peculatûs; ex altera parte lachrymarum, & ſqualoris, ex altera plena catenarum, atque indicum. Cogendi Judices, inviti retinendi contra voluntatem; ſcriba damnatus, ordo totus alienus: Syllana gratificatio reprehenſa; multi viri fortes, & propè pars civitatis offenſa eſt, lites ſeverè æſtimatæ; cui placet, obliviſcitur; cui dolet, meminit. Poſtremò tu in Provinciam ire noluiſti. Non poſſum id in te reprehendere, quod in me ipſo, & Prætor, & Conſul probavi. Sed tamen L. Muræna provincia multas bonas gratias cum optima exiſtimatione attulit. Habuit proficiſcens delectum in Umbria; dedit ei facultatem Reſp. liberalitatis; quâ uſus, multas ſibi tribus, quæ municipes Umbriæ conficiuntur, adjunxit. Ipſe autem in Gallia, ut noſtri homines deſperatas jam pecunias exigerent, æquitate, diligentiáque perfecit. Tu interea Romæ ſcilicet amicis præſtò fuiſti. Fateor: ſed tamen illud cogita, nonnullorum amicorum ſtudia minui ſolere in eos, à quibus provincias contemni intelligant.

43. Et quoniam oſtendi Judices, parem dignitatem ad Conſulatûs petitionem diſparem fortunam provincialium negotiorum in Muræna, atque in Sulpitio fuiſſe; dicam jam apertiùs, in quo meus neceſſariùs fuerit inferior Servius, & ea dicam vobis audientibus amiſſo jam tempore, quæ ipſi ſoli re integra ſæpè dixi. Petere Conſulatum neſcire te Servi perſæpè dixi: & in iis rebus ipſis, quas te magnô, & forti animô & agere, & dicere videbam, tibi ſolitus ſum dicere: magìs te fortem Senatorem mihi videri, quàm ſapientem candidatum. Primùm accuſandi terrores, & minæ, quibus tu quotidie uti ſolebas, ſunt fortis viri; ſed & populi opinionem à ſpe adipiſcendi avertunt, & amicorum ſtudia debilitant. Neſcio, quô pactô ſemper hoc fit; neque in uno, aut altero animadverſum eſt, ſed jam in pluribus: ſimul atque candidatus accuſa-

42. Tertia *ſors Provinciæ*, & adminiſtratio, quæ inter utrumque ſummè diſpar fuit.

43. Quarta *ratio petendi Conſulatum*, quæ Murænæ profuit; Sulpitio obfuit, qui ſimul accuſandi, & petendi laborem ſuſceperit, quod fieri nequeat.

accusationem meditari visus est, ut honorem desperâsse videatur.

44. Quid ergo? acceptam injuriam persequi non placet? imò vehementer placet; sed aliud tempus est petendi, aliud persequendi. Petitorem ego, præsertim Consulatûs, magna spe, magnô animô, magnis copiis, & in forum, & in campum deduci volo; non placet mihi inquisitio candidati prænuntia repulsæ; non testium potiùs, quàm suffragatorum comparatio; non minæ magìs, quàm blanditiæ; non declamatio potiùs, quàm salutatio; præsertim cùm jam hoc novo more omnes ferè domos omnium concurrent, & ex vultu candidatorum conjecturam faciant, quantum quisque animi, & facultatis habere videatur.

45. Vidésne tu illum tristem, demissum? jacet, diffidit, abjecit hastam. Serpit hic rumor: scis tu illum accusationem cogitare? inquirere in competitores? testes quærere? alium faciam, quoniam sibi hic ipse desperat. Ejusmodi candidatorum amici intimi debilitantur, studia deponunt, aut testatam rem abjiciunt, aut suam operam, & gratiam judicio, & accusationi reservant. Accedit eodem, ut etiam ipse candidatus totum animum, atque omnem curam, operam, diligentiámque suam in petitione non possit ponere. Adjungitur enim accusationis cogitatio, non parva res, sed nimirum omnium maxima. Magnum est enim te comparare ea, quibus possis hominem è civitate præsertim non inopem, neque infirmum exturbare, qui, & per se, & verò etiam per alienos defendatur. Omnes enim ad pericula propulsanda concurrimus, & qui non apertè inimici sumus, etiam in alienissimis capitis periculis amicissimorum officia, & studia præstamus.

46. Quare ego expertus, & petendi, & defendendi,

44. Non enim accusationum, & Inquisitionis minis, sed blanditiis, ac fiduciâ populus trahitur, quod elegante Dialogismo exprimitur.

45. Cicero suô exemplô, & experientiâ confirmat Candidatum operosa accusatione distractum, ægrè petitioni rite vacare posse.

46. Perdifficile esse simul accusare, & Consulatum petere per hypotyposim in Sulpitio ostendit, qui à Senatu multa de

di, & accuſandi moleſtiam, ſic intellexi, in petendo ſtudium eſſe acerrimum, in defendendo officium, in accuſando laborem. Itaque ſic ſtatuo, fieri nullo modo poſſe, ut idem accuſationem, & petitionem Conſulatûs diligenter adornet, atque inſtruat. Unum ſuſtinere pauci poſſunt, utrumque nemo. Tu, cùm de curriculo petitionis deflexiſſes, animúmque ad accuſandum tranſtuliſſes, exiſtimâſti, te utrique negotio ſatisfacere poſſe? vehementer errâſti. Quis enim dies fuit, poſteaquam in iſtam accuſandi denunciationem ingreſſus es, quem tu non totum in iſta ratione conſumpſeris? Legem ambitûs flagitâſti, quæ tibi non deerat. Erat enim ſeveriſſimè ſcripta Calphurnia. Geſtus eſt mos, & voluntati, & dignitati tuæ. Sed tota illa lex accuſationem tuam, ſi haberes nocentem reum fortaſſe armâſſet; petitioni verò refragata eſt.

47. Pœna gravior in plebem tua voce efflagitata eſt; commoti animi ſunt tenuiorum; exilium in noſtrum ordinem conceſſit Senatus poſtulationi tuæ; ſed non libenter duriorem fortunæ communi conditionem te authore conſtituit. Morbi excuſationi pœna addita eſt; voluntas offenſa multorum, quibus aut contra valetudinis commodum laborandum eſt, aut incommodò morbi etiam cæteri vitæ fructus relinquendi. Quid ergo? hæc quis tulit? is qui authoritati Senatûs, voluntati tuæ patuit; denique is tulit, cui minimè proderant. Illa, quæ mea ſumma voluntate Senatus frequens repudiavit, mediocriter adverſata tibi eſſe exiſtimas? confuſionem ſuffragiorum flagitâſti, prorogationem legis Maniliæ, æquationem gratiæ, dignitatis, ſuffragiorum. Graviter homines honeſti, atque in ſuis civitatibus, & municipiis gratioſi tulerunt, à tali viro eſſe pugnatum, ut omnes, & dignitatis, & gratiæ gradus tollerentur. Idem edititios Judices eſſe voluiſti, ut odia occulta civium, quæ tacitis nunc diſcordiis continentur, in fortunas optimi cujusque erumperent.

48. Hæc omnia tibi accuſandi viam muniebant, adipiſcen-

habitu petivit, plures offendit, viam ſibi ad Conſulatum præſtruxit.

43. Accuſatione diſtentus Sulpitius, ideoque remiſſius petens Catilinæ ſpem Conſulatûs fecit. Vide hic Ethopœias.

piſcendi obſepiebant. Atque ex omnibus illa plaga eſt injecta petitioni tuæ, non tacente me maxima, de qua ab homine ingenioſiſſimo, & copioſiſſimo Hortenſio multa copioſiſſimè dicta ſunt, quo etiam mihi durior locus eſt dicendi datus: ut cùm ante me, & ille dixiſſet, & vir ſumma dignitate, & diligentiâ, & facultate dicendi M. Craſſus, ego in extremo non partem aliquam agerem cauſæ, ſed de tota re dicerem, quod mihi videretur. Itaque in iisdem rebus ferè verſor, & quod poſſum Judices, occurro veſtræ ſapientiæ. Sed tamen Servi, quam te ſecurim putas injeciſſe petitioni tuæ, cùm tu Pop. Rom in eum me tum adduxiſti, ut pertimeſcerer, ne Conſul Catilina fieret, dum tu accuſationem compares, depoſita, atque abjecta petione.

49. Etenim te inquirere videbant, triſtem ipſum, mœſtos amicos, obſervationes, teſtificationes, ſeductiones teſtium, ſeceſſionem ſubſcriptorum animadvertebant; quibus rebus certè ipſi candidatorum vultus obſcuriores videri ſolent. Catilinam interea alacrem, atque lætum, ſtipatum choro juventutis, vallatum indicibus, atque ſicariis, inflatum cùm ſpe militum, tum Collegæ mei, quemadmodum dicebat ipſe, promiſſis, circumfluente colonorum Aretinorum, & Feſulanorum exercitu. Quam turbam diſſimillimo ex genere, diſtinguebant homines percuſſi Syllani temporis calamitate. Vultus erat ipſius plenus furoris, oculi ſceleris, ſermo arrogantiæ: ſic, ut ei jam exploratus, & domi conditus Conſulatus videretur; Muræ-nam contemnebat; Sulpitium accuſatorem ſuum numerabat, non competitorem; ei vim denunciabat; Reipublicæ minabatur.

50. Quibus rebus, qui timor bonis omnibus injectus ſit, quantáque deſperatio Reipublicæ ſi ille factus eſſet, nolite à me commoneri velle. Vosmetipſi vobiſcum recordamini. Meminiſtis enim, cùm illius nefarii gladiatoris voces pererebuiſſent, quas habuiſſe in concione domeſtica dicebatur, cùm miſerorum fidelem defenſorem negâſ-

50. Digreditur Cicero cum præteritione eorum, quæ facturus fuiſſet Conſul Catilina; & enarratione eorum, quæ in ipſius comprehenſione accidêre.

ſet, inveniri poſſe, niſi eum, qui ipſe miſer eſſet; integrorum, & fortunatorum promiſſis ſaucios, & miſeros credere non oportere. Quare qui conſumpta replere, erepta recuperare vellent, ſpectarent, quid ipſe deberet, quid poſſideret, quid auderet; minime timidum, & valde calamitoſum eſſe, oportere eum, qui eſſet futurus dux, & ſignifer calamitoſorum.

51. Tum igitur his rebus auditis meminiſtis fieri Senatûs conſultum referente me, ne poſtero die comitia haberentur, ut de his rebus in Senatu agere poſſemus. Itaque poſtridie frequenti Senatu Catilinam excitavi: atq; eum de his rebus juſſi, ſi quid vellet, quæ ad me allatæ eſſent, dicere. Atque ille, ùt ſemper fuit apertiſſimus, non ſe purgavit, ſed indicavit, atque innuit. Tum enim dixit: duo corpora eſſe Reipublicæ, unum debile infirmo capite, alterum firmum ſinè capite; huic, cùm ita de ſe meritum eſſet, caput ſe vivo non defuturum. Congemuit Senatus frequens, neque tamen ſatis ſeverè pro rei indignitate decrevit. Nam partim ideò fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant; partim, quia timebant. Tum erupit è Senatu triumphans gaudiô, quem omnino vivum illinc exire non oportuerat; præſertim cùm idem ille in eodem ordine paucis diebus antè, Catoni fortiſſimo viro judicium miniranti, ac denuntianti reſpondiſſet: ſi quod eſſet in ſuas fortunas incendium excitatum, id ſe non aquâ, ſed ruinâ reſtincturum.

52. His tum rebus commotus, & quòd homines jam tum conjuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina ſciebam, deſcendi in campum cum firmiſſimo præſidio fortiſſimorum virorum, & cum illa lata, inſignique lorica, non quæ me tegeret (etenim ſciebam Catilinam non latus, aut ventrem, ſed caput, & collum ſolere petere) verum, ut omnes boni animadverterent, & cum in metu, ac periculo Conſulem viderent, id quod eſt factum, ad opem, præſidiúmque meum concurrerent. Itaque cùm te Servi remiſſiorem in petendo putarent, Catilinam, & ſpe, & cupiditate inflammatum viderent, omnes, qui illam a Rep. peſtem

52. Redit parva cum Anacephalæoſi ad Sulpitium, ejùsque in petendo errores, & Muræna dexteritatem commendat.

peſtem depellere cupiebant, ad Murænam ſe ſtatim contulerunt.

53. Magna eſt autem comitiis Conſularibus repentina voluntatum inclinatio ; præſertim cùm incubuit ad virum bonum, & multis aliis adjumentis petitionis ornatum. Qui cum honeſtiſſimo patre, atque Majoribus, modeſtiſſimâ adoleſcentiâ, clariſſima legatione, Prætură probatâ in jure, gratâ in munere, ornatâ in provincia petiiſſet diligenter, & ita petiiſſet, ut neque minanti cederet, neque cuiquam minaretur, huic mirandum eſt, magno adjumento Catilinæ ſubitam ſpem Conſulatûs adipiſcendi fuiſſe?

54. Argumentum III. Nunc mihi tertius ille locus eſt orationis de ambitûs criminibus, perpurgatus ab iis, qui ante me vixerunt ; à me, quoniam ita Muræna voluit, retractandus, quo in loco Poſthumio familiari meo, ornatiſſimo viro, de diviſorum indiciis, & de deprehenſis pecuniis : adoleſcenti ingenioſo, & bono, Servio Sulpitio, de Equitum Centuriis : M. Catoni homini in omni virtute excellenti, de ipſius accuſatione, de Senatûs conſulto, de Republ. reſpondebo.

55. Sed pauca, quæ meum animum repentè moverunt, priùs de L. Murænæ fortuna conquerar. Nam cùm ſæpè antea Jud. & ex aliorum miſeriis, & meis curis, laboribúsque quotidianis fortunatos eos homines judicarem, qui remóti à ſtudiis ambitionis, otium, ac tranquilitatem vitæ ſecuti ſunt ; tum verò in his L. Murænæ tantis, támque improviſis periculis ità ſum animo affectus, ut non queam ſatis, neque communem omnium noſtrûm conditionem, neque hujus eventum, fortunámque miſerari ; qui primùm dum ex honoribus continuis familiæ, Majorúmque ſuorum unum aſcendere gradum dignitatis conatus eſt, venit in periculum, ne & ea, quæ relicta, & hæc, quæ ab ipſo parta ſunt, amittat ; deinde propter ſtudium novæ laudis, etiam in veteris fortunæ diſcrimen adducitur.

56. Quæ cùm ſunt gravia, Judices, tum illud acerbiſſimum eſt, quòd habet eos accuſatores, non qui odiô

54. Argumentum III. ingreditur Cicero partitione, & querelâ de tribus Murænæ accuſatoribus.

inimicitiarum ad accuſandum, ſed qui ſtudiô accuſandi ad inimicitias deſcenderent. Nam ut omittam Servium Sulpitium, quem intelligo non injuriâ L. Muræ̃næ, ſed honoris contentione permotum; accuſat paternus amicus Cn. Poſthumius, vetus, ùt ait ipſe vicinus, ac neceſſarius, qui neceſſitudinis cauſas complures protulit, ſimultatis nullam commemorare potuit: accuſat Servius Sulpitius ſodalis filii, cujus ingeniô paterni omnes neceſſarii munitiores eſſe debeant: accuſat M. Cato, qui quanquam à Muræna nulla re unquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac civitate natus, ut ejus opes, & ingenium præſidio multis etiam alieniſſimis, vix cuiquam inimicus eſſe deberet.

57. Reſpondebo igitur Poſthumio primùm, qui neſcio, quo pacto mihi videtur Prætorius Candidatus in Conſularem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum incurrere. Cujus competitores, ſi nihil deliquerunt, dignitati eorum conceſſit, cùm petere deſtitit; ſin autem eorum aliquis largius eſt, expetendus amicus eſt, qui alienam potiùs injuriam, quàm ſuam perſequatur.

Ea omnia, quæ, & Poſthumio, & Servio Sulpitio adoleſcenti reſponſa ſunt, deſiderantur.

58. Venio nunc ad M. Catonem, quod eſt firmamentum, ac robur totius accuſationis: qui tamen ita gravis eſt accuſator, & vehemens, ut multò magis ejus authoritatem, quàm criminationem pertimeſcam. In quo ego accuſatore, Judices, primùm illud deprecabor, ne quid L. Muræ̃næ dignitas illius, ne quid expectatio Tribunatûs, ne quid totius vitæ ſplendor, & gravitas noceat: denique ne ea ſoli huic obſint bona M. Catonis, quæ ille adeptus eſt, ut multis prodeſſe poſſet. Bis Conſul fuerat P. Africanus, & duos terrores hujus imperii Carthaginem, Numantiámque deleverat, cùm accuſavit L. Cottam. Erat in eo ſumma eloquentia, ſumma fides, ſumma integritas, authoritas tanta, quanta in homine quoquam

58. Ad ea, quæ objecit Cato (nam cætera deſiderantur) antequam reſpondeat, lepidè ſectam ejus ſtoicam exagitat, petítque, cum præmunitione, & deprecatione, ne L. Muræ̃næ obſit, vel accuſantis Catonis I. Gravitas, dignitas, ſdque ab exemplo P. Africani, & Catonis, hujus avunculi vel.

quam, in ipso imperio Populi Rom. quod illius operâ tenebatur. Sæpè hoc Majores natu dicere audivi, hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimùm L. Cottæ profuisse. Noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam judicabant, ita quenquam cadere in judicio, ut nimis adversarii viribus abjectus videretur.

59. Quid Sergium Galbam (nam traditum memoriæ est nonne Proavo tuo fortissimo, atque florentissimo viro, M. Catoni incumbenti ad ejus perniciem Populus Rom. eripuit? semper in hac civitate nimis magnis accusatorum opibus, & populus universus, & sapientes, ac multùm in posterum prospicientes Judices restiterunt. Nolo, accusator in judicium potentiam afferat, non vim majorem aliquam, non authoritatem excellentem, non nimiam gratiam: valeant hæc omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentûm, ad auxilium calamitosorum; in periculo verò, & in pernicie civium repudientur.

60. Nam si quis hoc forte dicet: Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi priùs de causa judicâsset; iniquam legem Judices, & miseram conditionem instituet periculis hominum, si existimabit judicium accusatoris in reum pro aliquo præjudicio valere oportere. Ego tuum consilium Cato propter singulare animi mei de tua virtute judicium, vituperare non audeo: nonnulla in re forsitan conformare, & leviter emendare possim. Non multa peccas, inquit ille fortissimô virô senior magister: sed si peccas, te regere possum. At ego te verissimè dixerim, peccare nihil, neque ulla in re te esse hujusmodi, ut corrigendus potiùs, quàm leviter inflectendus esse videare. Finxit enim te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, justitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem, & excelsum. Accessit his tot, doctrina non moderata, nec mitis, sed, ut mihi videtur, paulò asperior, & durior, quàm aut veritas, aut natura patiatur.

60. Judicium, quod ab asperitate doctrinæ, ac vitæ præjudicium esse non debet. Nam præmissa laude Catonis, Stoicæ doctrinæ sententias, ac præcepta severiora commemorat.

61. Et quoniam non eſt nobis hæc oratio habenda, aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conventu agreſtium; audaciùs paulò de ſtudiis humanitatis, quæ & mihi, & vobis nota, & Judicanda ſunt, diſputo. In M. Catone Judices, hæc bona, quæ videmus divina, & egregia, ipſius ſcitote eſſe propria; quæ nonnunquam requirimus, ea ſunt omnia non à natura, ſed à magiſtro. Fuit enim quidam ſummô ingeniô vir Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur; hujus ſententiæ ſunt, & præcepta ejusmodi; ſapientem gratiâ nunquam moveri, nunquam cujusquam delicto ignoſcere; neminem miſericordem eſſe, nili ſtultum, & levem; viri non eſſe, neque exorari, neque placari; ſolos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos; ſi mendiciſſimi, divites; ſi ſervitutem ſerviant, Reges; nos autem, qui ſapientes non ſumus fugitivos, exules, hoſteis, inſanos denique eſſe dicunt; omnia peccata eſſe paria: omne delictum ſcelus eſſe nefarium; nec minùs delinquere eum, gallum gallinaceum, cùm opus non fuerit, quam eum, qui patrem ſuffogaverit; ſapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, ſententiam mutare nunquam.

62. Hæc homo ingenioſiſſimus M. Cato authoribus eruditiſſimis inductus arripuit; neque diſputandi cauſâ, ût magna pars, ſed ità vivendi. Petunt aliqui publicani; cave quicquam habeat momenti gratia. Supplices aliqui veniunt miſeri, & calamitoſi: ſceleratus, & nefarius fueris, ſi quiquam miſericordiâ adductus feceris. Fatetur aliquis, ſe peccâſſe, & ejus delicti veniam petit: nefarium eſt, facinus ignoſcere. At leve delictum eſt: omnia peccata ſunt paria. Dixiſti quidpiam: fixum, & ſtatutum eſt. Non re ductus es, ſed opinione: ſapiens nihil opinatur. Errâſti aliqua in re: male dici putat. Hac ex diſciplina nobis illa ſunt: Dixi: in Senatu menomen Conſularis candidati delaturum; iratus dixiſti, nunquam, inquit, ſapiens iraſcitur, at temporis causâ. Improbi, inquit, hominis eſt mendacio fallere; mutare ſententiam, turpe eſt; exorari, ſcelus; miſereri, flagitium.

63. No-

62. Conformem duræ adeò doctrinæ Catonis vitam ridiculè cavillatur dialogiſmô ſupplicis Publicani, & Stoici Catonis.

63. Noſtri autem illi (fatebor enim Cato , me quoque in adoleſcentia diffiſum ingenio meo queſiſſe adjumenta doctrinæ) noſtri , inquam : illi à Platone , & Ariſtotele moderati homines , & temperati , ajunt , apud ſapientem valere aliqando gratiam : viri boni eſſe , miſereri; diſtincta eſſe genera delictorum , & diſpares pœnas ; eſſe apud hominem conſtantem ignoſcendi locum ; ipſum ſapientem ſæpè aliquid opinari . quod neſciat ; iraſci nonnunquam , exorari eundem , & placari ; quód dixerit, interdum , ſi ita rectius ſit , mutare ; de ſententia decedere aliquando ; omnes virtutes mediocritate quâdam eſſe moderatas.

64. Hos ad magiſtros , ſi qua te fortuna , Cato , cùm iſta natura detuliſſet , non tu quidem vir melior eſſes, nec fortior , nec temperantior , nec juſtior (neque enim eſſe potes) ſed paulò ad lenitatem propenſior ; non accuſares nullis adductus inimicitiis , nullâ laceſſitus injuriâ, pudentiſſimum hominem , ſumma dignitate , atque honeſtate præditum ; putares , cùm in ejusdem anni cuſtodia te , atque L. Murænam fortuna poſuiſſet , aliquo te cum hoc Reipubl. vinculo eſſe conjunctum ; quod atrociter in Senatu dixiſti , aut non dixiſſes , aut ſepoſuiſſes , aut mitiorem in partem interpretarere.

65. Ac te ipſum (quantum ego opinione auguror) nunc & animi quodam impetu concitatum , & vi naturæ , atque ingenii elatum , & recentibus præceptorum ſtudiis flagrantem jam uſus flectet , dies leniet , ætas mitigabit. Etenim iſti ipſi mihi videntur veſtri præceptores & virtutis magiſtri fines officiorum paulò longiùs , quàm natura vellet , protuliſſe : ut cùm ad ultimum animò contendiſſemus , ibi tamen , ubi oporteret , conſiſteremus. Nihil ignoveris : imò aliquid , non omnia . Nihil gratiæ cauſâ feceris : imò reſiſtito gratiæ , cùm officium , & fides poſtulabit. Miſericordiâ commotus ne ſis , etiam in diſſolvenda

63. Stoicorum doctrinæ opponit , præfértque mitiorem Academicorum doctrinam , quam Cicero ſectatur.

64. Humaniorem hanc doctrinam Catoni exemplò Scipionis, C. Lælii , L. Philippi , C. Galli , ac avunculi Catonis exemplò ſequendam proponit.

venda fevcritate; ſed tamen eſt laus aliqua humanitatis. In ſententia permaneo; enimverò niſi ſententia alia vicerit melior.

66. Hujuscemodi Scipio ille fuit, quem non pœnitebat facere idem, quod tu; habere eruditiſſimum hominem, & penè divinum domi, cujus oratione, & præceptis, quanquam erant eadem iſta, quæ te delectant, tamen aſperior non eſt factus, ſed (ùt accepi à ſenibus) leniſſimus. Quis verò C. Lælio comior? quis jucundior, eodem ex ſtudio iſto? quis illo gravior? ſapientior? Poſſum de L. Philippo, de C. Gallo dicere hæc eadem; ſed te domum jam deducam tuam. Quamquámne exiſtimas Catone proavo tuo commodiorem, comiorem, moderatiorem fuiſſe, ad omnem rationem humanitatis? de cujus præſtanti virtute cùm verè, gravitérque diceres, domeſticum te habere dixiſti exemplum ad imitandum. Eſt illud quidem exemplum tibi propoſitum domi; ſed tamen naturæ ſimilitudo illius ad te magìs, qui ab illo ortus es, quam ad unumquemquam noſtrûm pervenire potuit; ad imitandum verò tam mihi propoſitum exemplar illud eſt, quàm tibi. Sed ſi illius comitatem, & facilitatem tuæ gravitati, ſeveritatíque aſperſeris, non iſta quidem erunt meliora, quæ nunc ſunt optima, ſed certè condita jucundiùs.

67. Quare ut ad id, quod inſtitui, revertar, tolle mihi è cauſa nomen Catonis; remove, ac prætermitte authoritatem, quæ in judiciis aut nihil valere, aut ad ſalutem debet valere; congredere mecum criminibus ipſis: quid accuſas Cato? quid affers in judicium? quid arguis? ambitum accuſas, non defendo. Me reprehendis, quod idem defendam, quòd lege puniêrim. Punivi ambitum, non innocentiam; ambitum verò ipſum vel tecum accuſabo, ſi voles. Dixiſti: Senatusconſultum me referente eſſe factum, ſi mercede corrupti obviam candidatis iſſent; ſi conducti ſectarentur, ſi gladiatoribus vulgo loco tributus, & item prandia

67. Hac præmunitione præmiſſa aggreditur ad partem Orationis tertiam: *L. Murœna nihil commiſit contra legem ambitûs. Argumentum: Licuit L. Murœnæ habere obviam prodeuntes, & ſectatores, præbere ſpectacula, ac prandia; ergo contra legem nihil commiſit.*

dia si vulgo essent data, contra legem Calphurniam factum videri. Ergo ita Senatus judicat, contra legem facta hæc videri, si facta sint; decernit, quod nihil opus est, dum candidatis morem gerit. Nam factum sit, nécne, vehementer quæritur; si factum sit, quin contra legem sit, dubitare nemo potest.

68. Est igitur ridiculum, quod est dubium, id relinquere incertum; quod nemini dubium potest esse, id judicare. Atque id decernitur omnibus postulantibus candidatis; ut ex S. C. neque cujus interfit, neque contra quem fiat, intelligi possit. Quare doce à L. Muræna illa esse commissa; tum egomet tibi contra legem commissa esse concedam. Multi obviam prodiêrunt decedenti, Consulatum petenti. Solet fieri. Eccui autem non proditur revertenti? quæ fuit ista multitudo? primùm si tibi istam rationem non possim reddere, quid habet admirationis, tali viro advenienti, candidato Consulari, obviam prodisse multos? quod nisi esset factum, magis mirandum videretur.

60. Quid, si etiam illud addam, quod à consuetudine non abhorret, rogatos esse multos? num aut criminosum sit, aut mirandum, qua in civitate rogati infirmorum hominum filios propè de nocte ex ultima sæpè urbe deductum venire soleamus, in ea non esse gravatos homines prodire horâ tertiâ in campum Martium, præsertim talis viri nomine rogatos? Quid, si omnes societates venerunt? quarum ex numero multi hìc sedent Judices. Quid, si multi homines nostri ordinis, honestissimi? quid, si illa officiosissima, quæ neminem patitur non honestè in urbem introire, tota natio candidatorum? si denique ipse accusator noster Posthumius obviam cum bene magna caterva sua venit; quid habet ista multitudo admirationis? omitto clientes, vicinos, tribules, exercitum totum Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat; hoc dico, frequentiam in isto officio gratuitam non modò dignitati illius unquam, sed ne voluntati quidem defuisse.

70. At

68. Antecedens quatuor capitibus constat; ac primò ostenditur, non esse novum, aut mirum, multos præsertim rogatos obviam prodiisse candidato Consulari.

70. At ſectabantur multi, doce, mercede; concedam eſſe crimen. Hoc quidem remoto, quid reprehendis? Quid opus eſt, inquit, ſectatoribus? à quo id quæris, quid opus ſit eo, quo ſemper uſi ſumus? homines tenues unum habent in noſtrum ordinem aut promerendi, aut proferendi beneficii locum, hanc in noſtris petitionibus operam, atque affectationem; neque enim fieri poteſt, neque poſtulandum eſt à nobis, aut ab Equitibus Romanis, ut ſuos neceſſarios candidatos ſectentur totos dies, à quibus ſi domus noſtra celebratur, ſi interdum ad forum deducimur, ſi uno baſilicæ ſpatiô honeſtamur, diligenter obſervari videmur, & colli. Tenuiorum, & non occupatorum amicorum eſt iſta aſſiduitas, quorum copia bonis, & beneficiis deeſſe non ſolet.

71. Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii Cato: ſine eos, qui omnia à nobis ſperant, habere ipſos quoque aliquid, quod nobis tribuere poſſint. Si nihil erit præter ipſorum ſuffragium, tenue eſt: ſi ut ſuffragantur, nihil valent gratiâ; ipſi denique, ùt ſolent loqui, non dicere pro nobis, non ſpondere, non vocare domum ſuam poſſunt; atque hæc à nobis petunt omnia; neque ulla re alii, quæ à nobis conſequuntur, niſi operâ ſuâ compenſari putant poſſe. Itaque & Legi Fabiæ, quæ eſt de numero ſectatorum, & S. C. quod eſt L. Cæſare Conſule factum, reſtiterunt. Nulla eſt enim pœna, quæ poſſit obſervantiam tenuiorum ab hoc vetere inſtituto officiorum excludere.

72. At ſpectacula ſunt tributim data, & ad prandium vulgò vocati. Etſi hoc factum: à Muræna omnino Judices non eſt, ab ejus amicis autem more, & modo factum eſt; tamen admonitus re ipſa, recordor quantum hæ quæſtiones in Senatu habitæ punctorum nobis Servi, detraxerint. Quod enim tempus fuit, aut noſtrâ, aut Patrum

70. *Secundò:* multos fuiſſe Sectatores, quæ bonis, ac de ſe bene meritis viris non deſunt ex officio; horum verò neminem pecuniâ conductum fuiſſe, quod lex prohibet.

72. *Tertiò*, ac *quartò:* oſtendit ſpectacula, ac prandia more, inſtitutóque Majorum à Muræna, vel ejus amicis tributim præbita eſſe.

Patrum noſtrorum memoriâ, quo hæc, ſive ambitio eſt, ſive liberalitas, non fuerit, ut locus, & in Circo, & in foro daretur amicis, & tribulibus? hæc homines tenuiores primùm, nondum qui ea ſuis tribulibus vetere inſtituto aſſequebantur.

Deſunt nonnulla.

73. Præfectum fabrûm ſemel locum tribulibus ſuis dediſſe; quid ſtatuent in viros primarios, qui in Circo totas tabernas tribulium causâ comparârunt? hæc omnia ſectatorum, ſpectaculorum, prandiorum item crimina à multitudine in tuam nimiam diligentiam Servi, conjecta ſunt; in quibus tamen Muræna ab Senatûs authoritate defenditur. Quid enim? Senatus unum obviam prodire crimen putat? non, ſed mercede; convince. Num ſectari multos? non, ſed conductos; doce. Num locum ad ſpectandum dare? aut ad prandium invitare? minimè; ſed vulgò, poſſim. Quid eſt vulgò? univerſos. Non igitur ſi L. Matta ſummo loco adoleſcens, qui, & qua animo jam ſit, & qualis vir futurus ſit, videmus, in Equitum Centuriis voluit eſſe, & ad hoc officium neceſſitudinis, & ad reliquum tempus gratioſus, id erit ejus vitrico fraudi, aut crimini: nec ſi virgo Veſtalis hujus propinqua, & neceſſaria locum ſuum gladiatorium conceſſit huic, non & illa piè fecit, & hic à culpa eſt remotus. Omnia hæc ſunt officia neceſſariorum, commoda tenuiorum, munia candidatorum.

74. At enim agit mecum auſterè, & Stoicè Cato; negat verum eſſe, allici benevolentiam cibo; negat judicium hominum in magiſtratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere. Ergo ad cænam petitionis causâ ſi quis vocat, condemnetur. Quippe inquit: tu mihi ſummum imperium, ſummam authoritatem, tu gubernacula Reipublicæ petas fovendis hominum ſenſibus, & deliniendis

73. Concludit Antecedens recapitulatione per Dialogiſmum adductô exemplô L. Mattæ, Virginisque Veſtalis.

74. Addit duas Prolepſes, primâ cavillans Catonem refellit, negantem ſpectaculis, ac conviviis populi auram captari oportere. Opponit 1. morem civitatis, & auctoritatem. 2. Exemplum Lacedæmoniorum, & Cretum.

dis animis, & adhibendis voluptatibus? utrum lenocinium, inquit à grege delicatæ juventutis, an orbis terrarum imperium à populo Romano petebas? horribilis oratio; ſed eam uſus, vita, mores, civitas ipſa reſpuit. Neque tamen Lacedæmonii authores iſtius vitæ, atque orationis, qui quotidianis epulis in robore accumbunt; neque verò Cretes, quorum nemo guſtavit unquam cubans, meliùs, quàm Romani homines, qui tempora voluptatis, laborísque diſpertiunt, Respubl. ſuas retinuerunt; quorum alteri uno adventu noſtri exercitûs deleti ſunt; elteri noſtri imperii præſidiô diſciplinam, legésque conſervant.

25. Quare noli Cato, Majorum inſtituta, quæ Res ipſa publica, quæ diuturnitas imperii comprobat, nimiùm ſevera oratione, reprehendere. Fuit eodem ex ſtudio vir eruditus apud Patres noſtros, & honeſtus homo, & nobilis, Q. Tubero: is, cùm epulum Q. Maximus Africani patrui ſui nomine Pop. Rom. daret, rogatus eſt à Maximo, ut triclinium ſterneret, cùm eſſet Tubero ejusdem Africani ſororis filius. Atque ille homo eruditiſſimus, ac Stoicus ſtravit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa Samia; quaſi verò eſſet Diogenes Cynicus mortuus, & non divini hominis Africani mors honeſtaretur; quem cùm ſupremo ejus die Maximus laudaret, gratias egit Diis immortalibus, quòd ille vir in hac Republ. potiſſimùm natus eſſet. Neceſſe enim fuiſſe ibi eſſe terrarum imperium, ubi ille eſſet. Hujus in morte celebranda graviter tulit populus Rom. hanc perverſam ſapientiam Tuberonis.

76. Itaque homo integerrimus, civis optimus, cùm eſſet L. Pauli Nepos, P. Africani, ùt dixi, ſororis filius, his hœdinis pelliculis Prætură dejectus eſt. Odit populus Rom. privatam luxuriam; publicam magnificentiam diligit. Non amat profuſas epulas; ſordes, & inhumanitatem multò minùs. Diſtinguit rationem officiorum, ac temporum, viciſſitudinem laboris, ac voluptatis. Nam quòd ais nulla re allici hominum mentes oportere ad magiſtratum mandandum, niſi dignitate; hoc tu ipſe, in quo ſumma eſt digni-

75. L. Tuberonis.

76. Ipſiusmet Catonis exemplum, qui habet Nomenclatorem, ut nomine appellet, ſalutet, ſibique conciliet cives.

dignitas, non ſervas. Cur enim quemquam, ut ſtudeat tibi, ut te adjuvet, rogas? rogas tu me, ut mihi præſis, ut committam ego me tibi. Quid tandem? iſtuc me rogari oportet abs te, an te potiùs à me, ut pro mea ſalute laborem, periculúmque ſuſcipias.

77. Quid, quòd habes nomenclatorem? in eo quidem fallis, & decipis. Nam ſi nomine appellari abs te cives tuos honeſtum eſt; turpe eſt eos notiores eſſe ſervo tuo, quàm tibi. Sin etiam nôris; tamen per monitorem appellandi ſunt? cur antè non petis, quàm inſuſurravit? aut quid, cùm admoneris, tamen quaſi tute nôris, ità ſalutas? quid poſteaquam es deſignatus, multò ſalutas negligentiùs? hæc omnia ad rationem civitatis ſi dirigas, recta ſunt; ſin perpendere ad diſciplinæ præcepta velis, reperiantur praviſſima. Quare nec plebi Rom. eripiendi fructus illi ſunt ludorum, gladiatorum, conviviorum, quæ omnia Majores noſtri comparaverunt, nec candidatis iſta benignitas adimenda eſt, quæ liberalitatem magìs ſignificat, quàm largitionem.

78. At enim te ad accuſandum Reſpubl. adduxit. Credo Cato te iſto animo, atque ea opinione veniſſe; ſed tu imprudentiâ laberis. Ego quod facio Judices, cùm amicitiæ, dignitatísque L. Murænæ gratiâ facio, tum me pacis, otii, concordiæ, libertatis, vitæ denique omnium veſtrûm causâ facere clamo, atque obteſtor, Audite, audite Conſulem Judices: nihil dicam arrogantiùs; tantùm dicam, totos dies, atque noctes de Republ. cogitantem. Non uſque eò L. Catilina Rempubl. deſpexit, atque contempſit, ut eâ copiâ, quam ſecum eduxit, ſe hanc civitatem oppreſſurum arbitraretur. Latiùs patet illius ſceleris contagio, quàm quiſquam putat; ad plures pertinet, intus, intus, inquam, eſt equus Trojanus, à quo nunquam me Conſule dormientes opprimemini.

77. Concluditur prima hæc Prolepſis brevi Anacephalæoſi.

78. Alteram Prolepſim Catonis, qui Reipubl. causâ accuſat Murænam, pari in Rempubl. officio defendit Cicero; & vehementi Apoſtropha oſtendit Judicibus, quantum interſit hoc anno Murænam Conſulem fieri ad opprimendas Catilinæ copias, & factionem.

79. Quæris à me, quid ego Catilinam metuam? nihil; & curavi, ne quis metueret; ſed copias illius, quas hìc video, dico eſſe metuendas; nec tam timendus eſt nunc exercitus L. Catilinæ, quàm iſti, qui illum exercitum deſeruiſſe dicuntur. Non enim deſeruerunt; ſed ab illo in ſpeculis, atque inſidiis relicti, in capite, atque in cervicibus noſtris reſtiterunt. Hi & integrum Conſulem, & bonum Imperatorem & naturâ, & fortunâ, cum Reipublicæ ſalute conjunctum dejici de urbis præſidio, & de cuſtodia civitatis veſtris ſententiis deturbari volunt. Quorum ego ferrum, & audaciam rejeci in campo, debilitavi in foro, compreſſi etiam domi meæ ſæpè Judices; his vos ſi alterum Conſulem tradideritis, plùs multò erunt veſtris ſententiis, quàm ſuis gladiis conſecuti.

80. Magni intereſt Judices, id, quod ego multis repugnantibus egi, atque perfeci, eſſe Calendis Januar. in Republ. duos Conſules. Nolite arbitrari mediocribus conſiliis, aut uſitatis viis, aut lege improba, aut pernicioſa largitione auditum aliquando aliquo malum Reipublicæ quæri. Inita ſunt in hac civitate conſilia, Judices, urbis delendæ, civium trucidandorum, nominis Romani extinguendi. Atque hæc cives, cives, inquam, (ſi eos hoc nomine appellari fas eſt) de patria ſua & cogitant, & cogitaverunt. Horum ego quotidie conſiliis occurro, audaciam debilito, ſceleri reſiſto; ſed vos moneo, Judices, in exitu eſt jam meus conſulatus; nolite mihi ſubtrahere vicarium meæ diligentiæ, nolite adimere eum, cui Rempubl. cupio tradere incolumem ab his tantis periculis defendendam.

81. Atque ad hæc mala Judices, quid accedat aliud, non videtis? te appello Cato: nónne proſpicis tempeſtatem anni tui? jam enim heſterna concione intonuit vox pernicioſa deſignati Trib. collegæ tui; contra quem multum tua mens, multum omnes boni providerunt, qui te ad Tribunatûs petitionem vocaverunt. Omnia, quæ per hoc triennium agitata ſunt jam ab eo tempore, quo à L. Catilina, & Cn. Piſone initum conſilium Senatûs inter-

81. Simili ad Catonem Apoſtrophâ tribunatûs ejus pericula, & futuras tempeſtates demonſtrat, niſi ſtrenuum Conſulem defenſorem habeat.

interficiendi ſcitis eſſe, in hos dies, in hos menſes, in hoc tempus erumpunt.

82. Qui locus eſt Judices? quod tempus? qui dies, quæ nox? cùm ego non ex iſtorum inſidiis, ac mucronibus non ſolùm hinc, ſed multò etiam magis divinò conſiliò eripiar, atque evolem. Neque iſti me meo nomine interfici, ſed vigilantem Conſulem de Reipubl. præſidiò dimovere volunt; nec minùs vellent Cato te quoque aliqua ratione, ſi poſſent, tollere; id quod mihi crede, & agunt, & moliuntur; vident, quantum in te ſit animi, quantum ingenii, quantum authoritatis, quantum Reipubl. præſidii; ſed cùm Conſulari authoritate, & auxiliò ſpoliatam vim Tribunitiam viderint, tum ſe faciliùs inermem, & debilitatum te oppreſſuros arbitrantur. Nam me ſufficiatur Conſul, non timent; vident in tuorum poteſtate collegarum fore; ſperant ſibi Syllanum clarum virum ſinè collega, te ſinè Conſule, Rempublicam ſinè præſidio objici poſſe.

83. His tantis in rebus, tantísque in periculis, eſt tuum M. Cato, qui non mihi, non tibi, ſed patriæ natus es, videre quid agatur, retinere adjutorem, defenſorem, ſocium, in Rempubl. Conſulem non cupidum, Conſulem (quod maximè tempus hoc poſtulat) fortunâ conſtitutum ad amplexandum otium, ſcientiâ ad bellum gerendum, animò, & uſu, ad quod velis negotium. Quanquam hujuſce rei poteſtas omnis in vobis ſita eſt Judices: totam Rempubl. vos in hac cauſa tenetis, vos gubernatis. Si L. Catilina cum ſuo conſilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſet judicare, condemnaret L. Murænam; ſi interficere poſſet, occideret. Petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio Reſpublica, ut minuatur contra ſuum furorem imperatorum copia; ut major facultas Tribunispl. detur depulſo adverſario ſeditionis, ac diſcordiæ concitandæ. Idémne igitur delecti ampliſſimis ex ordinibus honeſtiſſimi, atque ſapientiſſimi viri judicabunt, quod ille importuniſſimus gladiator, hoſtis Reipubl. judicaret?

84. Mihi credite Judices in hac cauſa non ſolùm de L. Murænæ, verùm etiam de veſtra ſalute ſententiam

83. Rurſus Judices de nefariis Catilinæ conſiliis admonet, ſi Murænam à Conſulatu removerent,

feretis. In diſcrimen extremum venimus; nihil eſt jam, unde nos reficiamus, aut ubi lapſi reſiſtamus. Non ſolùm minuenda non ſunt auxilia, quæ habemus; ſed etiam nova, ſi fieri poſſit comparanda. Hoſtis eſt enim non apud Anienem, quod bellô Punicô graviſſimum viſum eſt, ſed in urbe, in foro (Dii immortales ſinè gemitu hoc dici non poteſt!) non nemo etiam in illo ſacrario Reipublicæ in ipſa, inquam, Curiâ non nemo hoſtis eſt. Dii faxint, ut meus Collega vir fortiſſimus hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus opprimat; ego togatus vobis, bonísque omnibus adjutoribus, hoc quod conceptum Reſpublica periculum parturit, conſiliô diſcutiam, & comprimam.

85. Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundârint? Unus erit Conſul, & is non in adminiſtrando bello, ſed in ſufficiendo collega occupatus. Hunc jam qui impedituri ſint.

Deſunt nonnulla.

Illa beſtia immanis, importuna Catilinæ prorumpet, quà poterit; & jam populo Romano minatur; in agros ſuburbanos repentè advolabit; verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas: omni autem in ſede, ac loco ferrum flammámque metuemus. Quæ jam diu comparantur, eadem iſta omnia, ſi ornata ſuis præſidiis erit Reſpubl. facilè, & Magiſtratuum conſiliis, & privatorum diligentiâ opprimentur.

86. *Peroratio.* Quæ cùm ità ſint Judices primùm Reipubl. causâ, quâ nulla res cuiquam potior debet eſſe, vos pro mea ſumma, & vobis cognita in Rempubl. diligentia moneo, pro authoritate Conſulari hortor, pro magnitudine periculi obteſtor, ut otio, & paci, ut ſaluti,

85. Denique Reipubl. periculum à Conſequentibus, & Hypotypoſi ampl ficat, ſi Catilina Conſulem deeſſe viderit.

86. *Peroratio.* Peroratio conſtat magno commiſerationis affectu, quem Cicero in Judicibus excitat 1. Per deprecationem à periculo Reipubl. 2. Ab adjunctis perſonæ internis, & externis, quòd ante florente fortuna uſus, jam corpore æger, & animô; nullum læſerit, domi militiæque ſinè invidia, & odio fuerit.

ti, ut vitæ veſtræ, & cæterorum civium conſulatis; deinde ego fidem veſtram, vel defenſoris, & amici officiô adductus oro, atque obſecro Judices, ut ne hominis miſeri, & cùm corporis morbô, tum animi dolore confecti, L. Murænæ recentem gratulationem nova lamentatione obruatis. Modò maximô beneficiô populi Rom. ornatus, fortunatus videbatur, quòd primus in familiam veterem, primus in municipium antiquiſſimum Conſulatum attuliſſet; nunc idem ſqualloré ſordidus, confectus morbô, lachrymis, ac mœrore perditus, veſter eſt ſupplex Judices, veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem, ac veſtras opes intuetur.

87. Nolite per Deos immortales, Judices hac eum re, quâ ſe honeſtiorem fore putavit, etiam cæteris antè pari is honeſtatibus, atque omni dignitate, fortunâque privare. Atque ità vos Muræna Judices orat, atque obſecrat, ſi injuſtè neminem læſit, ſi nullius aures voluntate violavit, ſi nemini, ut leviſſimè dicam, odio nec domi, nec militiæ fuit: ſit apud vos modeſtiæ locus, ſit demiſſis hominibus perfugium, ſit auxilium pudori. Miſericordiam ſpoliatio Conſulatûs magnam habere debet Judices; unà enim eripiuntur cum Conſulatu omnia. Invidiam verò his temporibus habere Conſulatus ipſe nullam poteſt. Objicitur enim concionibus ſeditioſorum, inſidiis conjuratorum, telis Catilinæ; ad omne denique periculum, atque ad omnem invidiam ſolus opponitur.

88. Quare quid invidendum Murænæ, aut cuiquam noſtrûm ſit in hoc præclaro Conſulatu, non video Judices: quæ verò miſeranda ſunt, ea & mihi ante oculos verſantur, & vos videre, & perſpicere poteſtis. Si (quod Jupiter omen avertat) hunc veſtris ſententiis afflixeritis, quò ſe miſer vertet? domúmne? ut eam imaginem clariſſimi viri parentis ſui, quam paucis antè diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominiâ, lugentémque videat? an ad matrem? quæ miſera modò Conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, & ſolicita eſt, ne eundem paulò pòſtſpoliatum omni dignitate conſpiciat.

88. Auget commiſerationem pathetica dubitatione, & ſubjectione ab adjunctis exilii, matris, patris mortui, & municipii Lanuvini.

89. Sed quid ego matrem, aut domum appello? quem nova pœna legis, & domo, & parente, & omnium ſuorum conſuetudine, conſpectúque privat. Ibit igitur in exilium miſer? quò? ad Orientísne partes, in quibus annos multos Legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas geſſit? at habet magnum dolorem, unde cum honore deceſſerit, eôdem cum ignominia reverti. An ſe in contrariam partem terrarum abdet? ut Gallia Tranſalpina, quem nuper ſummo cum imperio libentiſſimè viderit, eundem lugentem, mœrentem, exulem videat? in ea porrò provincia, quo animo C. Murænam fratrem ſuum aſpiciet? qui hujus dolor? qui illius mœror erit, quæ utriuſque lamentatio? quanta autem perturbatio fortunæ, atque ſermonis? quòd quibus in locis paucis antè diebus factum eſſe Conſulem Murænam nuntii, literæque celebrâſſent, & unde hoſpites, atque amici gratulatum Romam concurrerint, repentè eò accedat ipſe nuntius ſuæ calamitatis.

90. Quæ ſi acerba, ſi miſera, ſi luctuoſa ſunt, ſi alieniſſima à manſuetudine, & miſericordia veſtra Judices; conſervate pop. Rom. beneficium? reddite Reipubl. Conſulem; date hoc ipſius pudori, date patri mortuo, date generi, & familiæ, date etiam Lanuvio municipio honeſtiſſimo, quod in hac tota cauſa frequens, mæſtúmque vidiſtis. Nolite à ſacris patriis Junonis Soſpitæ, cui omnes Conſules facere neceſſe eſt, domeſticum, & ſuum Conſulem potiſſimùm avellere. Quem ego vobis, ſi quid habet, aut momenti commendatio, aut authoritatis confirmatio mea, Conſul Conſulem Judices, ità commendo, ut cupidiſſimum otii, ſtudioſiſſimum bonorum, acerrimum contra ſeditionem, fortiſſimum in bello, inimiciſſimum huic conjurationi, quæ nunc Rempublicam labefactat, futurum eſſe promittam, & ſpondeam.

In

90. Ad extremum Conſulem ſtrenuum futurum Conſul Cicero pollicetur, commendátque Judi ibus.

In L. Piſonem.

ORATIO IV.

Argumentum.

CUm à Cicerone oratione de Provinciis Conſularibus habita, ejus & Senatûs ſententiâ, Piſo, & Gabinius è Provinciis revocati eſſent, reverſus in urbem Piſo de inſectatione Ciceronis conqueſtus, in eúmque graviter invectus eſt. Piſoni Cicero reſpondit hac oratione, quæ vehementem continet vituperationem Piſonis, tum ab ejus publicis flagitiis in Conſulatu, & Provincia Conſulari, tum privatis luxuriæ, nequitiæ, crudelitatis, avaritiæ. Genus dicendi ſublime eſt, vehemens, & incitatum. Dicta eſt a. u. c. 698. Pompejo, & Craſſo ſecundùm Coſſ.

SYN.

SYNOPSIS.

Exordium. Ex abrupto per indignationem, quòd Piſo nulla virtute factus ſit Conſul.

Propoſitio. Piſo eſt homo ſceleratus. *Partitio, & Argumenta.* 1. Quia impiè Conſulatum geſſit. 2. Turpiter, ac nefariè Provinciam adminiſtrtvit. 3. Privatim multa egit nequiter, luxuriosè, crudelrter, avarè.

Argumentatio argumenti I. Piſo Conſul ſceleribus Rempubl. & cives vexavit, igitur Piſo impiè Conſulatum geſſit. *Amplificatio, & Affectus.* Cicero propria virtute, Piſo nulla corporis, & animi dignitate Magiſtratum eſt aſſecutus; Imò ſceleratus hic Conſul ludos Compitalitios renovavit; Æliam, & Fuſiam legem, & Cenſuram evertit; Ciceronem proditum crudeliter in exilium ejecit. Quare Piſo nec Conſul fuit, nec Conſulis nomine dignus, qui tam impiè patriam, & cives divexârit.

Argumentatio argumenti II. Profectio Piſonis in Provinciam, & res in ea geſtæ, & reditus in patriam, ſunt cum dedecore, & ſcelere conjuncta; igitur Piſo turpiter, ac nefariè Provinciam Conſularem geſſit. *Amplificatio, & Affectus.* Diſcedentem Ciceronem omnes ſunt & honore, & precationibus proſecuti, nullus Piſonem. Jam in exilio frequentiſſimus Senatus, ſplendidiſſimis decretis Ciceronem revocavit; Piſo in Provincia amiſſo exercitu, exercitis latrociniis, nunquam auſus de ſuis rebus monere Senatum, non triumphavit. Atque inſignis eſt hæc Piſonis, & Gabinii infamia,

Ego agrum Campanum, ſi dividi non oportuit, conſervavi; ſi oportuit, melioribus auctoribus reſervavi. Ego in C. Rabirio perduellionis reo, XL. annis ante me Conſulem, interpoſitam Senatûs authoritatem ſuſtinui contra invidiam, atque defendi. Ego adoleſcentes bonos, & fortes, ſed uſos ea conditione fortunæ, ut ſi eſſent Magiſtratus adepti, Reipublicæ ſtatum convulſuri viderentur, meis inimiciciis, nullâ Senatûs mala gratiâ, comitiorum ratione privavi.

5. Ego Antonium collegam, cupidum provinciæ, multa in Rempubl. molientem, patientiâ, atque obſequiô meô mitigavi. Ego provinciam Galliam, Senatûs authoritate, exercitu, & pecuniâ inſtructam, & ornatam, quam cum Antonio communicavi (quod ità exiſtimabam tempora Reipubl. ferre) in concione depoſui, reclamante pop. Romano. Ego L. Catilinam, cædem Senatûs, interitum urbis, non obſcurè, ſed palàm molientem, egredi ex urbe juſſi: ut, à quo legibus non potueramus, mœnibus tuti eſſe poſſemus. Ego tela extremo menſe conſulatûs mei, intenta jugulis civitatis, de conjuratorum nefariis manibus extorſi. Ego faces jam accenſas ad hujus urbis incendium comprehendi, protuli, extinxi.

6. Me Q. Catulus, princeps hujus ordinis, & auctor publici conſilii, frequentiſſimo Senatu Parentem Patriæ nominavit. Mihi hic vir clariſſimus, qui propter te ſedet, L. Gellius, his audientibus, civicam coronam deberi à Republ. dixit. Mihi togato Senatus, non, ùt multis, bene geſtæ; ſed, ùt nemini, conſervatæ Reipubl. ſingulari genere ſupplicationis Deorum immortalium templa patefecit. Ego cùm in concione abiens Magiſtratu, dicere à tribuno pl. prohiberer, quæ conſtitueram; cúmque is mihi tantummodò, ut jurarem, permitteret; ſinè ulla dubitatione juravi, Rempubl. atque hanc urbem meâ unius operâ eſſe ſalvam.

7. Mihi populus Romanus univerſus illa in concione, non unius dici gratulationem, ſed æternitatem, immortalitatémq; donavit; cùm meum juſjurandum tale, atque tantum, juratus ipſe una voce, & conſenſu approbavit. Quo quidem tempore is meus domum fuit è foro reditus; ut nemo,

nemo, nisi qui mecum non esset, civium esse in numero videretur. Atque ità est à me Consulatus peractus; ut nihil sinè consilio Senatûs, nihil non approbante populo Romano egerim; ut semper in Rostris Curiam, in Senatu populum defenderim; ut multitudiem cum principibus, Equestrem ordinem cum Senatu conjunxerim. Expositi breviter Consulatum meum.

8. Aude nunc ô furia de tuo dicere, cujus fuit initium ludi compitalitii, tum primùm facti post L. Metellum, & Q. Martium Coss. contra authoritatem hujus ordinis; Q. Metellus (facio injuriam fortissimo viro mortuo, qui illum, cujus paucos pares hæc civitas tulit, cum importuna bellua conferam) sed ille designatus Consul, cum quidam Tribunuspl. suô auxiliô magnos ludos contra Senatûsconsultum facere jussisset, privatus fieri vetuit; atque id, quod nondum potestate poterat, obtinuit auctoritate. Tu, cùm in Calendas Januar. compitalitiorum dies incidissent; Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuisset, ludos facere, & prætextatum volitare passus es; hominem impurum, atque non modò facie, sed etiam oculo tuo dignissimum.

9. Ergo his fundamentis positis consulatûs tui, triduo pòst inspectante, & tacente te, à P. Clodio, fatali portento prodigióque Reipubl. lex Ælia, & Fusia eversa est, propugnacula muríque tranquillitatis, atque otii. Collegia, non ea solùm, quæ Senatus sustulerat, restituta sunt; sed innumerabilia quædam nova, ex omni fæce urbis, ac servitio constituta. Ab eodem homine in stupris inauditis, nefariisque versato, vetus illa magistra pudoris, & modestiæ, severitas censoria sublata est; cùm tu interim bustum Reipublicæ, qui te Consulem tum Romæ dicis fuisse, verbô nunquam significâris sententiam tuam tantis in naufragiis civitatis.

10. Non-

8. Scelera Pisonis in Ciceronem, & Rempubl. enumerat 1. quòd ludos Compitalitios contra Senatûs consultum per Clodium renovari passus sit.

9. 2. Quòd legem Æliam, & Fusiam, & Censuram everti siverit, quod exaggerat ab harum legum, & censuræ imprimis antiquitate.

10. Nondum quæ feceris, ſed quæ fieri paſſus ſis, dico. Neque verò multum intereſt, præſertim in Conſule; utrum ipſe pernicioſis legibus, improbis concionibus Rempubl. vexet, an alios vexare patiatur. An poteſt ulla eſſe excuſatio, non dicam malè ſentienti; ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reipubl. motu Conſuli? centum propè annos legem Æliam, & Fuſiam tenueramus; quadringentos judicium, notationémque cenſoriam. Quas leges auſus eſt non nemo improbus, potuit quidem nemo unquam convellere, quam poteſtatem minuere; quò minùs de moribus noſtris quintô quoque annô judicaretur, nemo tam effusè perulans conatus eſt.

11. Hæc ſunt ô carnifex in gremio ſepulta Conſulatûs tui. Perſequere connexos his funeribus dies. Pro Aurelio tribunali, ne connivente quidem te, quod ipſum eſſet ſcelus; ſed etiam hilarioribus oculis, quàm ſolitus eras, intuente, delectus ſervorum habebatur ab eo, qui nihil ſibi unquam nec facere, nec pati turpe duxit: arma in templo Caſtoris, ô proditor templorum omnium! vidente te conſtituebantur ab eo latrone; cui templum illud fuit te Conſule arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum forenſis latrocinii, buſtum legum omnium, ac religionum. Erat non ſolùm domus mea, ſed totum palatium, Senatu, equitibus Romanis, civitate omni, Italiâ cunctâ refertum; cùm tu non modò ad eum Ciceronem (mitto enim domeſtica, quæ negari poſſunt: hæc commemoro, quæ ſunt palàm) non modò, inquam: ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam prærogativæ; quem in Senatu ſententiam rogabas tertium, nunquam aſpirâſti; ſed omnibus conſiliis, quæ ad me opprimendum parabantur, non interfuiſti ſolùm, verùm etiam crudeliſſimè præfuiſti.

12. Mihi verò ipſi coram genero meo, propinquo tuo,

11. 3. Quod ſervorum delectus haberi, arma in templum Caſtoris à Clodio comportari, Ciceronem ab eodem opprimi Conſul tulerit

12. Fictam ejus excuſationem rejicit; quippe temulentus poſtea improbiſſimè reſpondendo, & turpiſſimè ructando Ciceronem domô ejecit.

tuo, quæ dicere ausus es? egere, foris esse Gabinium; sine provincia stare non posse; spem habere à Tribunopl. si tua consilia cum illo conjunxisses; à Senatu quidem desperâsse. Hujus te cupiditati obsequi, sicuti ego feci̇ssem in collega meo. Nihil esse, quòd præsidium Consulum implorarem, sibi quemque consulere oportere. Atque hæc dicere vix audeo. vereor, ne qui sit, qui istius insignem nequitiam, frontis involutam integumentis, nondum cernat. Dicam tamen; ipse certè agnoscet, & cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur.

13. Meministine cænum, cùm ad te quinta ferè hora, cum C. Pisone venissem, nescio quo è gurgustio te prodire involuto capite, soleatum? & cùm isto ore fœtido terrimam nobis popinam inhalâsses, excusatione te uti valetudinis: quòd diceres, vinolentis te quibusdam medicaminibus solere curari? quam nos causam cùm accepissemus (quid enim facere poteramus?) paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore, atque fumo; unde tu nos cùm improbissimo respondendo, tum turpissimè eructando ejecisti.

14. Idem illo ferè biduò productus in concionem ab eo, cui sic æquatum præbebas Consulatum tuum; cùm esses interrogatus, quid sentires de Consulatu meo: gravis auctor, Calatinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Cesonius Semiplacentinus Caluentius, respondes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio: crudelitatem tibi non placere. Hic te ille homo dignissimus tuis laudibus collaudavit. Crudelitatis tu furcifer Senatum Consul in concione condemnas? non enim me, qui Senatui parui. Nam relatio illa salutaris, & diligens fuerat Consulis; animadversio quidem, & judicium, Senatûs; quæ cum reprehendis, ostendis, qualis tu, si ità fortè accidisset, fueris illo tempore Consul futurus. Stipendiò me hercule, & frumentô Catilinam esse putâsses juvandum.

15. Quid enim interfuit inter Catilinam, & eam, cui

14. 4. Quòd in concione non tam Ciceronem, quàm ipsum Senatum crudelitatis crimine condemnavit.

15. Digreditur Orator & Pisonem, Gabinium, Clodium, Catilinæ simillimos ostendit ab effectis, imò ipsò crudeliores, quia in-

cui tu Senatus auctoritatem, ſalutem civitatis, totam Rempᵘ provinciæ præmio vendidiſti? quem enim L. Catilinam conantem Conſul prohibui; ea P. Clodium facientem Conſules adjuverunt. Voluit ille Senatum interficere, vos ſuſtuliſtis: leges incendere, vos abrogâſtis: interire patriam vos adjuviſtis. Quid eſt vobis Conſſ. geſtum ſinè armis? incendere illa conjuratorum manus voluit urbem; vos ejus domum, propter quem urbs incenſa non eſt. Ac ne illi quidem ſi habuiſſent veſtri ſimilem Conſulem, de urbis incendio cogitâſſent. Non enim ſe tectis privare voluerunt; ſed his ſtantibus, nullum domicilium ſceleri ſuo fore putaverunt. Cædem illi civium, vos ſervitutem expetiſtis. His vos etiam crudeliores. Huic enim populo ità fuerat ante vos Conſſ. libertas inſita; ut emori potiùs, quàm ſervire præſtaret.

16. Illud verò geminum conſiliis Catilinæ, & Lentuli, quòd me domo mea expuliſtis; Cn. Pompejum domum ſuam compuliſtis. Neque enim me ſtante, & manente in urbis vigilia, neque reſiſtente Cn. Pompejo omnium gentium victore, unquam ſe illi Rempubl. delere poſſe duxerunt. A me quidem etiam pœnas expetiſtis, quibus conjuratorum manes mortuorum expiaretis; omne odium incluſum nefariis ſenſibus impiorum in me profudiſtis. Quorum ego furori nisi ceſſiſſem; in Catilinæ buſto vobis ducibus mactatus eſſem. Quòd autem majus indicium expectatis, nihil inter vos, & Catilinam interfuiſſe; quàm quòd eandem illam manum ex intermortuis Catilinæ reliquiis concitâſtis? quòd omnes undique perditos collegiſtis? quod in me carcerem effudiſtis? quòd conjuratos armâſtis? quòd eorum ferro meum corpus, atque omnium bonorum vitam, objicere voluiſtis? Sed jam redeo ad præclaram illam concionem tuam.

17. Tu es ille, cui crudelitas diſplicet? cui, cùm Senatus luctum, ac dolorem ſuum veſtis mutatione declarandum cenſuiſſet, cùm videres mœrere Rempublicam ampliſ-

ſuper Ciceronem domô ejecerunt, & Pompejum domum ſuam compulerunt.

17. 5. Quòd Senatum lugere, veſtémque mutare voluit, quòd crudele factum acri ironia, & comparatione barbarorum amplificat.

ampliſſimi ordinis luctu, ô noſter miſericors! quid facis? quod nulla in barbaria quisquam Tyrannus. Omitto enim illud; Conſulem edicere, ut Senatus ſenatûsconſulto ne obtemperet. Quo fœdius nec fieri, nec cogitari quicquam poteſt. Ad miſericordiam redeo ejus: cui nimis videtur Senatus in conſervanda patria fuiſſe crudelis.

18. Edicere eſt auſus cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat; ut Senatus, contrà quam ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret. Quis hoc fecit ulla in Scythia Tyrannus? ut eos, quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia: eripis lachrymas non conſolando, ſed minando. Quòd ſi veſtem non publico conſilio Patres conſcripti, ſed privato officio, aut miſericordiâ mutaviſſent; tamen id iis non licere per interdicta crudelitatis tuæ, poteſtatis erat non ferendæ. Cùm verò id Senatus frequens cenſuiſſet, ordines reliqui jam antè feciſſent; tu ex tenebricoſa popina Conſul extractus, cùm illa ſaltatrice tonſa, Senatum, Reipublicæ occaſum, atque interitum lugere vetuiſti.

19. At quærebat etiam paulò antè de me: quid ſuo mihi opus fuiſſet auxilio? cur non meis inimicis, meis copiis reſtitiſſem? quaſi verò non modò ego, qui multis ſæpè auxilio fuiſſem; ſed quiſquam tam inops fuerit unquam, qui iſto non modò propugnatore tutiorem ſe, ſed advocatô, aut adſtipulatore, paratiorem fore putaret. Ego iſtius pecudis, ac putidæ carnis conſilio ſcilicet, aut præſidio niti volebam? ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi, aut opis, aut ornamenti expectabam? Conſulem ego tum requirebam: Conſulem inquam, non illum quidem, quem in hoc animali invenire non poſſem, qui tantam Reipucl. cauſam gravitate, & conſilio ſuo tueretur; ſed qui tanquam truncus, atque ſtipes, ſi ſtetiſſet modò poſſet ſuſtinere

18. Dixerat Piſo, ejectum Ciceronem, quia à ſe opem non flagitârat, cui reſpondet, Conſulis ſe non ſtolidi Piſonis auxilio indiguiſſe.

19. Diſceſſiſſe autem, non quòd ſibi certamen eſſet (contra ac Metello contra Marium, ſed cum ignavis & Epicuræis, quos non timebat.

nere tamen titulum Conſulatûs. Cùm enim eſſet omnis cauſa illa mea Conſularis, & Senatoria; auxilio mihi opus fuerat, & Conſulis, & Senatûs: quorum alterum etiam ad perniciem meam erat à vobis Conſulibus converſum; alterum Reipubl. penitus ereptum. Attamen ſi conſilium exquiris meum, neque ego ceſſiſſem, & me ipſa ſuo complexu patria tenuiſſet: ſi mihi cum illo buſtuario gladiatore, & tecum, & cum collega tuo decertandum fuiſſet.

20. Alia enim cauſa præſtantiſſimi viri Q. Metelli fuit; quem ego civem meo judicio cum Deorum immortalium laude conjungo; qui C. illi Mario fortiſſimo viro, & Conſuli, & ſextùm Conſuli, & ejus invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum eſſe duxit. Quod mihi igitur certamen eſſet hujuſmodi? cum C. Mario ſcilicet? aut cum aliquo pari? an cum altero barbato Epicuro? cum altero Catilinæ laternario? quos neque hercule ego, neque ſupercilium tuum, neque collegæ tui cymbala, ac crotala fugi. Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus, ac fluctibus. Reipubl. navem gubernâſſem, ſalvámque in portu collocâſſem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum ſpiritum, pertimeſcerem.

21. Alios ego vidi ventos; alias proſpexi animo procellas; aliis impendentibus tempeſtatibus non ceſſi; ſed his unum me pro omnium ſalute obtuli. Itaque diſceſſu tum meo omnes illi nefarii gladii de manibus crudeliſſimis exciderunt. Cùm quidem tu, ô vecors, & amens cùm omnes boni abditi, inclusíque mœrerent, templa gemerent, tecta ipſa urbis lugerent; complexus es illud funeſtum animal, ex nefariis ſtupris, ex civili cruore ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum. Atque eodem in templo, eodem & loci veſtigio, & temporis, arbitria non mei ſolùm, ſed patriæ funeris abſtuliſti.

22. Quid

21. Sed quod alia ſibi pericula, & certamina impenderent à Trium viris Pompejo, Cæſare, Craſſo, quibus ceſſit cum luctu omnium, convivantibus bellis his Conſulibus. Nota elegantem Allegoriam.

22. Quid ego illorum dierum epulas, quid lætitiam, & gratulationem tuam, quid cum tuis ſordidiſſimis gregibus intemperantiſſimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus ſobrium, quis agentem aliquid, quod eſſet liberô dignum, quis denique in publico vidit? cùm collegæ tui domus cantu, & cymbalis perſonaret, eumque ipſe nudus in convivio ſaltares; in quo ne tum quidem, cùm illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem, fortunæ rotam pertimeſcebat. Hic autem non tàm concinnus helluo, nec tam muſicus, jacebat in ſuo Græcorum fœtore, atque vino. Quod quidem iſtius in illis Reipubl. luctibus, quaſi aliquod Lapitharum, aut Centaurorum convivium ferebatur; in quo nemo poteſt dicere, utrum iſte plus biberit, an vomuerit, an effuderit.

23. Tu etiam mentionem facies Conſulatûs tui? aut te fuiſſe Romæ Conſulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, in prætexta eſſe Conſulatum putas? quæ ornamenta etiam in ſex. Clodio te Conſule eſſe voluiſti. Hujus tu Clodiani canis inſignibus Conſulatum declarari putas? animô Conſulem eſſe oportet, conſiliô, fide, gravitate, vigilantiâ, curâ, toto denique munere conſulatûs. Ego Conſulem eſſe putem, qui Senatum eſſe in Republ. non putavit? & ſinè eo conſilio Conſulem nunquam, ſine quo Romæ ne Reges quidem eſſe potuerunt? Etenim illa jam omitto: cùm ſervorum delectus haberetur in foro; arma in templum Caſtoris luce & palam comportarentur; id autem templum ſublato auditu, revulſis gradibus, à conjuratorum reliquiis, atque à Catilinæ prævaricatore quondam, tum ultore, armis teneretur; cùm Equites Rom. relegarentur; viri boni lapidibus è foro pellerentur; Senatui non ſolùm juvare Rempublicam, ſed ne lugere quidem liceret; cùm civis is, quem ordo aſſentiente Italia, cunctisque gentibus, conſervatorem patriæ judicarat; nullo judicio, nulla lege, nullo more, ſervitiô, atque armis pelleretur: non dicam auxiliô veſtrô, quod verè licet dicere ſed certè ſilentiô; tum Romæ fuiſſe Conſules quiſquam exiſtimabit?

23. Aſſurgit Cicero, negátquæ vel Conſulem fuiſſe ſceleratum Piſonem, vel hoc nomine unquam dignum, inſigni definitione per negationem, & affirmationem amplificat.

24. Qui latrones igitur, ſiquidem vos Conſules? qui prædones, qui hoſtes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur? Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna majeſtas Conſulis. Non capiunt anguſtiæ pectoris tui; non recipit levitas iſta; non egeſtas animi, non infirmitas ingenii ſuſtinet; non inſolentia rerum ſecundarum, tantàm perſonam, tam gravem, tam ſeveram. Seplaſia me hercle, ùt dici audiebam, te ùt primùm aſpexit, Campanum Conſulem repudiavit. Audiêrat Decios, Magios, & de Taurea illo Jubellio aliquid acceperat. In quibus ſi moderatio illa, quæ in noſtris ſolet eſſe conſulibus, non fuit; at fuit pompa, fuit ſpecies, fuit inceſſus, ſaltèm Seplaſiâ dignus, & Capuâ.

25. Gabinium denique ſi vidiſſent Duum virum veſtri illi unguentarii, citiùs agnoviſſent. Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes, ceruſſatæque buccæ, dignæ Capuâ, ſed illa vetere. Nam hæc quidem, quæ nunc eſt, ſplendidiſſimorum hominum, fortiſſimorum virorum, optimorum civium, mihique amiciſſimorum multitudine redundat. Quorum Capuæ te prætextatum nemo aſpexit, qui non gemeret deſideriô mei; cujus conſiliô cùm univerſam Rempubl. tum illam ipſam urbem meminerant eſſe ſervatam. Me inauratâ ſtatuâ donârant; me patronum unum aſciverant; a me ſe habere vitam, fortunas, liberos, arbitrabantur. Me & præſentem contra latrocinium tuum ſuis decretis, legatiſque defenderunt; & abſentem Principe Cn. Pompejo referente, & de corpore Reipubl. tuorum ſcelerum tela revellente, revocârunt.

26. An tu eras Conſul, cùm in palatio mea domus ardebat, non caſu aliquo, ſed ignibus injectis, inſtigante te? Et quod in hac urbe majus unquam incendium fuit, cui

24. Neque Piſo eſt Conſul, qui ad tantum Magiſtratum nullam habet animi, vel corporis dignitatem ipſâ teſte Seplaſiâ, vel Capuâ.

25. Brevis, & lepida excurſio in comptum, ac delicatum Gabinium, & Capuanos unguentarios.

26. Neque Conſul eſt Piſo, qui incendit domos civium, cui nemo paret, vel aſſurgit, vel reſpondet.

cui non Consul subveniret? At tu illo ipso tempore apud socrum tuam propè a meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam patefeceras, sedebas, non extinctor, sed auctor incendii; & ardentes faces furiis Clodianis penè ipse Consul ministrabas. An vero reliquo tempore Consulem te quisquam duxit? quisquam tibi paruit, quisquam in curiam venienti assurrexit? quisquam consulenti respondendum putavit? numerandus est ille annus denique in Republica? cùm obmutuisset Senatus, judicia conticuissent, mœrerent boni, vis latrocinii vestri tota urbe volitaret? neque civis unus ex civitate, sed ipsa civitas, tuo & Gabinii sceleri, furoríque cessisset.

27. At ne tum quidem emersisti lutulente Cæsonine ex miserrimis naturæ tuæ sortibus; cùm experrecta tandem virtus clarissimi viri celeriter, & verum amicum, & optimè meritum civem, & suum pristinum civem requisivit. Neque est ille vir passus, in ea Reipubl. quam ipse decorârat, atque auxerat, diutiùs vestrorum scelerum pestem morari. Cùm tamen ille qualiscunque est, qui est ab uno te improbitate victus, Gabinius collegit ipse se; vix, sed collegit tamen; & contra suum Clodium primùm simulatè, deinde non libenter, ad extremum tamen pro Cn. Pompejo verè, vehementerque pugnavit. Quo quidem in spectaculo mira populi æquitas erat; uter eorum periisset, tanquam lanista, in ejusmodi pari lucrum fieri putabat; immortalem verò quæstum, si uterque cecidisset.

28. Sed ille tamen agebat aliquid, tuebatur auctoritatem sumi viri, erat ipse sceleratus, erat gladiator, cum scelerato tamen, & cum pari gladiatore pugnabat. Tu scilicet homo religiosus, & sanctus, fœdus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluisti. Caverat enim sibi ille sororius adulter, ut si tibi provinciam, si exercitum, si pecuniam ereptam ex Reipubl. visceribus dedisset; omnium suorum scelerum socium te, adjutorémque præberes. Itaque in ipso tumultu facti fasces, ictus ipse; quotidie tela, lapides, fugæ; deprehensus denique

27. Qui Gabiniô improbior, sed Pompeji gratiâ colligere, & Clodium suum nunquam deserere voluit.

nique cum ferro, ad Senatus is, quem ad Cn. Pompejum interimendum collocatum fuiſſe conſtabat.

29. Et quis audivit non modò actionem aliquam, aut relationem; ſed vocem omnino, aut querelam tuam? Conſulem tum te fuiſſe putas, cujus in Imperio, qui Rempubl. Senatûs authoritate ſervarât, fidémque in Italia, qui omneis omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat; is ſe in publico tutò ſtatuit eſſe non poſſe; An tum eratis Conſules, cùm, quacunque de re verbum facere cœperatis, aut referre ad Senatum, cunctus ordo reclamabat; oſtendebâtque nihil eſſe vos acturos, nisi priùs de me retuliſſetis cùm vos, quanquam fœdere obſtricti tenebamini, tamen cupere vos diceretis, ſed lege impediri.

30. Quæ lex privatis hominibus eſſe lex non videbatur; inuſta per ſervos, inciſa per vim, impoſita per latrocinium, ſublato Senatu, pulſis è foro bonis omnibus, captâ Republ. contra omnes leges, nullo ſcripta more. Hanc qui ſe metuere dicerent, Conſules; non dicam animi hominum, ſed faſti ulli ferre poſſunt; nam ſi illam legem non putabatis, quæ erat contra omnes leges; indamnati civis, atque integri capitis, bonorúmque tribunitia proſcriptio; hac tamen obſtricti pactione tenebamini; quis vos non modò Conſules, ſed liberos fuiſſe putet; quorum mens fuerit oppreſſa præmiô, lingua adſtricta mercede? ſi illam vos ſoli legem putabatis; quisnam vos Conſules tunc fuiſſe, aut nunc eſſe conſulares putet? qui ejus civitatis, in qua in principum numero vultis eſſe, non leges, non inſtituta, non mores, non jura nôritis.

31. **Argumentum II.** An cùm proficiſcebamini paludati in provincias, vel emptas, vel ereptas, Conſules vos quisquam putavit? Itaque credo, ſi minùs frequentiâ ſua

29. Qui referre juſſus ad Senatum de revocando Cicerone lege ſe Clodiâ impediri dicebat, quam nôrat injuſtam.

31. Argumentum II. *L. Piſo turpiter, & nefariè Provinciam adminiſtravit.* Probatur 1. Profectio Piſonis in Provinciam. 2. Res ibidem geſtæ. 3. Reditus inde in urbem cum dedecore, & ſcelere fuit conjunctus; ergo turpiter &c. *De Profectione* probatur ab oppoſito diſceſſus Ciceronis in exilium, quem honore omnes, & luctu proſecuti ſunt.

ſua veſtrum egreſſum ornando, atque celebrando, at ominibus ſaltèm bonis, ùt conſules; triſtiſſimis, ùt hoſtes, aut proditores, perſequantur. Túne etiam immaniſſimum, ac fœdiſſimum monſtrum auſus eſt meum diſceſſum illum, teſtem ſceleris, & crudelitatis tuæ, maledicti, & contumeliæ loco ponere; quo quidem tempore cepi, P. C. fructum immortalem veſtri in me & amoris, & Judicii; qui non admurmuratione, ſed voce, & clamore, abjecti hominis & ſemivivi furorem, petulantiamque fregiſtis.

32. Tu luctùm Senatûs, tu deſiderium equeſtris ordinis, tu ſqualloremItaliæ, tu curiæ taciturnitatem annuam, tu ſilentium perpetuum judiciorum, ac fori, tu cætera illa in maledicti loco pones, quæ meus diſceſſus Reipubl. vulnera inflixit? qui ſi calamitoſiſſimus fuiſſet; tamen miſericordiâ dignior, quam contumeliâ; & cum gloria potiùs eſſe conjunctus, quàm cum probro putaretur; atque ille dollor meus duntaxat, veſtrum quidem ſcelus, ac dedecus haberetur. Cùm verò (forſitan hoc, quod dicturus ſum, mirabile auditu eſſe videatur, ſed certè id dicam, quod ſentio) cùm tantis à vobis P. C. beneficiis affectus ſim, tantis honoribus, non modò illam calamitatem eſſe non duco; ſed, ſi quid mihi poteſt à Republ. eſſe ſejunctum, quod vix poteſt, privatim ad meum nomen augendum, optandam duco mihi fuiſſe illam, expectandámque fortunam.

33. Atque ut tuum lætiſſimum diem cum triſtiſſimo meo conferam: utrum tandem bono viro, & ſapienti optabilius putas, ſic exire à patria, ut omnes ſui cives ſalutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit? an quod tibi proficiſcenti evênit, ut omnes execrarentur, malè precarentur, unam tibi illam viam, & perpetuam eſſe vellent. Mihi medius fidius in tanto omnium mortalium odio, juſto præſertim, & debito, quævis fuga potiùs, quam ulla provincia eſſet optatior.

34. Sed perge porrò, nam illud meum turbulentiſſimum tempus profectionis, tuo tranquilliſſimo præſtat; quid conferam reliqua; quæ in te dedecoris plena fuerunt, in

34. *Derebus geſtis.* Amplificatur à diſſimili populi Rom. affectu. Ciceronem Senatus, una voce, ſplendidiſſimis decretis, comitiisque revocavit.

me dignitatis? Me Calend. Januar. qui dies post obitum, occasúmque nostrum Reipub. primus illuxit; frequentissimus Senatus, concursu Italiæ, referente clarissimo, atque fortissimo viro P. Lentulo, consentiente populo Romano, atque una voce revocavit. Me idem Senatus exteris nationibus; me legatis, magistratibúsque nostris, auctoritate sua, consularibus literis; non, ùt tu nuper dicere ausus es, orbatum patriâ; sed ùt Senatus illo ipso tempore appellavit, civem servatorémque Reipubl. commendavit. Ad meam unius salutem, Senatus auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui Rempubl. salvam esse vellent, Consulis voce, & literis implorandum putavit. Mei capitis servandi causâ, Romam uno tempore quasi signô datô Italia tota convenit. De mea salute P. Lentuli præstantissimi viri, atque optimi Consulis, Cn. Pompeji clarissimi, atque invictissimi civis, cæterorúmque principum civitatis, celeberrimæ, & gravissimæ conciones fuerunt.

35. De me Senatus ita decrevit, Cn. Pompejo auctore, & ejus sententiæ principe; ut, si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur; iísque verbis ea de me Senatûs auctoritate declarata est. ut nemini sit triumphus honorificentiùs, quàm mihi salus, restitutióque perscripta. De me cùm omnes Magistratus promulgâssent, præter unum Prætorem, à quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, prætérque duos de lapide emptos tribunos plebis, legem Comitiis Conturiatis tulit P. Lentulus Consul, de collegæ Q. Metelli sententia; quem mecum eadem Respubl. quæ in Tribunatu ejus disjunxerat, in Consulatu, virtute optimi, ac justissimi viri, sapientiáque conjunxit.

36. Quæ lex quemadmodum accepta sit, quid me attinet dicere? ex vobis audio, nemini civi ullam, quò minùs adesset, satis justam excusationem esse visam; nullis Comitiis unquam neque multitudinem hominum tantam, neque splendidiorem fuisse. Hoc certè video, quod indicant tabulæ publicæ; vos rogatores, vos directores, vos custodes fuisse tabularum; & quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excusatione, vel ho-

no-

noris; id in salute mea, nullo rogante, vos vestra sponte feciſtis.

37. Confer nunc, Epicure noſter, ex hara producte, non ex ſchola; confer, ſi audes, abſentiam tuam cum mea. Obtinuiſti provinciam Conſularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat. Nam lege Cæſaris juſtiſſima, atque optima, populi liberi planè, & verè erant liberi. Lege autem ea, quam nemo legem præter te, & collegam tuum putavit, omnis erat ibi Achaia, Theſſalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta; habebas exercitum tantum, quantum tibi non Senatus, aut populus Romanus dederat, ſed quantum tua libido conſcripſerat. Ærarium exhauſeras.

38. Quas res geſſiſti in Imperio, exercitu, provincia conſulari? quas res geſſerit, quæro? qui ut venit, ſtatim, (nondum commemoro rapinas, non exactas pecunias, non captas, non imperatas; non neces ſociorum, non cædem hoſpitum, non perfidiam, non immanitatem, non ſcelera prædico: mox ſi videbitur, ut cum fure, ut cum ſacrilego, ut cum ſicario diſputabo) nunc meam ſpoliatam fortunam conferam cum florente fortuna Imperatoris. Quis unquam provinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas ad Senatum literas miſerit? tantam verò provinciam cum tanto exercitu, Macedoniam præſertim, quæ tantis Barbarorum gentibus attingitur; ut ſemper Macedonibus Imperatoribus iidem fines provinciæ fuerint, qui gladiorum, atque pilorum. Ex qua aliquot Prætorio Imperio, Conſularis quidem nemo rediit, qui incolumis fuerit, qui non triumphârit. Et hoc novum. Multò illud magis. Appellatus eſt hic vulturius illius provinciæ (ſi Diis placet) Imperator.

39. Ne tum quidem, Paule noſter, tabulas Romam

37. Piſo tanto cum exercitu nihil in Provincia dignum geſſit, nisi quod rapinis exhauſit, & latrociniis, nihil ideo ad Senatum ſcribere auſus, minùs triumphum petere.

39. Irridet Piſonis reſponſum, qui ſe de victoriis ſuis ad Senatum ſcripſiſſe dixerat, quam reipſa miſerè vexârat, oppidáque, & exercitum amiſerat, ut adeò ejus literas amici ſupprimendas cenſuerint.

cum laurea mittere audebas? misi, inquit. Quis unquam recitavit? quis ut recitaretur, postulavit? nihil enim meâ refert, utrum tu conscientiâ oppressus scelerum tuorum nihil unquam ausus sis scribere ad eum ordinem, quem despexeras, quem afflixeras, quem deleveras; an amici tui tabulas abdiderint: iidémque suo silentio temeritatem, atque audaciam tuam condemnârint. Atque haud scio, an malim te videri nullo pudore fuisse in literis mittendis, an amicos tuos plus habuisse, & pudoris, & consilii; quam aut te videri prudentiorem fuisse, quàm soles, aut tuum factum son esse condemnatum judiciô amicorum.

40. Quòdsi non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis, in perpetuum tibi curiam præclusisses; quid tandem erat actum, aut gestum in tua provincia, de quo ad Senatum cum gratulatione aliqua scribi abs te oporteret? vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amissio? an sociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Thessalonicæ? an obsessio militaris vitæ? an exercitûs nostri interitus, ferrô, fame, frigore, pestilentiâ? Tu verò, qui ad Senatum nihil scripseris, ut in urbe nequior inventus es, quàm Gabinius; sic in provincia paulò tamen, quàm ille demissior.

41. Non ille gurges, atque helluo, natus abdomini suo, non laudi, atque gloriæ, cùm Equites Romanos in provincia, cùm publicanos nobiscum, & voluntate, & dignitate conjunctos, omnes fortunis, multos famâ, vitâque privâsset; cùm egisset aliud nihil in illo exercitu, nisi ut urbes depopularetur, agros vastaret, exhauriret domos; ausus est (quid enim ille non audeat?) à Senatu supplicationem per literas postulare. O Dii immortales? túne etiam, atque adeò vos geminæ voragines, scopulíque Reipublicæ, vos meam fortunam deprimitis? vestram extollitis? cùm de me ea Senatus consulta absente facta sint, eæ conciones habitæ, is motus fuerit municipiorum, & coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, ea collegiorum, ea denique generum, ordinúmque omnium; quæ

41. Exclamatione concludit indignans, suam exulis fortunam contemni, istorum Procoss. scelera extolli.

quæ ego non modò optare nunquam auderem, ſed cogitare non poſſem; vos autem ſempiternas fœdidiſſimæ turpidinis notas ſubieritis.

42. An ego, ſi te, & Gabinium cruci ſuffixos viderem, majore afficerer lætitia ex corporis veſtri laceratione, quàm afficior ex infamia? nullum eſt ſupplicium putandum, quo affici caſu aliquo etiam boni viri, fortéſque poſſunt. Atque hoc quidem etiam iſti tui dicunt voluptarii Græci: quos utinam ita audires, ùt erant audiendi. Nunquam te in tot flagitia ingurgitâſſes. Verùm audis in præſepibus; audis in ſtupris; audis in cibo, & vino. Sed dicunt iſti ipſi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt; ſapientem, etiamſi in Phalaridis tauro incluſus, ſuccenſis ignibus torreatur, dicturum tamen, ſuave illud eſſe; ſeſéque ne tantulum quidem commoveri. Tantam virtutis eſſe vim voluerunt, ut non poſſet unquam eſſe vir bonus non beatus.

43. Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? id meâ ſententiâ, quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti; ſuſcepta fraus, impedita, & oppreſſa mens, bonorum odium, nota inuſta à Senatu, amiſſio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginenſes, reſectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necaverunt, ſupplicio videtur affectus; nec C. Marius, quem Italia ſervata ab illo, demerſum in Minturnenſium paludibus; Africa devicta ab eodem expulſum, & naufragum vidit. Fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ. Supplicium autem eſt pœna peccati. Neque verò ego ſi unquam vobis mala precarer, quod ſæpè feci; in quo Dii immortales meas preces audiverunt, morbum, aut mortem, cruciatum precarer. Thyeſtea iſta execratio eſt, Poëtæ, vulgi animos, non ſapientum moventis: ut tu naufragio expulſus, uſpiam ſaxis fixus aſperis, eviſceratus, latere penperes (ùt ait ille) ſaxa ſpargens tabo, ſanie, & ſanguine atro.

42. Rurſus excurrens negat ipſorum Epicuræorum authoritate, exilium, aut mortem, aut naufragium, aut aliquod ſupplicium habendum, aut etiam forti, ac bono viro caſu aliquo obvenire poſſit.

43. Confirmatur exemplis M. Reguli, C. Marii, M. Marcelli.

44. Non ferrem omnino moleſtè, ſi ita accidiſſet; ſed id tamen eſſet humanum. M. Marcellus, qui ter Conſul fuit, ſumma virtute, pietate, gloria militari, periit in mari. Qui tamen ob virtutem, gloriâ, & laude vivit. In fortuna quadam eſt illa mors, non pœna putanda. Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium, quæ ſaxa? quæ cruces? Ecce duos duces in provinciis populi Romani habere exercitus, appellari Imperatores; alterum ſic fuiſſe infirmatum conſcientiâ ſcelerum, & fraudum ſuarum; ut ex ea provincia, quæ ex omnibus una maximè triumphalis, nullam ſit ad Senatum literam mittere auſus. Ex qua provincia modò vir omni dignitate ornatiſſimus L. Torquatus, magnis rebus geſtis, me referente abſens Imperator eſt appellatus; unde his paucis annis Cn. Dolabellæ, C. Curionis, M. Luculli juſtiſſimos triumphos vidimus; ex qua te Imperatore nuncius ad Senatum allatus eſt nullus. Ab altero allatæ literæ, recitatæ, relatum ad Senatum.

45. Dii immortales! id ne ego optarem, ut inimicus meus, ea, quâ nemo unquam, ignominiâ notaretur? ut Senatus is, qui in eam jam benignitatis conſuetudinem venit; ut eos, qui bene Rempubl. geſſerint, novis honoribus afficiat, & numerô dierum, & genere verborum; hujus unius literis nunciantibus non crederet? poſtulantibus denegaret? his ego rebus paſcor, his delector, his perfruor; quòd de vobis ordo hic opinatur non ſecus, ac de teterrimis hoſtibus; quòd vos Equites Romani, quòd cæteri ordines, quòd cuncta civitas odit; quòd nemo bonus, nemo denique civis eſt, qui modò ſe civem eſſe meminerit; qui vos non oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſperpetur; recordatione denique ipſa Conſulatûs veſtri perhorreſcat.

46. Hæc ego ſemper de vobis expetivi; hæc optavi;

44. At ſupplicium ait eſſe nocenti, & conſcio ſceletum, & fraudum; Piſoni quidem, qui amiſsâ famâ, & dignitate, nec ad Senatum ſcribere auſus eſt, nec ut Imperatores alii triumphare.

45. Et Gabinio, cujus literis Senatus non credidit, cujus Conſulatus odio eſt omnibus, cujus furor, & inſania, ùt Piſonis eſt ſempiterna.

46. Hæc ſupplicia, & pœnas ſcelerum infligi à Diis oſtendit è

vi; hæc precatus fum. Plura etiam acciderunt, quàm vellem. Nam ut amitteretis exercitum, nunquam me hercule optavi. Illud etiam accidit præter optatum meum, ſed valde ex voluntate. Mihi enim non venerat in mentem, furorem, & inſaniam optare vobis, in quam incidiſtis. Atque fuit optandum: me tamen fugerat Deorum immortalium has eſſe inimpios, & conſceleratos pœnas acerbiſſimas conſtitutas. Nolite enim putare P. C. ùt in ſcena videtis, homines conſceleratos impulſu Deorum terreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia, de ſanitate, ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.

47. Ego te non vecordem, non furioſum, non mente captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem? qui ſis auſus primùm facere (nam id eſt caput) deinde paulò antè, Torquato graviſſimo, & ſanctiſſimo viro premente, confiteri; te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportâſſes, ſine ullo milite reliquiſſe? mirto de amiſſa maxima parte exercitûs; ſit hoc infelicitatis tuæ. Dimittendi verò exercitûs quam potes afferre cauſam? quam poteſtatem habuiſti? quam legem, quod Senatûs conſultum? quod jus? quod exemplum? quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines? non cognoſcere leges, non Senatum, non civitatem? cruentare corpus ſuum? major hæc eſt vitæ, famæ, ſalutis ſuæ vulneratio.

48. Si familiam tuam dimiſiſſes; quod ad neminem, niſi ad ipſum te pertineret; amici te tui conſtringendum putarent. Præſidium tu populi Romani, cuſtodiam provinciæ, injuſſu populi, Senatúsque dimiſiſſes, ſi tuæ mentis compos fuiſſes? Ecce tibi alter, effusâ jam maximâ prædâ, quam ex fortunis publicanorum, ex agris, urbibúsque ſociorum exhauſerat; cùm partim ejus prædia profundæ libidines devorâſſent; partim nova quædam, & inaudita luxuries; partim etiam in illis locis, ubi omnia diripuit,

fabulis, ut creſcat Piſonis infamia, qui non ſolùm amiſit, ſed contra leges, jura, exempla dimiſit exercitum Rom.

48) Inde extollitur Gabinii furor, qui Syriâ direptâ, ſeipſum, & exercitum Rom. contra leges Regi Ægyptio vendidit.

puit, emptiones; partim permutationes ad hunc Tuſculanum montem extruendum; cùm jam ageret, cùm illa ejus intermiſſa incredibilis ædificatio conſtitiſſet, ſeipſum, faſces ſuos, exercitum populi Romani, numen, interdictúmque Deorum immortalium, reſponſa Sacerdotum, auctoritatem Senatûs, juſſa populi, nomen, ac dignitatem imperii, Regi Ægyptio vendidit.

49. Cùm fines provinciæ tantos haberet, quantos voluerat, quantos optaverat, quantos pretio mei capitis emerat, his ſe tenere non potuit. Exercitum eduxit ex Syria. Quî licuit extra provinciam? præbuit ſe mercenarium comitem Regi Alexandrino. Quid hoc turpius? In Ægyptum venit: ſigna contulit cum Alexandrinis. Quando hoc bellum, aut hic ordo, aut populus ſuſceperat? cepit Alexandriam. Quid aliùd expectamus à furore ejus? niſi ut ad Senatum tantis de rebus geſtis literas mittat.

59. Hic ſi mentis eſſet ſuæ, niſi pœnas patriæ, Diisque immortalibus eas, quæ graviſſimæ ſunt, furore, atque inſania penderet, auſus eſſet, (mitto exire de provincia) educere exercitum, bellum ſua ſponte gerere; in regnum injuſſu populi, ac Senatûs accedere? quæ cùm plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia Majeſtatis, Julia de pecuniis repetundis, planiſſimè vetant. Sed hæc omitto. Ille, ſi non acerrimè fureret, auderet, quam provinciam P. Lentulus amiciſſimus huic ordini, cùm & auctoritate Senatûs, & ſorte haberet, interpoſita religione ſine ulla dubitatione depoſuiſſet, eam ſibi tum adſciſcere? cùm etiam ſi religio non impediret, majorum tamen & exempla, & graviſſimæ legum pœnæ vetarent.

51. Sed quoniam fortunarum contentionem facere cœpimus, de reditu Gabinii omittamus; quem etſi ſibi ipſe præcidit, ego tamen, os ut videam hominis, expecto. Tuum, ſi placet, reditum cum meo conferamus. At meus quidem is fuit, ut Brundufio uſque Romam agmen perpetuum totius Italiæ viderem. Neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque præfectura, aut colonia; ex qua non

51. *De reditu Piſonis in patriam.* Hic amplificatur à comparatione reditûs Ciceronis, quem ipſe per enumerationem latè, & magnificè deſcribit.

non ad me publicè venerint gratulatum. Quid dicam adventus meos? quid effusiones hominum ex oppidis? quid concursum ex agris patrumfamilias cum conjugibus, ac liberis? quid eos dies, qui, quasi Deorum immortalium, festi, atque solennes apud omnes sunt adventu meo, reditúque celebrati?

52. Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii, cùm Senatum egressum vidi, populúmque Romanum universum; cùm mihi ipsa Roma propè convulsa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum progredi visa est. Quæ me ita accepit, ut non modò omnium generum, ætatum, ordinum, omnes viri, ac mulieres, omnis fortunæ, ac loci; sed etiam mœnia ipsa viderentur, & tecta urbis, & templa lætari. Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, quâ tu me expuleras, quam expilâras, quam incenderas, Pontifices, Consules, Prætores collocaverunt; mihíque; quòd ante me memini, pecuniâ publicâ ædificandam domum censuerunt.

53. Habes reditum meum. Confer nunc vicissim tuum; quandoquidem amisso exercitu nihil incolume domum, præter os pristinum tuum retulisti. Qui primùm quâ veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis scit? quos tu Mæandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diverticula, flexionésque quæsisti? quòd te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hospes aspexit? nónne tibi nox erat pro die? solitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non ut redire ex Macedonia nobilis Imperator, sed ut mortuus infamis referri videretur. Romam verò ipsam fœdavit adventus tuus. O familiæ non dicam Calpurniæ, sed Calventiæ; neque hujus urbis, sed Placentini municipii; neque paterni generis, sed Braccatæ cognationis dedecus, quemadmodum venisti? quis tibi, non dicam horum, aut civium cæterorum, sed tuorum legatorum obviam venit?

54. Mecum enim L. Flaccus vir tua legatione indignissimus; atque iis consiliis, quibus mecum in Consulatu

53. Piso contra redit sine exercitu obscurus, à nullo invitatus, cui nec Legati quidem ipsius, aut Candidati obviam ierint.

tu meo conjunctus fuit, ad conservandam Rempublicam dignior; mecum fuit tum, cùm te quidam non longè à porta cum lictoribus errantem visum esse narrabat. Scio item virum fortem, imprimis belli, ac rei militaris peritum, familiarem meum Q. Marcium, quorum tu legatorum prælio Imperator appellatus eras, cùm longè abfuisses, adventu isto tuo domi fuisse otiosum. Sed quid ego enumero, qui tibi obviam non venerint?

55. Quid dico venisse penè neminem, ne de officiosissima quidem natione candidatorum; cùm vulgò essent, & illo ipso, & multis antè diebus amici admoniti, & rogati. Togulæ lictoribus ad portam præstò fuerunt, quibus illi acceptis, fasula rejecerunt; catervam Imperatori suo novam præbuerunt. Sic iste à tanto exercitu, tanta provincia, triennio pòst Macedonicus Imperator in urbem se intulit; ut nullius negotiatoris obscurissimi reditus unquam fuerit desertior. In quo me tamen, qui esset paratus ad se defendendam, reprehendit. Cùm ego eum Cœlimontana introisse dixissem; responsione me, in Esquilina introisse, homo promptus lacessivit. Quasi verò id aut ego scire debuerim, aut vestrum quispiam audierit, aut ad rem pertineat, quâ tu portâ introieris, modò ne triumphali; quæ porta Macedonicis semper Pro-Consulibus ante te patuit. Tu inventus es, qui consulari Imperio præditus, ex Macedonia non triumphares.

56. At audistis P. C. Philosophi vocem, negavit se triumphi cupidum unquam fuisse. O scelus, ô pestis, ô labes! cum extinguebas Senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas Tribunopl. Consulatum tuum, Rempublicam evertebas, prodebas caput, & salutem meam mercede prnvinciæ; si triumphum non cupiebas, cujus tandem te rei cupiditate arsisse defendes? sæpè enim vidi, qui & mihi, & cæteris cupidiores provinciæ viderentur, triumphi

55. Præcipuè Pisonem vituperarat, quòd è Consulari Provincia sine triumpho redierit, ac primùm jocatur, quâ portâ intrârit nobilis Imperator.

56. Dixerat Piso, se triumphi nunquam cupidum fuisse. Reponit Orator dilemmate.

phi nomine tegere, atque velare cupiditatem suam. Hoc modo Decius Silanus Consul in hoc ordine, hoc meus etiam collega dicebat. Neque enim quisquam potest exercitum cupere, apertéque petere; ut non prætexat cupiditatem triumphi.

57. Quòd si te Senatus, si populúsque Romanus, aut non appetentem, aut etiam recusantem, bellum suscipere, exercitum ducere coëgisset; tamen erat angusti animi, atque demissi, justi triumphi honorem, dignitatémque contemnere. Nam ut levitatis est, inanem aucupari rumorem; aut omneis umbras etiam falsæ gloriæ consectari; sic levis est animi, lucem, splendorémque fugientis, justam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. Cùm verò non modò non postulante, atque cogente, sed invito, atque oppresso Senatu; non modò nullo populi Romani studio, sed nullo ferente suffragium libero; provincia tibi ista manupretium fuerit, eversæ per te, & perditæ civitatis; cúmque omnium scelerum hæc pactio extiterit, ut si tu totam Rempublicam nefariis latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, traderetur; cùm exhauriebas ærarium; cùm orbabas Italiam juventute, cùm mare vastissimum hyeme transibas; si triumphum contemnebas, quæ te prædo amentissimè, nisi prædæ, ac rapinarum cupiditas tam cæca rapiebat?

58. Non est integrum Cn. Pompejo consilio jam uti tuo. Erravit enim, non gustârat istam tuam Philosophiam; ter jam homo stultus triumphavit; Crasse pudet me tui. Quid est, quòd confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à Senatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non audistis tam doctum hominem, tam eruditum, priùs quàm in istum errorem induceremini? C. ipsi Pontinio necessario meo jam non est integrum. Religionibus enim susceptis impeditur. O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! amentem Paulum, Rusticum Marium, nullius consilii patres horum amborum Consulum, qui triumphârint.

59. Sed

58. Opponit Orator summos viros, qui è Provinciis cupidissimè triumphârunt.

59. Sed quoniam præterita mutare non possumus; quid cessat hic homulus, ex argilla, & luto fictus Epicuræus, dare hæc præclara præcepta sapientiæ clarissimo, & summo Imperatori genero suo? Fertur ille vir, mihi crede, gloriâ; flagrat, ardet cupiditate justi, & magni triumphi; non dicit eadem ista, quæ tu. Mitte ad eum libellum, & si jam ipse coràm congredi poteris, meditare, quibus verbis incensam illius cupiditatem comprimas, atque restinguas. Valebis apud hominem volitantem gloriæ cupiditate vir moderatus, & constans; apud indoctum eruditus, apud generum socer. Dices enim, ùt es homo facetus, ad persuadendum continuus, perfectus, politus è schola. Quid est Cæsar, quòd te supplicationes toties decretæ, tot dierum, tam opere delectent? in quibus homines errore ducuntur, quas Dii negligunt; qui (ùt vester divinus ille dixit Epicurus) neque propitii cuiquam esse solent, neque irati. Non faciés fidem scilicet, cùm hæc disputabis. Tibi enim & esse, & fuisse videbit iratos.

60. Vertes te ad alteram scholam; differes te triumpho. Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis, & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista, mihi crede, delectamenta penè puerorum; captare plausus; vehi per urbem, conspici velle. Quibus ex rebus nihil est. quod solidum tenere, nihil, quod referre ad voluptatem corporis possis.

61. Quin in me vides, qui, ex qua Provincia T. Flamineus, L. Paulus, Q. Metellus. V. Didius, innumerabiles alii levi cupiditate commoti triumphârunt; ex ea sic redii, ut ad portam Esquilinam Macedonicam lauream conculcarim; ipse cum hominibus quindecim malè vestitis ad portam Cœlimontanam sitiens pervenerim. Quo in loco, mihi libertus, præclaro Imperatori, domum, ex hac die biduo antè conduxerat; quæ vacua si non fuisset, in campo Martio mihi tabernaculum collocâssem. Nummus interea

59. Facetissimâ Prosopopæjâ inducit Pisonem hortantem generum Cæsarem gloriæ avidissimum, ne supplicationes, aut triumphos petat, sed spolio Provinciarum contentus sit.

terea mihi, Cæsar, neglectis ferculis triumphalibus, domi manet, & manebit. Rationes ad ærarium continuò, sicut tua lex jubebat, detuli; neque alia ulla in re legi tuæ parui. Quas rationes si cognôris, intelliges, nemini plùs quàm mihi literas profuisse. Ita enim sunt perscriptæ scitè, & literatè; ut scriba, ad ærarium qui eas retulit, perscriptis rationibus secum ipse caput sinistra manu perfricans, commurmuratus sit: Ratio quidem herclè apparet; argentum οἴχεται. Hac tu oratione non dubito, quin illum jam ascendentem in currum revocare possis.

62. O tenebræ, ô lutum, ô sordes, ô paterni generis oblite, materni vix memor! ita nescio, quid istud fractum, humile, demissum, sordidum inferius etiam est, quàm ut Mediolanensi præcone avo tuo dignum esse videatur. L. Crassus homo sapientissimus nostræ civitatis, spiculis propè scrutatus est Alpes; ut, ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quæreret. Eadem cupiditate vir summô ingeniô præditus C. Cotta, nullo certo hoste flagravit. Eorum neuter triumphavit; quòd alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Irrisa est abs te paulò antè M. Pisonis cupiditas triumphandi; à qua re te longè dixisti abhorrere. Qui etiam si minus magnum bellum gesserat, ut abs te dictum est; tamen istum honorem contemnendum non putavit. Tu eruditior, quàm Piso, prudentior, quàm Cotta, abundantior consiliô, ingeniô, sapientiâ, quàm Crassus, ea contemnis, quæ illi idiotæ, ut tu appellas, præclara duxerunt.

63. Quòd si reprehendis, quòd cupidi laureæ fuerint; cùm bella, aut parva, aut nulla gessissent; ut tantis nationibus subactis, tantis rebus gestis, minimè fructum laborum tuorum, præmia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti. Neque verò contempsisti, sis licèt Themistâ sapientior, sed os tuum ferreum Senatûs convitio verberari noluisti. Jam vides, quoniam quidem ita mihimet fui inimicus, ut me tecum compararem; & digressum meum, & absentiam, & reditum meum ita longè tuo præ-

62. Exclamat in laudes L. Crassi, L. Cottæ, M. Pisonis, ac brevi Anacephaleosi tres Enthymematis partes concludit.

ſtitiſſe; ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint tibi ſempiternam turpitudinem inflixerint.

64. **Argumentum II.** Nunc etiam in hac quotidiana, aſſidua, urbanáque vita ſplendorem tuum, gratiam, celebritatem domeſticam, operam forenſem, conſilium, auxilium, authoritatem, ſententiam ſenatoriam, nobis, aut ut veriùs dicam, cuiquam es infirmo, ac deſperatiſſimo antelaturus? Age, Senatus odit te, quod eum tu facere jure concedis, afflictorem, & proditorem non modò dignitatis, & authoritatis, ſed omnino ordinis, ac nominis ſui; videre Equites Rom. non poſſunt; quo ex ordine vir præſtantiſſimus L. Ælius eſt, te Conſule, relegatus: plebs Romana perditum cupit, in cujus tu infamiam ea, quæ per latrones, per ſervos de me egeras, contuliſti: Italia cuncta execratur, cujus idem tu ſuperbiſſimè decreta, & preces repudiâſti.

65. Fac hujus odii tanti, ac tam univerſi periculum, ſi audes. Inſtant poſt hominum memoriam apparatiſſimi, magnificentiſſimíque ludi, quales non modò nunquam fuerunt; ſed ne quomodo fieri quidem poſthac poſſint, poſſum ullo pacto ſuſpicari. Da te populo, committe ludis. Sibilum metuis? Ubi ſunt veſtræ ſcholæ? ne acclametur? ne id quidem eſt curare Philoſophi. Manus tibi ne afferantur, times. Dolor enim eſt malum, ùt diſputas. Exiſtimatio, dedecus, in famia, turpitudo, verba, atque ineptiæ. Sed de hoc non dubito; non audebit accedere ad ludos. Convivium publicum non dignitatis cauſâ inibit, niſi fortè, ùt cum P. Clodio, hoc eſt, cum amoribus ſuis, cœnet, ſed planè animi ſui cauſâ.

66. Ludos nobis idiotis relinquet. Solet in diſputationibus ſuis oculorum, & aurium delectationi, abdominis

64. **Argumentum II.** *Piſo privatim multa egit nequiter, luxuriosè, crudeliter, avarè.* Probatur: L. Piſo odio eſt omnibus propter ſua ſcelera, & ſordidas libidines, & crudelitatem, & avaritiam: Ergo L. Piſo privatim multa egit nequitèr, luxuriosè, crudeliter, avarè. Antecedens diſtributione ornatur.

65. Urgetur etiam ironicè conſcientia Epicurai Piſonis, qui vel non audebat ad ludos Pompei accedere, vel ſpectacula conviviis poſtponebat.

minis voluptates anteferre. Nam quòd vobis iſte tantummodo improbus, crudelis olim furunculus, nunc verò rapax; quòd ſordidus, quòd contumax, quòd ſuperbus, quòd fallax, quòd perfidioſus, quòd imprudens, quòd audax eſſe videatur; nihil ſcitote eſſe luxurioſius, nihil libidinoſius, nihil protervius, nihil nequius. Luxuriam autem in iſto nolite hanc cogitare.

67. Eſt enim quædam, quamquam omnis eſt vitioſa, atque turpis, tamen ingenuô, ac liberô dignior. Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquiſitum (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quidquam præter libidines ſumptuoſum. Toreuma nullum, maximi calices, & hi ne contemnere ſuos videatur, Placentini: extructa menſa, non conchyliis, aut piſcibus, ſed multa carne ſubrancida: ſervi ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes: idem coquus, idem atrienſis: piſtor domi nullus: nulla cella: panis, & vinum à propola, atque de culpa: Græci ſtipati, quini in lectulis, ſæpè plures: ipſe ſolus bibiturus, quæ eodem de ſolio miniſtrentur. Ubi galli cantum audivit, avum ſaum revixiſſe putat; menſam tolli juber.

78. Dicet aliquis, unde tibi hæc nota ſunt? non me hercules contumeliæ causâ deſcribam quemquam, præſertim ingenioſum hominem, atque eruditum. cui generi eſſe ego iratus, ne ſi cupiam quidem, poſſum. Eſt quidam Græcus, qui cum iſto vivit; homo, ut verè dicam (ſic enim cognovi) humanus; ſed tamdiu, quamdiu cum aliis eſt, aut ipſe ſecum. Is cùm ipſum adoleſcentem jam tum cum hac Diis irata fronte vidiſſet; non faſtidivit ejus amicitiam, cùm eſſet præſertim appetitus; dedit ſe in conſuetudinem, ſic, ut prorſus unà viveret, nec ferè ab iſto unquam diſcederet. Non apud indoctos, ſed, ut ego arbitror, in hominum eruditiſſimorum, & humaniſſimorum cœtu loquor. Audiſtis profectò dici, philoſophos Epicureos omneis res, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate metiri. Rectè an ſecus, nihil

67. Iſta porrò luxurioſi Piſonis ſordidiſſima convivia lepidâ Hypotypoſi deſcribit.

68. Et confirmat teſtimoniô Menedemi, qui ejus libidines verſibus deſcripſit.

ad nos; aut si ad nos, nihil ad hoc tempus. Sed tamen lubricum genus orationis, adolescenti non acriter intelligenti sæpè præceps.

69. Itaque admissarius iste, simul atque audivit à philosopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiscatus est; sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic ad illius hanc orationem adhinniit; ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis à se illum inventum a bitraretur. Græcus primò distinguere, atque dividere illa, quemadmodum dicerentur. Iste claudus (quomodo ajunt) pilam retinere; quod acceperat, testificari; tabulas obsignare velle; Epicurum disertum dicere; & tamen dictum opinor se nullum bonum intelligere posse, demptis corporis voluptatibus. Quid multa? Græcus facilis, & valde venustus, nimis pugnax contra Senatorem populi Rom. esse noluit.

70. Est autem hic, de quo loquor, non Philosophiâ solùm, sed etiam cæteris studiis, quæ ferè cæteros Epicuræos negligere dicunt, perpolitus. Poëma porrò facit ita festivum, ita continuum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius. In quo reprehendat eum licet, si quid vult: modò leviter, non ùt improbum, non ùt audacem, non ùt impurum, sed ùt Græculum, ut assentatorem, ùt poëtam. Devenit, aut potiùs incidit in istum, eodem deceptus supercilio Græcus, atque advena; quo tam sapiens, & tanta civitas. Revocare se non poterat familiaritate implicatus; & simul inconstantiæ famam verebatur. Rogatus, invitatus, coactus, ita multa ad istum de isto scripsit, ut omnes libidines, omnia stupra, omnia cœnarum, conviviorúmque genera, adulteria denique ejus, delicatissimis versibus expresserit.

In quibus, si quis velit, possit istius tanquam in speculo vitam intueri. Ex quibus multa à multis lecta, & audita recitarem; nisi vererer, ne hoc ipsum genus orationis, quô nunc utor, ab hujus loci more abhorreret, & simul de ipso, qui script, detrahi nolo. Qui, si fuisset in discipulo comparando meliore fortunâ, fortasse austerior, & gravior esse potuisset. Sed eum casus in hanc consuetudinem scribendi induxit, philosopho valdè indi-

indignam ; ſi quidem Philoſophia, ut fertur, virtutis continet, & oficii, & bene vivendi diſciplinam. Quam qui profitetur, graviſſimam ſuſtinere mihi perſonam videtur.

72. Sed idem caſus illum ignarum, quid profiteretur, cùm ſe Philoſophum eſſe diceret, iſtius impuriſſimæ, ac intemperantiſſimæ pecudis cœno, & ſordibus inquinavit ; qui modò res geſtas Conſulatûs mei cùm laudaviſſet ; (quæ quidem laudatio hominis turpiſſimi mihi ipſi erat penè turpis.) Nec ulla tibi, inquit, invidia nocuit, ſed verſus tui Nimis magna pœna, te conſule, conſtituta eſt, ſive malo Poëtæ, ſive libero. Scripſiſti enim : *Cedant arma togæ.* Quid tum ? hæc res tibi fluctus illos excitavit. At hoc nuſquam opinor ſcriptum fuiſſe in illo elogio, quod te Conſule in ſepulchro Reipublicæ inciſum eſt : Velitis, jubeatis, ut, quòd M. Cicero verſum fecerit ; ſed, quod vindicârit.

73. Veruntamen, quoniam te non Ariſtarchum, ſed Phalarim grammaticum habemus ; qui non notam apponas ad malum verſum, ſed Poëtam armis perſequare ; ſcire cupio, quid tandem iſto in verſu reprehendas, Cedant arma togæ ? tuæ dicis, inquit, togæ ſummum Imperatorem eſſe ceſurum. Quid nunc te, aſine, literas doceam? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus. Non dixi hanc togam, quâ ſum amictus ; nec arma, ſcutum, & gladium unius Imperatoris. Sed quod pacis eſt inſigne, & otii toga ; contra autem arma, tumultûs atque belli ; more Poëtarum locutus, hoc intelligi volui, bellum, ac tumultum paci, atque otio conceſſurum.

74. Quære ex familiari tuo Græco illo poëta ; probabit genus ipſum, & agnoſcet ; neque te nihil ſapere mirabitur. At in altero illo, inquit, hæres : concedat laurea laudi. Imò me hercule habeo tibi gratiam. Hærerem enim, niſi tu me expediſſes. Nam cùm timidus, ac tremens, tuis ipſe furaciſſimis manibus detractam cruentis

72. Occaſione verſuum horum prolixè digreditur Cicero in ſuum verſum : *cedant arma togæ. &c.* Quo Piſo Cæſarem, & pompeium à Cicerone alienatos dixerat. Primum jocoſo Dialogiſmo ſenſum hujus versûs Piſoni explicat.

faſcibus lauream ad portam Eſquilinam abjeciſti; indicâſti, non modò ampliſſimæ, ſed etiam minimè laudi lauream conceſſiſſe. Atque iſtâ ratione hoc tamen intelligi, ſcelerate, vis, Pompejum inimicum mihi iſto verſu eſſe factum; ut ſi verſus mihi nocuerit, ab eo, quem is verſus offenderit, videatur mihi pernicies eſſe quæſita.

75. Omitto, nihil iſtum verſum pertinuiſſe ad illum; non fuiſſe meum, quem quantum potuiſſem multis ſæpè orationibus, ſcriptiſque decoraviſſem, hunc uno violare verſu. Sed ſit offenſus primò; nónne compenſabit cum uno verſiculo tot mea volumia laudum ſuarum? quòd ſi eſt commotus; ad perniciémne, non dicam amiciſſimi, non ita de ſua laude meriti, non ità de Republica, non Conſularis, non Senatoris, non civis, non liberi; in homines caput ille tam crudelis propter verſum fuiſſet? tu quid, tu apud quos, tu de quo dicas, intelligis? complecteris ampliſſimos viros ad tuum, & Gabinii ſcelus: neque id occultè. Nam paulò ante dixiſti, me cum iis confligere, quos deſpicerem; non attingere eos, qui plùs poſſent, quibus iratus eſſe deberem. Quorum quidem (quis enim non intelligit, quos dicas?) quamquam non eſt una cauſa omnium, tamen eſt omnium mihi probata.

76. Me Cn. Pompejus, multis obſiſtentibus ejus erga me ſtudio, atque amori, ſemper dilexit; ſemper ſua conjunctione digniſſimum judicavit; ſemper non modò incolumem, ſed etiam ampliſſimum, atque ornatiſſimum voluit eſſe. Veſtræ fraudes, veſtrum ſcelus, veſtræ criminationes inſidiarum mearum, illius periculorum, nefariè fictæ; ſimul eorum, qui familiaritatis licentiâ, ſuorum improbiſſimorum ſermonum domicilium, in auribus ejus impulſu veſtro collocaverunt; veſtræ cupiditates provinciarum effecerunt, ut ego excluderer; omnésque, qui me, qui illius gloriam, qui Rempubl. ſalvam eſſe cupiebant, ſermone, atque aditu prohiberentur.

77. Qui-

75. Deinde tantum abeſt, ut propterea iratus fuerit Pompejus, quem Cicero toties laudarat, quin potius is Ciceronem ſemper dilexit, & quamvis obſiſtentibus improbis, ipſi opem ferre voluit.

77. Quibus rebus est perfectum, ut illi planè suo stare judicio non liceret; cùm certi homines non studium ejus à me alienâssent, sed auxilium retardassent. Nónne ad te L. Lentulo, qui tum erat Prætor, non Q. Sanga, non L. Torquatus pater, non M. Lucullus venit? qui omnes ad eum, multíque mortales, oratum in Albanum, obsecratúmque venerant; ne meas fortunas deseréret cum Reipublicæ salute conjunctas. Quos ille ad te, & ad tuum collegam remisit; se contra armatum Tribunum pl. sinè consilio publico decertare nolle; consulibus ex S. C. Rempubl. defendentibus, se arma susceptúrum.

78. Ecquid infelix recordaris, quid respondéris? in quo illi omnes quidem, sed Torquatus præter cæteros furebat contumeliâ responsi tui; te non esse tam fortem, quàm ipse Torquatus in consulatu fuisset, aut ego; nihil opus esse armis, nihil contentione; me posse iterum Rempubl. servare, si cessissem; infinitam cædem fore, si restitissem. Deinde ad extremum neque se, neque generum neque collegam suum, Tribuno plebis defuturum. Hic tu hostis, ac proditor aliis me inimiciorem, quàm tibi debere esse dicis?

79. Ego C. Cæsarem non eadem de Republica sensisse; quæ me, scio; sed tamen, quòd jam de eo, his audientibus sæpè dixi: me ille sui toties consulatûs, eorúmque honorum, quos cum proximis communicavit, socium esse voluit, detulit, invitavit, rogavit. Non sum ego propter nimiam fortasse constantiæ cupiditatem adductus ad causam. Non postulabam, ut ei carissimus essem, cujus ego ne beneficiis quidem sententiam meam tradidissem. Adducta res in certamen te consule putabatur. Verùm, quæ superiori anno ille gessisset, manerent, an rescinderentur; quid loquar plura? si tantùm ille in me esse uno roboris, & virtutis putavit, ut ea, quæ ipse gesserat, conciderent, si ego restitissem: cur non ignoscam, si antepositi suam salutem meæ.

80. Sed præterita omitto. Me ut Cn. Pompejus

77. Tum Cæsar etsi aliquando sententiâ, voluntate nunquam alienus fuit, quem toto tempore Consulatûs participem fecit consiliorum, & simul cum Pompejo revocavit ab exilio.

omnibus ſuis ſtudiis, laboribus, vitæ periculis complexus eſt! cùm municipia pro me adiret, Italiæ fidem imploraret, P. Lentulo Conſuli auctori ſalutis meæ frequens aſſideret, Senatui ſententiam præſtaret: in concionibus non modò ſe defenſorem ſalutis meæ, ſed etiam ſupplicem pro me profiteretur: hujus voluntatis eum, quem multum poſſe intelligebat, mihi non inimicum eſſe cognôrat, ſocium ſibi adjutorem C. Cæſarem adjunxit. Jam vides me tibi non inimicum, ſed hoſtem; illis, quos deſcribis, non modò non iratum, ſed etiam amicum eſſe debere. Quorum alter, id quod meminero ſemper, æquè mihi fuit amicus, ac ſibi; alter, id quod obliviſcar aliquando, ſibi amicior, quam mihi.

81. Deinde hoc ita fit, ut viri fortes, etiam ſi ferro inter ſe cominus decertârint; tamen illud contentionis odium, ſimul cum ipſa pugna, armísque ponant. Atqui me ille odiſſe nunquam potuit, ne tùm quidem cùm diſſidebamus. Habet hoc virtus, quam ne de facie quidem nôſti; ut viros fortes ſpecies ejus, & pulchritudo, etiam in hoſte poſita, delectet. Equidem dicam ex animo P. C. quod ſentio, & quod vobis audientibus dixi. Si mihi nunquam amicus C. Cæſar fuiſſet, ſed ſemper iratus; ſi aſpernaretur amicitiam meam; ſeſéque mihi implacabilem, inexpiabilémque præberet; tamen ei, cùm tantas res geſſiſſet, gererétque quotidie, non amicus eſſe non poſſem; cujus ego imperium, non Alpium vallum contra aſcenſum, transgreſſionémque Gallorum; non Rheni foſſam, gurgitibus illis redundantem, Germanorum immaniſſimis gentibus objicio, & oppono.

82. Perfecit ille, ut ſi montes reſediſſent, amnes exaruiſſent; non naturæ præſidio, ſed victoriâ ſuâ, rebúsque geſtis, Italiam munitam haberemus. Sed cùm me expetat, diligat, omni laude dignum putet: tu me a tuis inimicitiis ad ſimultatem revocabis? ſic tuis ſceleribus Rei publ. præte-

81. Dato autem Ciceroni iratum fuiſſe Cæſarem, certè ipſa virtus, Reipublicæ hos inter ſe conciliaret, & contentionem omnem, ac diſſenſionem componeret.

82. Concludit, & comminatur ſe propter hanc Cæſaris amicitiam non parciturum Piſoni, qui id ſperaſ, & requirit.

præterita facta refricabis? quod quidem tu, qui benè nôsses conjunctionem meam, & Cæsaris, eludebas; cùm a me trementibus omnino labris, sed tamen, cur tibi nomen non deferrem, requirebas. Quamquam quod ad me attinet, nunquam istam imminuam curam inficiando tibi; tamen est mihi considerandum, quantum illi tantis Reipublicæ negotiis, tantóque bello impedito, ego homo amiciſſimus, ſolicitudinis, atque oneris imponam. Nec desperò tamen, quamquam languet juventus; nec perinde, atque debeat, in Laudis, & gloriæ cupiditate versatur; futuros aliquos, qui abjectum hoc cadaver, consularibus ſpoliis nudare non nolint: præsertim tam afflicto, tam infirmo, tam enervato reo; qui te ita gesseris, ut timeres, ne indignus beneficio videreris, nisi ejus, à quo missus eras, similimus extitisses.

83. An verò tu parùm putas investigatas esse à nobis labes imperii tui, stragésque provinciæ? quas quidem nos, non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totius volutationibus corporis, & cubilibus persecuti sumus. Notata à nobis sunt, & prima illa scelera in adventu; cùm acceptâ pecuniâ à Dyrrachinis ob necem hospitis tui Platoris, ejus ipsius domum evertisti, cujus sanguinem addixeras; eúmque servis symphoniacis, & aliis muneribus acceptis, timentem, & multum dubitantem confirmâsti; & Thessalonicam fide tua venire jussisti: quem ne Majorum quidem more supplicio affecisti, cùm miser ille securibus hospitis sui cervices subjicere gestiret; sed ei medico, quem tecum eduxeras, imperâsti, ut venas hominis incideret.

84. Tum quidem tibi etiam accessio fuit ad necem Platoris Pleuratus ejus comes; quem necasti verberibus summa senectute confectum. Idémque tu Rabocentum Bessicæ gentis principem, cùm te trecentis talentis Regi Cotto vendidisses, securi percussisti; cùm ille ad te legatus

83. *Crudelitas* Pisonis conglobatis effectis, & adjunctis exaggeratur. Imò Nece Platoris

84. 2do nece Robocenti, & cæterorum legatorum, & bello Denselitis fidissimis illato, ex quo multa mala in provinciam profecta sunt.

gatus in caſtra veniſſet: & tibi magna præſidia, & auxilia a Beſſis peditum, equitúmque policeretur: neque eum ſolum, ſed etiam cæteros legatos, qui ſimul venerant. quorum omnium capita Regi Cotto vendidiſti. Deinſeletis, quæ natio ſemper obediens huic imperio, etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedonicâ, C. Sextium Prætorem tutata eſt, nefarium bellum, & crudele intuliſti; eíſque cùm fideliſſimis ſociis uti poſſes, hoſtibus uti acerrimis maluiſti. Ita perpetuos defenſores Macedoniæ, vexatores, ac perditores effeciſti. Vectigalia noſtra perturbârunt, urbes ceperunt; vaſtârunt agros; ſocios noſtros in ſervitutem abduxerunt; familias arripuerunt: pecus abegerunt. Theſſalonicenſes cùm oppido deſperâſſent, munire arcem coëgerunt.

85. A te Jovis Velſuri fanum antiquiſſimum barbarorum, ſanctiſſimúmque direptum eſt. Tua ſcelera Dii immortales in noſtros milites expiaverunt. Qui cùm uno genere morbi affigerentur; neque ſe recreare quiſquam poſſet qui ſemel incidiſſet: dubitabat nemo, quin violati hoſpites, legati necati, pacati, atque ſocii nefario bellò laceſſiti, fama vexata, hanc tantam efficerent vaſtitatem. Cognoſcis ex particula parva ſcelerum, & crudelitatis tuæ genus univerſum.

86. Quid avaritiæ, quæ criminibus infinitis implicata eſt, ſummam nunc explicem; Generatim ea, quæ maximè nota ſunt dicam. Nónne ſeſtertium centies, & octogies, quod quaſi vaſarii nomine, in venditione mei capitis adſcripſeras, ex ærario tibi attributum Romæ in quæſtu reliquiſti? nónne cum CC. talenta tibi Apolloniatæ Romæ dediſſent, ne pecunias creditas ſolverent; ultrò Fuſidium equitem Romanum hominem ornatiſſimum, creditorem debitoribus ſuis addixiſti? nónne, hyberna cùm legato

85. 3tio Direptione Fani Jovis Velſuri, qui ſcelus in miſſos Romanos expiavit.

86. *Avaritia* Piſonis, item coacervatis criminibus frequenti repetitione, vel præteritione exagitatur, Imo grandi pecuniâ Romæ in quæſtu relicta: Fuſidio Equite Romano ſervi inſtar debitoribus addicto: exhauſtis Provinciæ civitatibus: per triennium exacto omni frumento.

Legato præfectóque tradidiſſes, evertiſti miſeras funditus civitates? quæ non ſolùm bonis ſunt exhauſtæ; ſed etiam nefarias libidinum contumelias, rurpitudinésque ſubierunt. Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui honorarii? ſi quidem poteſt vi, & metu extortum, honorarium nominari. Quod cum peræque omnes, tum acerbiſſimè Æotii, & Byzantii, Chæronenſes, Theſſalonica ſenſit. Unus tu dominus, unus æſtimator, unus venditor, tota in provincia per triennium frumenti omnis fuiſti.

87. Quid ego rerum capitalium quæſtiones, reorum pactiones, redemtiones, acerbiſſimas damnationes, libidinoſiſſimas liberationes proferam? tantùm locum aliquem cùm mihi notum ſenſeris; tecum ipſe licebit, quod in eo genere, & quanta ſint crimina, recordêre. Quid? illam armorum officinam ecquid recordaris; cùm omni totius provinciæ pecore conpulſo, pellium nomine omnem quæſtum illum domeſticum, paternúmque revocâſti? Videras enim grandis jam puer bello Italico repleri quæſtu veſtram domum, cùm pater armis faciendis tuus præfuiſſet. Quid? vectigalem provinciam, ſingulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio impoſito, ſervis tuis publicanis à te factam eſſe meminiſti?

88. Quid? centuriatus palàm venditos? quid? per tuum ſervulum ordines aſſignatos? quid? ſtipendium militibus per omnes annos a civitatibus, menſis palàm propoſitis, eſſe numeratum? quid illa in Pontum profectio, & conatus tuus? quid debiliatio, atque abjectio animi tui, Macedoniâ prætoriâ nunciatâ? cùm tu non ſolùm quòd tibi ſuccederetur, ſed quòd Gabinio non ſuccederetur, exanguis, & mortuus concidiſti? quid quæſtor Ædilitius rejectus? præpoſitus legatorum tuorum turpiſſimus, optimus abs te quiſque violatus? tribuni militum non recepti? M. Bebius vir fortis interfectus juſſu tuo?

89. Quid quòd tu toties diffidens, ac deſperans rebus tuis, in ſordibus, lamentis, luctùque jacuiſti? quòd populari illi Sacerdoti ſexcentos ad beſtias amicos, ſocióſque

87. 2. Judiciis ad turpe lucrum converſis, & armorum Officina ad quæſtum.

88. 3. Impoſitis vectigalibus venditis Officiis, &c.

ciósque miſiſti? quid quòd cùm ſuſtentare vix poſſes mœrorem tuum, doloremque deceſſionis, Samothraciam te primum, inde Tharſum cùm tuis teneris ſaltatoribus, & cum Autobulo, Athamante, & Timocle formoſis fratribus contuliſti? quid quòd cùm inde te recipiens, in villa Euchadiæ, quæ fuit uxor Exegiſti, jacuiſti mœrens aliquod dies; atque inde obſoletus Theſſalonicam omnibus inſcientibus, noctú que veniſti? qui, cùm concurſum plorantium, ac tempeſtatem querelarum ferre non poſſes, in oppidum devium Beræam perfugiſti. Quo in oppido cùm tibi ſpe falſa, quòd Q. Anchariùm non eſſe ſucceſſurum putares, animos rumor inflaſſet; quo te modo ad tuam intemperantiam ſcelerate innovâſti?

30. Mitto aurum coronarium, quod te diutiſſimè torſit; cùm modò velles, modò nolles. Lex enim generi tui & decerni, & accipere vetabat, niſi decreto triumpho. In quo tu acceptâ tamen, & devoratâ pecuniâ, Achæorum, centum talenta evomere non poteras; vocabula tantùm pecuniarum, & genera mutabas. Mitto diplomata tota in provincia paſſim data; mitto numerm navium, ſummámque prædæ, mitto rationem exacti, imperatíque frumenti; mitto ereptam libertatem populis, ac ſingulis, qui erant affecti præmiis nominatim; quorum nihil eſt, quod non ſit lége Julia, ne fieri liceat, ſancitum diligenter.

91. Ætoliam, quæ procul à barbaris disjuncta gentibus, in ſinu pacis poſita, mediô feré Græciæ gremio continetur, ô pœna! ô furia ſociorum! decedens miſeram perdidiſti. Arſinoan, Stratum, Neopactum, ùt modò tuté indicâſti, nobiles urbes, atque plenas, fateris ab hoſtibus eſſe captas. Quibus autem hoſtibus? nempe iis, quos tu Ambraciæ ſedens, primo tuo adventu ex oppidis Agrinarum, atque Dolopum demigrare, & aras, & focos relinquere coëgiſti. Hoc tu in exitu; præclare Imperator, cùm tibi ad priſtinas clades acceſſio fuiſſet Ætoliæ repentinus interitus, exercitum dimiſiſti; neque ullam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluiſti ſubire; quàm numerum tuorum militum, reliquiáſque cognoſcere.

92. Atque

90. 4. Violatione Legis Juliæ.

91. Vaſtatione, Ætoliæ atque urbibus captis, dimiſsôq; exercitu-

92. Atque ut duorum Epicureorum ſimilitudinem in re militari, imperióque videatis; Albutius, cùm in Sardinia triumphâſſet, Somæ damnatus eſt. Hic cùm ſimilem exitum expectaret, in Macedonia trophæa poſuit, cáque quæ bellicæ laudis, victoriæque omnes gentes inſignia, & monumenta eſſe voluerunt, noſter hic præpoſterus Imperator amiſſorum oppidorum, cæſarum legionum, provinciæ præſidiò, & reliquis militibus orbatæ, ad ſempiternum dedecus ſui generis, & nominis, funeſta indicia conſtituit. Idémque ut eſſet, quod in baſi trophæorum inſcribi, incidíque poſſet, Dyrrachium, ùt venit decedens, obſeſſus eſt ab iis ipſis militibus; quos paulò antè Torquato reſpondit beneficii causâ ab ſe eſſe dimiſſos. Quibus cùm juratus affirmâſſet, ſe, quæ deberentur, poſtero die perſoluturum, domum ſe abdidit. Inde nocte intempeſta crepidatus veſte ſervili navem conſcendit, Brunduſiúmque vitavit, & ultimas Adriani maris oras petivit.

93. Cùm interim Dyrrachii milites domum, in qua iſtum eſſe arbitrantur, obſidere cœperunt; & cùm latêre hominem putarent, ignes circumdederunt. Quo metu commoti Dyrrachini, profugiſſe noctu crepidatum Imperatorem indicaverunt. Illi autem ſtatuam iſtius perſimilem, quam ſtare celeberrimo in loco voluerat, ne ſuaviſſimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, diſſipant. Sic odium, quod in ipſum attulerant, id in ejus imaginem, ac ſimulacrum profuderunt:

94. Peroratio. Quæ cùm ita ſint: non dubito, quin, cùm hæc, quæ excellunt, me nôſſe videas, non exiſtimes, mediam illam partem, & turbam flagitiorum tuorum mihi eſſe inauditam. Nihil eſt, quòd me hortêre; nihil eſt, quòd invites. Admoneri me, ſatis eſt; admonebit autem nemo alius, niſi Reipubl. tempus; quod mihi quidem magis videtur, quàm tu unquam arbitratus es, appro-

92. Præpoſtero ad Albutii exemplum trophæo, cujus ſummum decus fuit (odio ſuorum militum, quibus ſtipendia non perſolverat) quæri ad necem, ni fugiſſet noctu; comminutâ interim ejus ſtatuâ.

Peroratio. 94. Cicero Piſonem terret metu ſevérioris legis, ac judicii, quod ipſi imminet, ob Provinciam malè tractatam.

appropinquare. Ecquid vides, ecquid ſentis, lege judiciaria lata, quos poſthac judices ſimus habituri? non æque legetur, quisquis voluerit; nec, quisquis noluerit, non legetur. Nulli conjicientur in illum ordinem, nulli eximentur, non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad ſimulationem conjicietur. Judices judicabunt ii, quos lex ipſa, non quos hominum libido delegeriit. Quod cùm ita ſit, mihi crede, neminem invitus invitabis: res ipſa, & Reipubl tempus, aut me ipſum, quod nolim, aut alium quempiam, aut invitabit, aut dehortabitur.

95. Equidem, ùt paulò antè dixi, non eadem ſupplicia eſſe in hominibus exiſtimo, quæ fortaſſe plerique damnationes, expulſiones, neces. denique nullam pœnam videtur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod ſapienti, quod bono viro, & civi poteſt. Damnatio iſta, quæ in te flagitatur, obtigit P. Rutilio; quod ſpecimen habuit hæc civitas innocentiæ. Major mihi judicum, & Reipubl. pœna illa viſa eſt, quàm Rutilii. L. Opimius ejectus eſt à patria: is, qui Prætor, & Conſul maximis Rempubl. periculis liberârat. Non in eo, cui facta eſt injuria: ſed in iis, qui fecerunt, ſceleris, ac conſcientiæ pœna remanſit. At contrà ab his Catilina abſolutus: emiſſus etiam ille auctor tuus provinciæ, cùm ſtuprum Bonæ Deæ privinaribus intuliſſet. Quis fuit in tanta civitate, qui illum inceſto liberatum; non eos, qui ita judicârunt, pari ſcelere adſtrictos arbitraretur?

96. An ego expectem, dum de te quinque, & ſeptuaginta tabellæ diribeantur? de quo jam pridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum judicaverunt. Quis enim te aditu, quis ullo honore, quis denique communi ſalutatione dignum putet? Omnes memoriam Conſulatûs tui, facta, mores, faciem denique, ac nomen à Republ. deteſtantur. Legati, qui unà fuêre, alie-

95. Quamquam non adeò eum terrere vult judiciorum damnatione, quæ etiam innocenti, & juſto accidere poſſunt, ùt exemplis conſtat.

96. Sed maximè terret odiò omnium mortalium, & conſcientiâ ſcelerum, quæ præclara Anacephalæoſi objicit in os miſeri, & damnati.

alienati: Tribuni Mil. inimici: centuriones, & si qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati, te oderunt, tibi peſtem exoptant, te execrantur: Achaja exhauſta, Theſſalia vexata, Ambracia direpta, Parthinii, & Bullienſes illuſi, Epirus exciſa, Locri, Phocii, Bœotii exuſti: Acarnania, Amphilochia, Perrhæbia, Athamanúmque gens vendita: Macedonia condonata barbaris: Ætolia amiſſa, Dolopes, finitimique montani oppidis, atque agris exterminari: Cives Romani, qui in his locis negotiantur, te unum ſolum ſuum depeculatorem, vexatorem, prædonem, hoſtem veniſſe ſenſerunt.

97. Ad horum omnium judicia tot, atque tanta, domeſticum judicium acceſſit ſententiæ damnationis tuæ, occultus adventus, furtivum iter per Italiam, introitus in urbem deſertus ab amicis, nullæ ad Senatum è provincia litteræ, nulla ex trinis æſtivis gratulatio, nulla triumphi mentio. Non modò quid geſſeris, ſed ne quibus in locis quidem fueris, dicere audes. Ex illo fonte, & ſeminario triumphorum, cùm arida folia laureæ retuliſſes, cùm ea abjecta ad portam reliquiſti; tum tu ipſe de te ſententiam tuliſſe videris, tum judicium pronunciaviſti. Qui ſi nihil geſſeras dignum honore, ubi exercitus? ubi ſumptus? ubi imperium? ubi illa uberrima ſupplicationibus, triumphíque provincia? ſin autem aliquid ſperare volueras; ſi cogitâras id, quod Imperatoris nomen, quod laureati fasces, quod illa trophæa plena dedecoris, & risûs, te commentatum eſſe declarant? quis te miſerior? quis te damnatior? qui neque ſcribere ad Senatum à te bene Rempubl. eſſe geſtam, neque præſens dicere auſus es?

98. An tu mihi, cui ſemper ita perſuaſum fuerit, non eventis, ſed factis cujuſque fortunam ponderari; dicere audes, neque in tabellis paucorum judicum, ſed in ſententiis omnium civium, famam noſtram, fortunámque pendere? te indemnatum videri putas? quem ſocii, quem fœderati, quem liberi populi, quem ſtipendiarii, quem negotiatores, quem publi-

98. Confirmat non eventis judiciorum, ſed factis Piſonis fortunam ponderari, & damnari.

publicani, quem universa civitas, quem Legati, quem Tr. militares, quem reliqui milites, qui ferrum, qui famem, quæ mortem effugerunt, omni cruciatu dignissimum putant? cui non apud Senatum, non apud ullum ordinem, non apud equites Romanos, non in urbe, non in Italia, maximorum scelerum venia ulla ad ignoscendum dari possit? qui seipsum oderit, qui metuat omnes, qui suam causam nemini committere audeat, qui seipsum condemnet?

99. Nunquam ego sanguinem expetivi tuum; nunquam illud extremum, quod posset esse improbis, & probis commune, supplicium legis, ac judicii; sed abjectum, contemptum, despectum à cæteris, à te ipso desperatum, & circumspectantem omnia, quicquid increpuisset pertimescentem, diffidentem tuis rebus, sine voce, sine libertate, sine authoritate, sine ulla specie consulari, horrentem, trementem, adulantem omnibus videre te volui; vidi. Quare si tibi evenerit, quod metuis, ne accidat; equidem non molestè feram; sin id tardiùs fortè fiet; fruar tamen tua indignitate: nec minùs libenter metuentem videbo, ne reus fias, quàm reum: nec minùs lætabor, cùm te semper sordidum, quàm si paulisper sorditatum viderem.

Philippica secunda.

ORATIO V.

Argumentum.

Habitâ à Cicerone post necem C. Cæsaris oratione primâ in Antonium, contulit hic se in villam Tiburtinam, ibique dies septemdecim, quod Ciceroni responderet; commentatus est; postea in urbem reversus, Senatum vocavit, & in absentem Ciceronem (prohibitus ab amicis non aderat, propter arma Antonii, quæ manifestam vim spectabant) quæ cogitaverat, evomuit.

99. Denique amarus Orator non tam gaudet evenisse illi hanc judiciorum pœnam, etiam insontibus communem, quàm illam carnificem, & assiduam furiam viri scelerati, & omnia pertimescentis conscientiæ.

evomuit. Et Cicero hac oratione, quam meritò divinam appellat Juvenalis, respondit. Ac prima quidem parte purgat se adversùs Antonii calumnias, & ità purgat, ut omni eum loco non leviter pungat; Deinde singulas ejus vitæ partes à puerili prætexta exorsus, & singulos ejus Magistratus vehementer exagitat. Quidam domi scriptam tantùm putant, alii ob Octavii Antonio tum infensi, & veteranorum militum præsidium in Senatu ad præsentem Antonium dictam contendunt A. U. C. 709.

SYNOPSIS.

Exordium. Fato quodam nemo est Reipubl. hostis, quin idem Ciceroni sit inimicus. Verum Antonius hoc stultior est Catilinâ, & Clodiô, & aliis, quò magis voluntariè lacessit Ciceronem, cui omnis hostis pœnas dedit.

Confutatio. Post Exordium diluit Cicero crimina in se jacta ab Antonio 1. De amicitia violata. 2. Consulatu crudeliter gesto. 3. De nece Clodii. 4. Bello civili. 5. Nece Cæsaris. 6. Alienatione Pompeji, & aliorum, quorum hæres non fuit. *Violatæ amicitiæ* crimen negat ab Adjunctis, & Causis; sic enim Cicero in Senatu questus est de Antonio, ut id Reip. causa postulabat; sic quemdam familiarem contra rem Antonii defendit, ut jus, & amicitia exigebant. Impudens verò Antonius & inhumanus, & amens est, qui beneficia exprobrat, quæ Cicero vel negare, vel concedere potest. *Consulatûs crudeliter gesti* crimen primum universim diluit testimonio Consularium virorum, seu communi approbatione bene gestæ Reipublicæ. Deinde speciatim opposito Consulatu Antonii contra Rempubl. armati. Suum probat è Republ fuisse, quando rogatus in templo Concordiæ extinxit conjurationem Catilinariam; quare pugnantia ab Antonio redarguit, quem iterum impudentem, stultumque appellat, qui eum Consulatum vituperaret apud illos, qui eum maximè approbârunt; quinque salutaria Reipubl. Senatusconsulta reprehendit, quam ipse armis opprimit. *Clodii cæsi* crimen regerit in Antonium. *Belli civilis* crimen confutat contrariis effectis consilii, ac providentiæ. *Necis Cæsaris* crimen primùm dissimulando elevat, & à persona, & numero conjuratorum inficiari videtur, mox apertè crimen (sic imen est occidisse Tyrannum) præfefert, gloriaturque; Stupidum autem Antonium rursus redarguit, qui Cæsaris interfectores laudat, Ciceronem necis conscium vituperat. Postremò amplus irrigens hanc necem in eum retorquet. *Alienati Pompeji* crimen, & aliorum amicorum negat à causis. Demum confutationem claudit novis facetiis, quibus hic Orator abundat.

Propoſitio. M. Antonius eſt homo vitioſus, & hoſtis Reipublicæ.

Partitio, & Argumenta 1. Quia *in vita privata* decoctor fuit, & audax, impurus, & ſeditioſus. 2. *In Magiſtratibus* opreſſor Reipublicæ.

Argumentatio II. Argumenti, M. Antonius in Quæſtura, Tribunatu, Magiſterio Equitum, & Conſulatu oppreſſit Rempublicam ergo in Magiſtratibus oppreſſit Rempublicam. *Amplificatio, & Affectus.* M. Antonius *Quæſtor* factus ſine Senatûs conſulto, & ſorte ivit ad Cæſarem; poſtea *Tribunus* iniquiſſimè interceſſit, ex qua interceſſione bellum civile, & clades Italiæ, quam ipſe luſtrationibus ſuis vexavit, ſecuta eſt. *Magiſter Equitum* quot decretis, & hæreditatum rapinis, quàm robuſtâ violentiâ, quàm turpi emptione bonorum Pompeji, quàm molli, ac libidinoſa defectione à Cæſare in perſequendis civilis belli reliquiis, tam in Africa, quàm Hiſpania inſignis fuit Antonius? *Conſul* denique Conſulatum geſſit injuſtè partum, id eſt, juſſu Tyranni Cæſaris, non populi voluntate; Infeſtum Conſuli Dolabellæ, quando imperitè, & mendaciter oppoſuit Comitiis auſpicia; Inviſum populo Rom. quando Lupercus ſuaſit, obtulítque Cæſari diadema Regium, hoc eſt, tyrannidem; Conſulatum denique Reipubl. deteſtabilem, quod diſſimulatâ tantiſper ob timorem audaciâ, & improbitate, mox legibus Cæſaris reſciſſis, ſuis promulgatis, & mentitis chyrographis immunitates dedit, ingentem pecuniam rapuit, exules, damnatósq; reſtituit; acerbas patriæ peregrinationes ſuſcepit; corrupto etiam magna vi, & cupiditate M. Varronis fundo.

Argumentatio I. Argumenti. M. Antonius in pueritia decoctor fuit, & audax; in adoleſcentia impurus, in reliqua ætate ſeditioſus; ergo in vita privata decoctor, impurus, ſeditioſus fuit.

Amplificatio, & Affectus. Antonius coactus cedere bonis paternis, tamen auſus eſt ſedere in quatuordecim ordinibus; & corruptor adoleſcentuli Curionis multa ſtupra, & flagitia commiſit; poſtea deditus tribuno Clodio plura contra Senatum, & religiones, & amicos egit. Quæ omnia breviter, ac invidioſè perſtringit Cicero, quia feſtinat ad majora.

Peroratio. Major erit ſecuritas, gloriáque Antonio ex civium ſuorum charitate, rebúsque pro Republ. honeſtè geſtis, quàm ex iſto armorum præſidio, quo Senatum obſidet; nam non deeſt populo Rom. præſidium, & animus, Reges tollendi, quod patet ex Cæſaris, aliorúmque nece. Quare ſe, & majores reſpiciat, cúmq; Republ. redeat in gratiam. Ciceronis jam emeriti ſenis nihil intereſt, an inimicitia Antonii, an glorioſa mors accidat, dum ſalva præſtet patria.

ORA-

ORATIO.

1. *Exordium.* Quonam meo fato P. C. fieri dicam, ut nemo his annis viginti Reipubl. hostis fuerit; qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec verò necesse est à me quemquam nominari vobis; cùm ipsi recordemini. Mihi pœnarum illi plùs, quàm optarem, dederunt. Te miror, Antoni! quorum facta imitêre, eorum exitus non perhorrescere. Atque hoc in aliis minùs mirabar. Nemo illorum mihi inimicus fuit voluntarius; omnes à me Reipubl. causâ lacessiti. Tu, ne verbo quidem violatus; ut audacior, quàm Catilina; furiosior, quàm Clodius viderêre; ultrò maledictis me lacessisti; tuámque à me alienationem, ad cives impios tibi gloriæ fore putavisti.

2. Quid putem? contemptúmne me? non video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid despicere possit Antonius. An in Senatu facillimè de me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis civibus bene gestæ Reipubl. testimonium multis, mihi uni conservatæ dedit? hoc quidem beneficium est. Quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi, & pro me, & contra Antonium dicere? illud profectò est, non existimavit sui similibus probari posse, esse se hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus.

Confutatio. Cui priusquàm de cæteris rebus respondeo: de amicitia, quam à me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen judico, pauca dicamus. Contra rem suam me, nescio quando vēnisse

1. *Exordium.* Affert causam Orator cur Antonium inimicum habeat, nempe fatum Reipubl quo ejus à 20. annis nemo hostis fuit, quin & Ciceronis esset, nemo non item pœnas dederit. Quare per Apostrophen insectatur stultitiam Antonii.

3. *Confutatio.* Objectum ab *Antonio violatæ amicitiæ* crimen diluit. Non enim 1. se ingratum esse, quod Bambalionem familiarem Antonii gratiâ, & iniqua intercessione Tribuni oppressum defenderit. 2. Ne eum unquam se in Ciceronis disciplinam tradidisse.

queſtus eſt. An ego non venirem contra alienum, pro familiari, neceſſario? non venirem contra gratiam; non virtutis ſpecie, ſed ætatis flore collectam? non venirem contra injuriam, quam interceſſoris iniquiſſimi beneficiô obtinuit, non jure prætorio? Sed hoc idcircò commemoratum à te puto, ut te infimo ordini commendares; cùm te omnes recordarentur libertini generum; & liberos tuos nepotes Q. Fabii libertini hominis fuiſſe. At enim te in diſciplinam meam tradideras (nam ità dixiſti) domum meam ventitaras. Næ tu, ſi id feciſſes, meliùs famæ, meliùs pudicitiæ tuæ conſuluiſſes. Sed nec feciſti: nec ſi cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuiſſet.

4. Auguratûs petitionem mihi te conceſſiſſe dixiſti. O incredibilem audaciam! ô impudentiam prædicandam! Quo enim tempore me augurem à toto Collegio expetitum, Cn. Pompejus, & Q. Hortenſius nominaverunt (neque enim licebat à pluribus nominari) tu nec ſolvendo eras, nec te ullo modo, niſi eversâ Republicâ, fore incolumem putabas. Poteras autem eo tempore Auguratum petere, cùm in Italia Curio non eſſet? aut tum, cùm es factus, unam turbam ſinè Curione ferre potuiſſes? cujus etiam familiares de vi condemnati ſunt, quòd tui nimis ſtudioſi fuiſſent.

5. At beneficiô ſum uſus tuô. Quo? quanquam illud ipſum, quod commemoras, ſemper præ me tuli. Malui me tibi debere confiteri; quàm cuidam minùs prudenti non ſatis gratus videri. Sed quo beneficio? quòd me Brunduſii non occideris? quem ipſe victor, qui tibi, ùt tutè gloriari ſolebas, detulerat ex latronibus ſuis principatum, ſalvum eſſe voluiſſet, in Italiam ire juſſiſſet, cum tu occideres? fac potuiſſe. Quòd eſt aliud P. Cn. beneficium latronum; niſi ut commemorare poſſint, iis ſe dediſſe vitam, quibus non ademerint? quòd ſi eſſet beneficium; nunquam ii, qui illum interfecerunt, à quo erant ſervati, quos tu ipſe clariſſimos viros appellare ſoles, tantam

4. 3. Antonius propter æs alienum, & Ciceronis abſentiam augur fieri non potuit, non igitur in ejus gratiam auguratûs petitione deſtitit.

5. 4. Negat Cicero, quem Cæſar ſalvum voluerit, vitam accepiſſe ab Antonio, nec hoc aliud beneficium ac latronis.

tantam essent gloriam consecuti. Quale autem beneficium est, quòd abstinueris nefario scelere? qua in re, non tam jucundum videri mihi debuit, non interfectum à te; quàm miserum, id te impunè facere potuisse.

6. Sed sit beneficium; quandoquidem majus accipi à latrone nullum potuit. In quo potes me dicere ingratum? an de interitu Reipubl. queri non debui, ne in te ingratus viderer? At in illa querela, misera quidem, & luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me Senatus, populúsque Romanus collocavit, necessaria, quid est dictum à me cum contumelia? quid non amicè? Et quidem cujus temperantiæ fuit, de M. Antonio quærentem, abstinere maledicto? præsertim, cùm tu reliquias Reipubl. dissipavisses; cùm domi tuæ turpissimo mercatu omnia essent venalia; cùm leges eas, quæ nunquam promulgatæ essent, & de te, & à te latas confiterêre; cùm auspicia augur, intercessionem Consul sustulisses; cùm esses fœdissimè stipatus armatis; cùm omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes, vino, lustrísque confectus.

7. At ego, tanquam mihi cum M. Crasso, contentio esset, quocum multæ, & magnæ fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de Republ. graviter querens, de homine nihil dixi. Itaque hodie perficiam, ut intelligat, quantum à me beneficium tum acceperit. At etiam litteras, quas me sibi misisse diceret, recitavit, homo & humanitatis expers, & vitæ communis ignarus. Quis enim unquam, qui paululum modò bonorum consuetudinem nôsset, litteras ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita in medium protulit, palámque recitavit? quid hoc est aliud, quàm tollere è vita vitæ societatem? tollere amicorum colloquia absentium? Quàm multa joca solent esse in epistolis; quæ prolata si sint, inepta esse videantur? quàm multa seria, neque tamen ullo modo divulganda.

8. Sit hoc inhumanitatis tuæ; stultitiam incredibilem

6. 5. Ait sibi Consulari in Reipubl. interitu de iniquis ejus actis necessariò querendum fuisse.

7. 6. Inhumanum esse dicit, literas amicorum absentium in publicum proferre, nihil autem in suis litteris non moderatum, & officiosum fuisse.

videte. Quid habes, quod mihi opponas, homo diſerte? ut Muſtelæ Tamiſio, & Tyroni Numiſio videris, qui cùm hoc ipſo tempore ſtent cum gladiis in conſpectu Senatûs; ego quoque te diſertum putabo, ſi oſtenderis, quomodo ſis eos inter ſicarios defenſurus: Sed quid opponas tandem; ſi negem, me unquam iſtas litteras ad te miſiſſe? quo me teſte convinces? an chyrographo? in quo habes ſcientiam quæſtuoſam. Quî poſſis? ſunt enim librarii manu. Jam invideo magiſtro tuo, qui te tanta mercede, quantam jam proferam, nihil ſapere docuit.

9. Quid enim eſt minùs, non dico oratoris, ſed hominis; quàm id objicere adverſario, quod ille ſi verbô negârit, longiùs progredi non poſſit, qui objecerit? At ego non nego, tèque in hoc ipſo convinco non humanitatis ſolùm, ſed etiam amentiæ. Quod enim verbum in iſtis literis eſt non plenum humanitatis, officii, benevolentiæ? omne autem crimen tuum eſt, quòd de te in his litteris non malè exiſtimem; quod ſcribam tanquam ad civem, tanquam ad bonum virum; non tanquam ad ſceleratum, & latronem. At ego tuas litteras, etſi jure proferam à te laceſſitus, tamen non proferam; quibus petis, ut tibi per me liceat quemdam de exilio reducere; adjurásque, id te invito me non eſſe facturum; idque à me impetras. Quid enim me interponerem audaciæ tuæ? quem neque authoritas hujus ordinis, neque authoritas hujus ordinis, exiſtimatio populi Romani, neque leges ullæ poſſent coërcere? verumtamen quid erat, quòd me rogares; ſi erat is, de quo rogabas, Cæſaris lege reductus? ſed videlicet meam gratiam voluit eſſe; in quo ne ipſius quidem ulla eſſe poterat, lege lata.

10. Sed cùm mihi P. C. & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda ſint; alterum peto à vobis, ut me pro me dicentem benignè, alterum ipſe efficiam, ut, contra illum cùm dicam, attentè audiatis. Simul iſtud oro, ſi meam cùm in omni vita, tum in dicendo moderationem, modeſtiámque cognôſtis; ne me hodie, cùm iſti, ùt provocavit, reſpondebo, oblitum putetis eſſe mei. Non tractabo ùt Conſulem; ne ille quidem me ùt Con-

10. Alterum crimen *geſti crudeliter Conſulatûs* ad quod Cicero parva attentionis petitione, & inſinuatione reſpondet.

Consularem. Etsi ille nullo modo Consul; vel quòd ità vivit, vel quòd ità Rempublicam gerit, quòd ità factus est Consul; ego sinè ulla controversia Consularis.

11. Ut igitur intelligeretis, qualem se ipse Consulem profiteretur; objecit mihi Consulatum meum. Qui Consulatus verbô meus, re P. C. vester fuit. Quid enim constitui, quid gessi, quid egi; nisi ex hujus ordinis consilio, authoritate, sententiâ? Hæc tu homo sapiens, non solùm eloquens, apud eos, quorum consiliô, sapientiâque gesta sunt, ausus es vituperare? Quis autem meum Consulatum, præter P. Clodium, qui vituperaret inventus est? cujus quidem te fatum, sicuti C. Curionem manet; quoniam id domi tuæ est, quod fuit illorum utrique fatale.

12. Non placet M. Antonio Consulatus meus At placuit P. Servilio; ut eum primum nominem ex illius temporis Consularibus, qui proximè est mortuus: placuit Q. Lutatio Catulo, cujus semper in hac Republica vivet authoritas; placuit duobus Lucullis M. Crassо, Q. Hortensio, C. Curioni, M. Lepido, C. Pisoni, M. Glabrioni, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murænæ; qui tunc erant Consules designati; placuit idem, quod Consularibus Marco Caroni; qui cùm multa, vitâ excedens, providit; tum, quòd te Consulem non vidit. Maximè verò Consulatum meum Cn. Pompejus probavit; qui ut me primùm decedens ex Syria vidit, complexus, & gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit. Sed quid singulos commemoro? frequentissimo Senatui sic placuit, ut esset nemo, qui mihi non ut parenti gratias ageret; qui non mihi vitam suam, fortunas, liberos, Rempubl. referret acceptam.

13. Sed quoniam illis, quos nominavi, tot, & talibus viris Respublica orbata est; veniamus ad eos, qui

11. Stultum ridet Antonium, qui hunc Consulatum apud eos crimineter, quorum consiliô, authoritate, sententiâ ità gestus est.

12. Nemo enim præter Antonium non maximè hunc Consulatum probavit, quod Repetitione, & inductione amplificat.

13 Duos Consulares viros superstites L. Cottam, L. Cæsarem testes adduxit.

duo è consulari numero reliqui sunt. L. Cotta vir summô ingeniô, summáque prudentiâ, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis; éique illi ipsi, quos modò nominavi, Consulares, Senatúsque cunctus assensus est. Qui honos post condítam hanc urbem habitus est togato ante me nemini.

14. L. Cæsar avunculus tuus, qua oratione, quâ constantiâ, qua gravitate, sententiam dixit in fororis suæ virum, vitricum tuum? hunc tu, cùm auctorem, & præceptorem omnium consiliorum, totiúsque vitæ debuisses habere; vitrici te similem, quàm avunculi esse maluisti. Hujus ego alienus consiliis Consul usus sum. Tu fororis filius, ecquid ad eum unquam de Republica retulisti? Ad quos refert, Dii immortales! ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt.

15. Hodie descendit Antonius. Cur? dat natalitia in hortis. Cui? neminem nominabo. Putatote, cum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum etiam Ballioni. O fœditatem hominis flagitiosam! ô impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam, tu, cùm principem Senatorem, civem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de Republica nihil referas? referas ad eos, qui domum suam nullam habent, tuam exhauriunt? Tuus videlicet salutaris Consulatus, pernicioſus meus? adeóne pudorem cum pudicitia perdidisti; ut hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo ego Senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum præsidebat, consulebam; tu homines perditissimos cum gladiis collocavisti?

16. At etiam ausus es (quid autem est quod tu non audeas?) clivum Capitolinum dicere me Consule plenum servorum armatorum fuisse. Ut illa credo nefaria Senatûsconsulta tum fierent, vim afferebam Senatui. O miserum, sive illa tibi nota non sunt (nihil enim boni nôsti) sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare! quis enim

14. Dialogismô & exclamatione indignatur, quod de libidine lenones & parasitos consulat de Rep. nihil ad avunculum referat.

15 Improbè objicit Ciceroni tum Consuli armatos in templo Concordiæ locâsse è Senatûs authoritate, qui in eodem loco nunc ad opprimendum Senatum, & Rempuql. idem faciat.

enim Eques Romanus? quis præter te adolescens nobilis, quis ullius ordinis, qui se civem esse meminisset, cùm Senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? quanquam nec scribæ sufficere, nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt.

17. Etenim cum homines nefarii de patriæ parricidio confiterentur; consociorum indiciis, sua manu, voce penè litterarum coacti; sed urbem inflammare, cives trucidare, vastare Italiam, delere Rempublicam consensisse; quis esset, qui ad salutem communem defendendam non excitaretur? præsertim cùm Senatus, Populúsque Romanus haberet ducem; qualis si quidem nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, contigisset. Ad sepulturam corpus vitrici sui negat á me datum. Hoc verò ne P. quidem Clodius dixit unquam; quem, quia jure ei inimicus fui, doleo à te jam omnibus vitiis esse superatum.

18. Quid autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram, te domi P. Lentuli esse educatum? an verebare, ne non puraremus, naturâ te potuisse tam improbum evadere, nisi accessisset etiam disciplina? Tam autem eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares? ut non modò non cohærentia inter se diceres, sed maximè disjuncta, atque contraria; ut non tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio? Vitricum tuum in tanto fuisse scelere fatebare, pœna affectum querebare. Ità quod proprium metum est, laudâsti; quod totius Senatûs est, reprehendisti. Nam comprehensio sontium mea; animadversio, Senatûs fuit, homo disertus non intelligit, eum, quem contra dicit, laudari à se; eos, apud quos dicit, vituperari.

19. Jam illud cujus est, non dico audaciæ (cupit enim se audacem dici) sed, quod minimè vult, stultitiæ, quâ vincit omnes, clivi Capitolini mentionem facere? Cùm inter subsellia nostra versentur armati; cùm in hac cella Concordiæ

17. Ipse secum pugnat Antonius laudans Ciceronem quòd comprehenderit cónjuratos, Senatum vituperat ob negatam Lentulo sepulturam.

19. Sua in Fano Concordiæ arma salutaria fuisse sibi, Senatui, Equitibus, civibus omnibus.

cordiæ (ô Dii immortales!) in qua me Conſule ſalutares ſententiæ dictæ ſunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati ſtent; accuſa Senatum, accuſa Equeſtrem ordinem, qui tum cum Senatu copulatus fuit; accuſa omnes ordines, omnes cives; dum confiteare, hunc ordinem, hoc ipſo tempore, ab Ithyreis circumſederi. Hæc tu non propter audaciam dicis tam imprudenter, ſed quia tantarum rerum repugnantiam non videas. Nihil profectò ſapis. Quid eſt enim dementiùs, quàm cùm Reipubl. pernicioſa arma ipſe ceperis, objicere alteri ſalutaria?

20. At enim quodam loco facetus eſſe voluiſti. Quàm id te (Dii boni!) non decebat, in quo tua eſt culpa nonnulla. Aliquid enim ſalis ab uxore mima trahere potuiſti. Cedant arma togæ. Quid? tum nónne ceſſerunt? At poſtea tuis armis ceſſit toga. Quæramus igitur, utrum meliùs fuerit, libertati populi Romani ſceleratorum arma, an libertatem noſtram armis tuis cedere. Nec verò tibi de verſibus reſpondebo. Tantùm dicam breviter: neque illas, neque ullas te omnino litteras nôſſe; me nec Reipublicæ, nec amicis unquam defuiſſe; & tamen omni genere monumentorum meorum perfeciſſe operis ſubciſivis; ut meæ vigiliæ, meæque literæ, & juventuti utilitatis, & nomini Romano laudis aliquid, afferrent. Sed hæc non hujus temporis: majora videamus.

21. P. Clodium meô conſiliô interfectum eſſe dixiſti: Quidnam homines putarent, ſi tum occiſus eſſet, cùm tu illum in foro, ſpectante populo Romano, gladiô ſtrictô inſecutus es, negotiúmque tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conjeciſſet; hiſque oppilatis, impetum tuum compreſſiſſet? Sed quid? ego faviſſe me tibi fateor, ſuaſiſſe ne tu quidem dicis. At Miloni ne favere quidem potui. Priùs enim rem anſegit, quàm quiſquam eum facturum id ſuſpicaretur. At ego ſuaſi. Scilicet is animus

20. Antonius Ciceronis verſus iners ipſe, & armatus oppreſſor libertatis inſulsè ridet.

21. Tertium crimen de *Nece Clodii* refellit, Cicero Miloni eam necem nec ſuaſit, ne Milo ſuaſore egebat, neque per tot annos quiſquam id Ciceroni objecit.

mus erat Milonis, ut prodeſſe Reipubl. ſinè ſuaſore non poſſet. At lætatus ſum. Quid ergo? in tanta lætitia cunctæ civitatis me unum triſtem eſſe oportebat?

22. Quanquam de morte P. Clodii fuit quæſtio non ſatis prudenter illa quidem conſtituta. Quid enim attinebat nova lege quæri de eo, qui hominem occidiſſet, cùm eſſet legibus quæſtio conſtituta? Quæſitum eſt tamen. Quod ergo, cùm res agebatur, nemo in me dixit; id tot annis pòſt tu es inventus, qui diceres? Quòd verò dicere auſus es, idque multis verbis, operâ meâ Pompejum à Cæſaris amicitia eſſe disjunctum; ob eámque cauſam meâ culpâ civile bellum eſſe natum; in eo non tu quidem tota re, ſed, quod maximum eſt, temporibus errâſti.

23. Ergo M. Bibulo, præſtantiſſimo cive, Conſule, nihil prætermiſi, quantum facere, enitíque potui; quin Pompejum à Cæſaris conjunctione avocarem. In quo Cæſar fuit felicior. Ipſe enim Pompejum à me familiaritate disjunxit. Poſtea verò, quàm ſe totum Pompejus Cæſari tradidit, quid ego illum ab eo diſtrahere conarer? Stulti erat ſperare; ſuadere, impudentis.

24. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæſarem Pompejo ſuaſerim: ea velim reprehendas, ſi potes. Unum, ne quinquennii imperium Cæſari prorogaretur. Alterum, ne pate etur fieri, ut abſentis ejus ratio haberetur. Quorum, ſi utrumvis perſuaſiſſem; in has miſerias nunquam incidiſſemus. Atque idem ego, cùm jam omnes opes ſuas, & populi Romani Pompejus ad Cæſarem detuliſſet; ſeróque ea ſentire cœpiſſet, quæ ego multò antè provideram; inferríque patriæ bellum nefarium viderem; pacis, concordiæ, compoſitionis auctor eſſe non deſtiti; meáque illa vox eſt nota multis: *Utinam Cn. Pompei, cum Cn. Cæſare ſocietatem, aut nunquam coiſſes, aut diremiſſes.* Fuit Alterum gravitatis, alterum prudentiæ tuæ. Hæc mea, M. Antonii ſemper, & de Pompejo, & de Republ. conſilia fuerunt. Quæ, ſi valuiſſent, Reſp. ſtaret. Tu tuis flagitiis, egeſtate, infamiâ concidiſſes.

25. Sed

23. Quantum *de bello civili* cujus Cicero cauſa non fuit, quin nemo plùs egit apud Pompejum, ne Cæſaris opes ad tyrannidem creſcere ſineret, tum verò pacem efflictim ſuadendo.

25. Sed hæc vetera; illud verò recens, Cæsarem meo consilio interfectum. Jam vereor P. Cn. ne, quod turpissimum est, prævaricatorem mihi apposuisse videar; qui me non solùm meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. Quis enim meum in ista societate gloriosissimi facti nomen audivit? Cujus autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? Occultatum dico? cujus non statim divulgatum? citiùs dixerim, jactâsse se aliquos; ut fuisse in ista societate viderentur, qui socii non fuissent, quàm ut quisquam celari vellet.

26. Quam verisimile porrò est, in tot hominibus, partim obscuris, partim adolescentibus, neminem occultantibus, meum nomen latere potuisse? Etsi enim auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus; Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret? alter etiam Halæ. His igitur Majoribus orti, ab alienis potiùs consilium peterent, quam à suis, & foris potiùs, quàm domo? quid? C. Cassius in ea familia natus, quæ non modò dominatum, sed ne potentiam quidem cujusquam ferre potuit, me auctorem credo desideravit? qui etiam sine his clarissimis viris, hanc rem in Cilicia, ad ostium fluminis Cydni confecisset; si ille ad ripam, quam constituerat, non ad contrariam, naves appulisset.

27. Cn. Domitium non patris interitus clarissimi viri, non avunculi mors, non spoliatio dignitatis; ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitavit? an C. Trebonio persuasi, cui ne suadere quidem ausus essem? quo etiam majorem ei Resp. gratiam debet, qui libertatem populi Romani unius amicitiæ præposuit, depulsóque dominâtûs, quàm particeps esse maluit. An L. Tullius Cimber me est auctorem secutus? quem ego magis fecisse illam rem sum admiratus, quàm factorum putavi. Admiratus sum autem ob eam causam; quòd immemor beneficiorum, memor patriæ fuisset. Quid duos Servilios, Calcas dicam, an Helas? & hos auctoritate mea censetis exci-

25. Quintum crimen *necis Cæsaris*. Nemo Ciceronis nomen inter conjuratos prodidit. Deinde ejus percussores hortatore non egebant, & suas causas habebant peculiares.

excitatos potiùs, quàm charitate Reipublicæ? longum eſt perſequi cæteros; ídque Reipubl. præclarum; fuiſſe tam multos, ipſis glorioſiùs eſt.

28. At quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Cæſare interfecto, inquit, ſtatim cruentum altè extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam libertatem eſt gratulatus. Cur mihi potiſſimùm? quì ſciebam? Vide, ne illa cauſa fuerit appellandi me; quòd cùm rem geſſiſſet conſimilem rebus iis, quas ipſe geſſeram, me potiſſimùm teſtatus eſt, ſe æmulum mearum laudum extitiſſe.

29. Tu autem, omnium ſtultiſſime, non intelligis, ſi id, quod me arguis, voluiſſe interfici Cæſarem, crimen ſit; etiam lætatum eſſe morte Cæſaris, crimen eſſe? quid enim intereſt inter ſuaſorem facti, & probatorem? Aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Ecquis eſt igitur, te excepto, quì illum regnare gaudebas, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbârit? Omnes enim in culpa. Etenim omnes boni, quantum in ipſis fuit, Cæſarem occiderunt. Aliis conſilium, aliis animus, aliis occaſio defuit, voluntas nemini.

30. Sed ſtuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite. Sic enim dixit: *M. Brutus, quem ego honoris causâ nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamavit. Ex quo intelligi debet, eum conſcium fuiſſe.* Ergo ego ſceleratus appellor à te, quem tu ſuſpicatum aliquid ſuſpicaris? ille, qui ſtillantem præ ſe pugionem tulit, is à te honoris causâ nominatur? Eſto ſit in verbis tuis hic ſtupor, quantò in rebus, ſententiísque major? conſtitue hoc Conſul aliquando, Brutorum, C. Caſſii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum, quam velis eſſe cauſam; edormi crapulam, inquam, & exhala. An faces admovendæ ſunt; quæ te excitent, tantæ cauſæ indormientem? nunquam ne intelligis, ſtatuendum tibi eſſe; utrum illi, qui iſtam rem geſſerunt, homicidæ ſint, an vindices libertatis?

31. Attende enim pauliſper, cogitationémque ſobrii homi-

30. Pugnat ſecum Antonius, qui Brutum, aliósque non parricidas, ſed liberatores patriæ honore, & Provinciis dignos exiſtimat, Ciceronem eorum familiarem arguit.

hominis ad punctum temporis susceptæ. Etenim ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris; ut à te arguor, socius; nego quicquam esse medium; confiteor eos, nisi liberatores populi Romani, conservatoresque Reipubl. sint, plus quàm sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quàm parricidas esse. Siquidem est atrocius, patriæ parentem, quàm suum occidere. Tu homo sapiens, & considerate, quid dicis? si parricidæ, cur honoris causâ à te sint, & in hoc ordine, & apud populum Romanum semper appellati? Cur M. Brutus te referente legibus est solutus, si ab urbe plus quàm decem dies abfuisset? Cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? Cur provinciæ Bruto, & Cassio datæ? Cur quæstores additi? Cur legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te. Non igitur homicidæ. Sequitur, ut liberatores tuo judicio sint; quandoquidem tertium nihil potest esse.

32. Quid est? num conturbo te? non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen hæc est summa conclusionis meæ: quoniam scelere à te liberati sunt, ab eodem te amplissimis præmiis dignissimi judicati sunt. Itaque jam retexo orationem meam; scribam ad illos; ut si qui fortè, quod à te mihi objectum est, quærunt, sitne verum, ne cui negent. Etenim vereor, ne aut delatum me, illis ipsis non honestum; aut invitatum refugisse, mihi sit turpissimum. Quæ enim res unquam, pro sancte Jupiter! non modò in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta major? quæ glorioſior? quæ commendatior erit hominum memoriæ sempiternæ? In hujus me consilii societatem, tanquam in equum Trojanum, includi cum principibus non recuso.

33. Ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res est, ut invidiam istam, quam tu in me vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulsos à te prædicas, & relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quò accesserint, non affari, atque appetere videatur? qui homines tam agrestes, qui se, cùm eos aspexerint, non maxim im

32. Quin non dubitat se authorem cædis fateri, quod ante negabat, eoque gloriari.

ximum cepisse vitæ fructum putent? quæ verò tam immemor posteritas, quæ tam ingratæ literæ reperiuntur; quæ eorum gloriam non immortalitatis memoriâ prosequantur? tu verò adscribe me talem in numerum.

34. Sed unam rem vereor, ne non probes. Si enim fuissem; non solùm Regem, sed Regnum etiam do Republica sustulissem; & si meus stylus ille fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solùm unum actum, sed totam fabulam confecissem. Quamquam si interfici Cæsarem voluisse crimen est, vide, quæso Antoni, quid tibi futurum sit; quem & Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est; & ob ejus consilii societatem, cùm interficeretur Cæsar, tum te à Trebonio vidimus secùm interficeretur Cæsar, tum te à Trebonio vidimus secùm interficeretur Cæsar, tum te à Trebonio vidimus sec

Reſpondi maximis criminibus: nunc etiam reliquis reſpondendum eſt.

37. Caſtra mihi Pompeji, atque illud omne tempus objeciſti; quo quidem tempore, ſi, ùt dixi, meum conſilium, auctoritásque valuiſſet; tu hodie egeres, nos liberi eſſemus; Reſpubl. non tot duces, & exercitus amiſiſſet. Fateor enim me, cùm ea, quæ acciderunt, providerem futura, tanta in mœſtitia fuiſſe; quantâ cæteri optimi cives, ſi idem providiſſent, fuiſſent. Dolebam, P. C. Rempubl. veſtris quondam, meíſque conſiliis conſervatam, brevi tempore eſſe perituram. Neque verò eram tam indoctus, ignarúsque rerum, ut frangerer animô propter vitæ cupiditatem; quæ me manens conficeret angoribus; dimiſſa, moleſtiis omnibus liberâſſet. Illos ego præſtantiſſimos viros, lumina Reipubl. vivere volebam, tot Conſulares, tot Prætorios, tot honeſtiſſimos Senatores; omnem præterea florem nobilitatis, ac juventutis; tum optimorum civium exercitus. Qui ſi viverent, quamvis iniqua conditione pacis (mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur) Rempublicam hodie teneremus.

38. Quæ ſententia ſi valuiſſet; at non ii maximè mihi, quorum ego vitæ conſulebam, ſpe victoriæ elati obſtitiſſent; ut alia omittam, tu certè nunquam in hoc ordine, vel potiùs nunquam in hac urbe manſiſſes. At verò Cn. Pompeji voluntatem à me abalienabat oratio mea. An ille quenquam plùs dilexit? cum ullo aut ſermones, aut conſilia contulit ſæpiùs? Quod quidem erat magnum, de ſumma Reipubl. diſſidentes, in eadem conſuetudine amicitiæ permanere. Sed & ego, quid ille; & contra ille, quid ego ſentirem, & ſpectarem, videbat. Ego incolumitati civium primùm, ut poſtea dignitati poſſemus; ille præſenti dignitati potiùs conſulebat. Quòd autem habebat uterque, quod æqueretur, idcircò tolerabilior erat noſtra diſſenſio.

39. Quid

37. Sextò Cicero in caſtris Pompeji non aliâ causâ mœſtus fuit, quam proſpectâ ruina Reipubl.

38. Nec enim Pompejum alienârat familiariſſimum, & amiciſſimum, ſed opinione diſſidebat.

39. Quid verò Ille Conſularis vir, ac penè divinus de me ſenſerit, ſciunt, qui eum Pharſalicâ fugâ Paphum proſecuti ſunt. Nunquam ab eo mentio de me, niſi honorifica, niſi plena amiciſſimi deſiderii; cùm me vidiſſe plùs fateretur, ſe ſperaviſſe meliora. Et ejus viri nomine me inſectari audes? cujus me amicum, te ſectorem eſſe fateare? Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimiùm felix fuiſti. Ne jocis quidem reſpondebo, quibus me in caſtris uſum eſſe dixiſti. Erant quidem illa caſtra plena curæ, verùmtamen homines, quamvis in turbidis rebus ſint, tamen, ſi modò homines ſunt, interdum animis relaxantur.

40. Quod autem idem mœſtitiam meam reprehendit, idem jocos; magno argumento eſt, me in utroque fuiſſe moderatum. Hæreditates mihi negâſti venire. Utinam hoc tuum verum crimen eſſet. Plures amici mei, & neceſſarii viverent. Sed quî iſtuc tibi venit in mentem? ego enim ampliùs HS. ducenties acceptum hæreditatibus retuli. Quanquam in hoc genere fateor feliciorem eſſe te. Me nemo, niſi amicus, fecit hæredem? ut cum illo commodo, ſi quod erat, animi quidam dolor jungeretur. Te is, quem nunquam vidiſti, L. Rubrius Caſſinas, fecit Hæredem.

41. Et quidem vide, quàm te amavit is; qui albus, atérve fuerit, ignoras; fratris filium præteriit; Q. Fufii honeſtiſſimi equitis Romani, ſuíque amiciſſimi, quem palam hæredem ſemper factitarat, ne meminit quidem; te quem nunquam viderat, ac nunquam ſaluraverat, fecit hæredem. Velim mihi dicas, niſi moleſtum eſt, L. Turſelius qua facie fuerit, quâ ſtaturâ? quô municipiô? qua tribu? nihil ſcio, inquies, niſi quæ prædia habuerit. Igitur fratrem exhæredans, te faciebat hæredem. In multas præterea pecunias alieniſſimorum hominum, ejectis veris hæredibus, tanquam hæres eſſet, invaſit. Quamquam hoc maxime admiratus ſum. mentionem te hæreditatum auſum eſſe facere; cùm ipſe hæreditatem patris non adiſſes

39. Nec diſteriis, jociſque Pompeii conſilia reprehendit, ſed ut à mœrore animos avocaret.

40. Negat ſibi multorum amicorum opulentas hæreditates non obveniſſe, reprehendit improbitatem Antonii, qui in multorum etiam ignotorum hæreditates invaſerit.

42. Hæc tu ut colligeres, homo amentiſſime, tot dies in aliena villa declamâſti? quamquam tu quidem, (ùt tui familiariſſimi dictitant) vini exhalandi, non acuendi ingenii causâ declamitas. Et verò adhibes joci causâ magiſtrum ſuffragio tuo, & compotorum tuorum Rhetorem, cui conceſſiſti, ut in te, quæ vellet, diceret. Salſum omnino hominem; ſed materia facilis, in te, & in tuos dicta dicere. Vide autem, inter te, & avum tuum quid interſit? Ille ſenſim dicebat, quod cauſæ prodeſſet; tu curſim dicis aliena.

43. At quanta merces Rhetori data eſt? audite, audite P. C. & cognoſcite Reipubl. vulnera. Duo millia jugerum campi Leontini Sex. Glodio Rhetori aſſignâſti, & quidem immunia, ut pro tanta mercede nihil ſapere diſceres. Num etiam hoc, homo audaciſſime, ex Cæſaris commentariis? Sed dicam alio loco, & de Leontino agro & de Campano; quos iſte agros ereptos Reipubl. turpiſſimis poſſeſſoribus inquinavit. Jam enim, quoniam criminibus ejus ſatis reſpondi, de ipſo emendatore, & correctore noſtro quædam dicenda ſunt. Nec enim omnia effundam, ut ſi fæpiùs decertandum ſit, ut erit, ſemper novus veniam. Quam facultatem mihi multitudo iſtius vitiorum, pectorúmque largitur. Vísne igitur te inſpiciamus à puero? c opinor. A principio ordiamur.

44. Confirmatio. Argumentum I. Tenésne memoria prætexatum te decoxiſſe? patris, inquies, iſta culpa eſt. Concedo. Etenim eſt pietatis plena defenſio. Illud tamen audaciæ tuæ, quòd feciſti in 14. ordinibus, cùm eſſet lege Roſcia decoctoribus certus locus conſtitutus; quamvis quis fortunæ vitio, non ſuo, decoxiſſet. Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti. Primò vulgare ſcortum, certa flagitii merces, nec ea parva. Sed citò Curio intervenit, qui te

44. **Confirmationis Argumentum I. de vita privata Antonii:** *M. Antonius in pueritia decoctor, & audax; in adoleſcentia impurus, in reliqua vita ſeditioſus fuit, ergo in privata vita decoctor, &c. fuit.* Pars I. Antecedentis exponitur Interrogatione, & Communicatione, quod coactus cedere paternis bonis tamen in 14. Ordinibus contra legem Roſciam ſedere auſus fuerit.

te à meretricio quæstu abduxit, & tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili, & certo locavit.

45. Quoties te pater ejus domo sua ejecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares? Cùm tamen tu nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas dimitterêre. Quæ flagitia domus illa diutiùs ferre non potuit. Scísne me de rebus notissimis mihi dicere? recordare tempus illud, cùm pater Curio mœrens jacebat in lecto; filius se ad pedes meos prosternens, lachrymans te mihi commendabat: orabat, ut te contra suum patrem, si sestertiûm sexagies peteret, defenderem. Tantùm enim pro te intercessisse dicebat. Ipse autem amore ardens, confirmabat, quòd desiderium tui diffidii ferre non posset, se in exitium iturum.

46. Quo ego tempore tanta mala florentissimæ familiæ sedavi, vel potiùs sustuli. Patri persuasi, ut æs alienum filii dissolveret, redimeret, adolescentem summa spe, & animi, & ingenii præditum rei familiaris facultatibus, eúmque à tua non modò familiaritate, sed etiam congressione, patrio jure, & potestate prohiberet. Hæc tu, cùm per me acta meminisses. nisi illis, quos videmus, gladiis confideres, maledictis me provocare ausus esses?

47. Sed jam stupra, & flagitia omittam. Sunt quædam, quæ honestè non possum dicere; tu autem eò liberior, quòd ea in te admisisti, quæ à verecundo inimico audire non posses. Sed reliquum vitæ cursum videte: in civili bello, in maximis Reipubl. miseriis fecit, & ea, quæ quotidie facit, festinat animus, quæ peto, ut quamquam multò notiora vobis, quàm mihi sunt, tamen, ut facitis, attentè audiatis. Debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio solùm rerum, sed etiam recordatio. Tametsi incidamus oportet media, ne nimis ferò ad extrema veniamus.

45. Pars Antecedentis 2da *in adolescentia impurus fuit*, præcipuè ex consuetudine Curionis, à qua nec contracto ære alieno, nec patris imperiò avelli potuit, nisi Cicero remedium tulisset.

47. Stupra, & flagitia præterit Orator quadam infamatione.

48. Intimus erat in tribunatu Clodio; qui ſua erga me beneficia commemorat. Ejus omnium incendiorum fax. Cujus etiam domi quiddam jam tum molitus eſt. Quid dicam, optimè intelligit. Inde itum Alexandriam contra Senatûs auctoritatem, contra Religiones. Sed habebat ducem Gabinium, quicum quivis rectiſſimè facere poſſet. Qui tum inde reditus? aut qualis? priùs in ultimam Galliam ex Ægypto, quàm domum. Quæ autem domus? ſuam enim quiſque domum obtinebat, neque erat uſquam tua. Domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres? præter unum Miſenum, quod cum ſociis tanquam Siſaponem tenebas.

49. Veniſti è Gallia ad quæſturam petendam. Audebam dicere, te priùs ad parentem tuum veniſſe, quàm ad me. Acceperam jam antè Cæſaris literas, ut mihi ſatisfieri paterer à te. Itaque ne loqui quidem ſum te paſſus de grata. Poſtea cuſtoditus ſum à te; tu à me obſervatus in petitione Quæſturæ. Quo quidem tempore P. Clodium, approbante populo Romano, in foro es conatus occidere. Cúmque eam rem tua ſponte conarere, non impulſu meo; tamen ità prædicabas, te non exiſtimare, niſi illum interfeciſſes, unquam mihi pro tuis in me injuriis ſatis eſſe facturum. In quo demiror, cur Milonem impulſu meo rem illam egiſſe dicas; cùm te ultrò mihi idem illud deferentem nunquam ſim adhortatus. Quamquam, ſi in eo perſeverares, ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quàm ad meam gratiam.

50. Argumentum II. Quæſtor es factus. Deinde

48. In reliqua ætate ſeditioſus. Enumerantur multa ejus acta ſeditioſa, ut quod Clodio intimus fuerit; quod contra Senatûs authoritatem Alexandriam iverit &c.

50. Confirmationis Argumentum II. Eſt ab Inductione: *M. Antonius in Quæſtura, Tribunatu, Magiſterio Equitum, Conſulatu oppreſſit Rempubl. ergo in Magiſtratu oppreſſit RemPub.* Primo in *Quæſtura*. Quæſtor factus continuò ſine Senatûs conſulto, ſine lege ad Cæſarem cucurrit, ubi cum ſe ejus largitionibus, & ſuis rapinis explevit, advolavit egens ad Tribunatum, Amplificatur, quod cùm Senatus decreviſſet, ut Cæſar ad certam diem exercitum dimitteret, ſe oppoſuerit audax Antonius, & hoſtis Reipubl. judicatus ſit.

inde continuò sinè Senatûsconsultu, sinè sorte, sinè lege, ad Cæsarem cucurristi. Id enim unum in terris, egestatis, æris alieni, nequitiæ, perditis vitæ rationibus perfugium esse debebas. Ibi te cùm, & illius largitionibus, & tuis rapinis expleviſſes (si hoc est explere, quod statim effundas) advolâsti egens ad Tribunatum; ut in eo magistratu, si posses, vitrici tui similis esse. Accipite nunc, quæso, non ea, quæ ipse in se, atque in domesticum dedecus impurè, utque intemperanter; sed quæ in nos, fortunásque vestras, id est, in universam Rempublicam, impiè, ac nefariè fecerit. Ab hujus enim scelere omnium malorum principium natum reperietis.

51. Nam cùm L. Lentulo, C. Marcello, Conss. Cal. Jan. labentem, & propè cadentem Rempubl. fulcire cupieretis; ipsique C. Cæsari, si sana mente esset, consulere velletis; tum iste venditum, atque mancipatum Tribunatum, consiliis vestris opposuit; cervicésque suas ei subjecit securi, qua multi minoribus in peccatis occiderunt. In te M. Antoni id decrevit Senatus, & quidem incolumis, nondum tot luminibus extinctis, quod in hostem togatum decerni est solitum more majorum. Et tu apud patres conscriptos contra me dicere ausus es, cùm ab hoc ordine ego conservator essem, tu hostis Reipubl. judicutus? commemoratio illius tui sceleris intermissa est, non memoriâ deleta. Dum genus hominum, dum populi Romani nomen extabit, (quod quidem erit, si per te licuerit, sempiternum) tua illa pestifera intercessio nominabitur.

52. Quid cupidè à Senatu, quid temerè fiebat? cùm tu unus adolescens universum ordinem decernere de salute Reipubl. prohibuisti. Neque id semel, sed sæpiùs? neque tu tecum de Senatûs authoritate agi passus es? Quid autem agebatur, nisi me delere, & evertere Rempubl. fundique velles? Cùm te neque Principes civitatis rogando, neque majores natu monendo, neque frequens Senatus agendo, de vendita, atque addicta sententia movere potuit.

53. Tum illud, multis antè rebus tentatis, necessariò

52. Ejus intercessio *Tribunitia*, causa fuit belli civilis, cujus clades Orator enumerat Exclamatione duplici, Comparatione, & Conversione.

tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te, quorum incolumis fuit nemo. Tum contra te dedit arma hic ordo consulibus, reliquisque Imperiis, & potestatibus. Quæ non effugisses, nisi te ad arma Cæsaris contulisses. Tu inquam, M. Antoni, princeps C. Cæsari omnia perturbare cupienti, causam belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat? quam causam dementissimi sui consilii, & facti afferebat, nisi quòd interceſſio neglecta, jus Tribunitum ablatum, circumscriptus esset Antonius? omitto, quàm hæc falsa, quàm levia; præsertim cùm omnino nulla causa justa cuiquam esse possit, contra patriam arma expediendi. Sed nihil de Cæsare. Tibi certè confitendum est, causam pernicioſissimi belli in persona tua constitisse.

55. O miserum te, si intellgis! miseriorem, si non intelligis! Hoc litteris mandari, hoc memoriæ prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium sæculorum unquam immemorem fore: Consules ex Italia expulsos; cúmque his Cn. Pompeji, qui imperii populi Romani decus, ac lumen fuit: omnes Consulares, qui per valetudinem exequi cladem illam, fugámque potuissent, Prætores, Prætorios, Tribunos plebis, magnam partem Senatûs, omnem sobolem juventutis, unóque verbo Rempe expulsam, atque exterminatam suis sedibus.

55. Ut igitur in seminibus causa est arborum, & stirpium; sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque eripuit vobis Antonius. Authoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius. Omnia denique, quæ postea vidimus (quid autem mali non vidimus?) si rectè rationabimur, uni accepta referemus Antonio. Ut Helena Trojanis, sic iste Reipubl. causa belli, causa pestis, atque exitii fuit. Reliquæ partes Tribunatûs principiis similes. Omnia perfecit, quæ Senatus salva Republ. ne fieri possent, perfecerat. Cujus tamen sceleris in scelere cognoscite.

56. Restituebat multos calamitosos. In his patrui nulla

Amplificatur 2. quod neglecto patruo suo iniquè multos exules restituerit præcipuè Licinium de alea condemnatum.

nulla mentio. Si ſeverus, cur non in omnes? ſi miſericors, cur non in ſuos? ſed omitto cæteros. Licinium Deoticulam de alea condemnatum, colluſorem ſuum, reſtituit. Quaſi verò ludere cum condemnato non liceret; ſed ut, quod in alea perdiderat, beneficio legis diſſolveret. Quam attuliſti rationem populo Romano, cur eum reſtitui oporteret? abſentem credo in reos relatum; reum indictâ causâ judicatam; nullum fuiſſe de alea lege judicium; vi oppreſſum, & armis; poſtremò, quod de patruo dicebatur, pecuniâ judicium eſſe corruptum. Nihil horum. At vir bonus, & Republ. dignus. Nihil id quidem ad rem. Ego tamen, quoniam condemnatum eſſe pro nihilo eſt, ſi ita eſſet, ignoſcerem. Hominem omnium nequiſſimum, qui non dubitaret, vel in foro alea ludere, lege, quæ eſt de alea, condemnatum, qui in integrum reſtituit, is non apertiſſimè ſtudium ſuum ipſe profitetur?

57. In eodem verò Tribunatu, cùm Cæſar in Hiſpaniam proficiſcens, huic conculcandam Italiam tradidiſſet, quæ fuit ejus peragratio itinerum? luſtratio municipiorum? ſcio me in rebus celebratiſſimis omnium ſermone verſari: eáque, quæ dic, dicturus ſum, notiora eſſe omnibus, in Italia tum fuêre, quàm mihi, qui non fui. Notabo tamen ſingulas res; etſi nullo modo poterit oratio mea ſatisfacere veſtræ ſcientiæ. Ecquod enim unquam in terris tantum flagitium extitiſſe auditum eſt? tantam turpitudinem? tantum dedecus?

58. Vehebatur in eſſedo Tribunus plebis; lictores laureati antecedebant; inter quos apertâ lecticâ Mima portabatur; quam ex oppidis municipales homines honeſti obviam neceſſariò prodeantes, non noto illo, & mimico nomine, ſed Volumniam ſalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequiſſimi. Rejecta mater, amicam impuri filii, tanquam nurum ſequebatur. O miſeræ mulieris fœcunditatem calamitoſam! Horum flagitiorum iſte veſtigiis omnia municipia, Præfecturas, Colonias, totam denique Italiam impreſſit.

57. Amplificatur 3. quòd Italiam ſibi traditam à Cæſare conculcârit, cujus itinera invidioſa hypotheſi deſcribuntur.

59. Reliquorum factorum ejus P. C. difficilis eſt ſanè reprehenſio, & lubrica. Verſatus in bello eſt; ſaturavit ſe ſanguine diſſimillimorum ſui civium; fuit felix, ſi poteſt ulla eſſe in ſcelere felicitas. Sed quoniam veteranis cautum eſſe volumus (quamquam diſſimilis eſt militum cauſa, & tua: illi ſecuti ſunt, tu quæſiſti ducem) tamen, ne apud illos me in invidiam voces, nihil de genere belli dicam. Victor è Theſſalia Brunduſium cum legionibus revertiſti. Ibi me non occidiſti. Magnum beneficium! Potuiſſet enim fateor. Quamquam nemo erat eorum, qui tunc tecum fuerunt, qui mihi non cenſeret parci oportere.

60. Tanta enim eſt charitas patriæ, ut veſtris etiam legionibus ſanctus eſſem, quod eam à me ſervatam eſſe meminiſſent. Sed fac te id dediſſe mihi, quod non ademiſti; méque à te habere vitam, quia à te non ſit erepta; licuítne mihi per tuas contumelias hoc beneficium ſic tueri, ut tuebar; præſertim cum te hæc auditurum videres?

61. Veniſti Brunduſium, in ſinum quidem, & complexum tuæ mimulæ. Quid eſt? num mentior, quam miſerum eſt id negare non poſſe, quod ſit turpiſſimum confiteri? ſive municipiorum non pudebat, ne veterani quidem exercitûs? quis enim miles fuit, qui Brunduſii illam non viderit? Quis, qui neſcierit, veniſſe eam tibi tot dierum viam gratulatum? quis, qui non indoluerit, tam ſerò ſe, quam nequam hominem ſecutus eſſet, cognoſcere?

62. Italiæ rurſus percurſatio, eadem comite mimâ; in oppida, militum crudelis, & miſera deductio; in urbe auri, argenti, maximéque vini, fœda direptio. Acceſſit, ut Cæſare ignaro, cum ille eſſet Allexandriæ, beneficio amicorum magiſter equitum conſtitueretur. Tum exiſtimavit ſe ſuo jure cum Hippia vivere, & equos vectigales Sergio mimo tradere. Tum ſibi non hanc, quam nunc malè tuetur, ſed M. Piſonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego iſtius decreta, quid rapinas, quid hæredi-

56. Reliqua hujus itineris, & in bello civili acta ità perſtringit, ne veteranos offendat. Beneficio Brunduſii accepto opponit contumelias Antonii, &c.

reditatum poſſeſſiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egeſtas; quò ſe verteret, non habebat; nondum ei tanta à L. Rubrio, non à L. Turſelio hæreditas venerat; nondum in Cn. Pompeji locum, multorúmque aliorum, qui aberant, repentinus hæres ſucceſſerat. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuiſſet.

63. Sed hæc, quæ robuſtioris improbitatis ſunt, omittamus. Loquamur potiùs de nequiſſimo genere levitatis. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſtâ gladiatoriâ totius corporis firmitate, tantum vini in Hippæ nuptiis exhauſeras: ut tibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu vomere poſtridie. O rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu! Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe diceret? in cœtu verò populi Romani negotium publicum gerens, Magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet; is vomens fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum Tribunal implevit. Sed hoc ipſe fatetur eſſe in ſuis ſordibus. Veniamus ad ſplendidiora.

64. Cæſar Alexandriam ſe recepit felix, ut ſibi quidem videbatur: meâ autem ſententiâ, ſi quis Reipublicæ ſit infelix, felix eſſe nemo poteſt. Haſtâ poſitâ pro æde Jovis Statoris, bona Cn. Pompeji (miſerum me! conſumptus enim lachrymis, tamen fixus animò hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeji Magni, voci acerbiſſimæ ſubjecta præconis. Una in illa re, ſervitutis oblita civitas ingemuit; ſervientibúsque animis, gemitus tamen populi Romani liber fuit. Expectantibus omnibus quisnam eſſet tam impius, tam demens, tam Diis, hominibúsque hoſtis, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere, inventus eſt nemo præter Antonium; præſertim cùm tot eſſent circa haſtam illam, qui alia omnia auderent. Unus inventus eſt, qui id auderet, quod omnium fugiſſet, & formidâſſet audacia.

63. *In Magiſterio Equitum* oppreſſit Rempubl. oſtenditur ex decretis, rapinis, uti & ejus vinolentiâ, ac vomitu, quem per incrementum deſcribit Cicero.

64. Deinde maximo indignationis affectu bona Cn. Pompeji vendita, & empta ab uno Antonio exagerat.

65. Tantus igitur te ſtupor oppreſſit; vel ut verius dicam, tantus furor? ut primùm, cùm ſector ſis iſto loco natus, deinde cùm Pompeji ſector, non te execrandum populo Romano, non deteſtabilem, non omnes tibi Deos, non omnes homines, & eſſe inimicos, & futuros ſcias? At quàm inſolenter ſtatim heluo invaſit in ejus viri fortunas? cujus virtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, juſtitiâ charior. In ejus igitur copias cùm ſe ſubitò ingurgitâſſet, exultabat gaudio perſona de mimo; modò egens, repentè dives.

66. Sed ut eſt apud Poëtam neſcio quem: *Malè parta, malè dilabuntur;* incredibile, ac ſimile portenti eſt, quonam modo illa tam multa, quàm paucis, non dico menſibus, ſed diebus effuderit. Maximus vini numerus fuit; permagnum optimi pondus argenti; ſpecioſa veſtis, multa, & lauta ſupellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxurioſi hominis, ſed tamen abundantis. Horum paucis diebus nihil erat.

67. Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quæ ſi fuit, animal unum fuit. Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam citò abſorbere potuiſſe. Nihil erat clauſum, nihil obſignatum, nihil ſcriptum; apothecæ totæ nequiſſimis hominibus condonabantur. Alia mimi rapiebant, alia mimæ. Domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum; totos dies potabatur, atque in locis pluribus. Suggerebantur etiàm ſæpè (non enim ſemper iſte felix) damna aleatoria. Conchiliatis Cn. Pompeji peri-ſtromatis, ſervorum in cellis lectos ſtratos videres. Quamobrem deſinite mirari, hæc tam celeriter eſſe conſumpta. Non modò unius patrimonium, quamvis amplum, ut illùd fuit; urbes, & regna celeriter tanta nequitia devorare potuiſſet.

68. At idem ædes etiam, & hortos. O audaciam immanem! tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſi-

65. Hæc tanti viri bona ab helluone hoc ſtatim devorata hyperbolâ, Comparatione, Hypotypoſi mirificè amplificat.

68. Domum Pompeji occupatam eſſe, exclamatione, & novo effectu à diſparitate utriusque Domini inſectatur.

tissimum limen intrare? tu illarum ædium Diis penatibus os importunissimum ostendere? quam domum aliquamdiu nemo aspicere poterat, nemo sinè lachrymis præterire; hac te in domo tam diu diversrai non pudet? in qua, quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse jucundum. An tu illa in vestibulo hostium spolia cùm aspexisti, domum tuam te introire putas? fieri non potest. Quamvis enim sinè mente, sinè sensu sis, ùt es, tamen & te, & tua, & tuos nôsti. Nec verò te unquam, neque vigilantem, neque in somnis credo mente posse consistere. Necesse est, quamvis sis, ùt es, violentus, & furens, cùm tibi objecta sit species singularis viri, perteritum de somno excitari, furere etiam sæpè vigilantem.

69. Me quidem miseret parietum ipsorum, atque tectorum. Quid enim unquam domus illa viderat, nisi pudicum? quid nisi ex optimo more, & sanctissima disciplina? fuit enim ille vir P. C. sicut scitis, cùm foris clarus, tum domi admirandus; neque rebus externis magis laudandus, quàm institutis domesticis. Hujus in sedibus, pro cubiculis stabula, pro tricliniis popinæ sunt. Et si jam negat, nolite, nolite quærere. Frugi factus est; mimam illam suam suas res sibi habere jussit ex duodecim tabulis; claves ademit, foras exegit. Quàm porrò spectatus civis, quàm probatus? cujus ex omni vita nihil est honestius, quàm quòd cum Mima fecit divortium.

70. At quàm crebrò usurpat, *& Consul, & Antonius?* hoc est dicere, & Consul, & impudicissimus; & Consul, & homo nequissimus. Quid enim aliud Antonius? nam si dignitas significaretur nomine, dixisset aliquando, credo, avus tuus se & Consulem, & Antonium. Nunquam dixit. Dixisset etiam collega meus, patruus tuus. Nisi es solus Antonius. Sed omitto ea peccata, quæ non sunt earum partium propria, quibus tu Rempublicam vexavisti. Ad ipsas tuas partes redeo, id est, ad civile bellum; quod natum, conflatum, susceptum operâ tuâ est.

71. Cui

79. **Verùm omissis aliis peccatis, quibus Rempubl. vexavit, redit ad civile bellum, cujus cùm causa sit Antonius, ejus tamen reliquias conficere noluit.**

71. Cui bello tum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti: gustâras civilem sanguinem, vel potiùs exorbueras; fueras in acie Pharsalica antesignanus; L. Domitium nobilissimum, & clarissimum virum occideras, multósque præterea, qui è prælio effugerant, quos Cæsar ut nonnullos, fortasse servâsset, crudelissimè persecutus trucidâras. Quibus rebus tantis, talibus gestis, quid fuit causæ, cur in Africam Cæsarem non sequerêre? cùm præsertim belli pars tanta restaret? Itaque quem locum apud ipsum Cæsarem post ejus ex Africa reditum obtinuisti? quo numero fuisti? cujus tu imperatoris quæstor fueras, Dictatoris magister equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, prædæ socius, testamenti, ùt dicebas ipse, filius; appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas.

72. Primô respondisti planè ferociter; & ne omnia videar contra te, propemodum æqua, & justa dicebas. A me C. Cæsar pecuniam? cur potiùs, quàm ego ab illo? an ille sinè me vicit? at ne potuit quidem. Ego ad illum belli civilis causam attuli; ego leges pernicioſas rogavi; ego arma contra Consules, Imperatorésque populi Rom. contra Senatum, populúmque Romanum, contra Deos patrios, arásque, & focos, contra patriam tuli. Num sibi soli vicit? quorum facinus commune, cur non sit eorum præda communis? Jus postulabas, sed quid ad rem? plus ille poterat.

73. Itaque excussis tuis vocibus, & ad te, & ad prædes tuos milites misit; cùm repentè à te præclara illa tabula prolata, qui risus hominum? tantam esse tabulam, tam varias, tam multas possessiones? ex quibus, præter partem Miseni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere. Auctionis verò miserabilis aspectus. Vestis Pompeji non multa, eáque maculosa. Ejusdem quædam argentea vasa collisa; sordidata mancipia; ut dole-

81. Nam propter timiditatem, & libidines Cæsarem in Africam secutus non est; quare ab Cæsare offenso appellatus de pecunia ex sectione bonorum Pompeji redacta, suorum bonorum actionem facere coactus est, quam per Prosopopœjam irridet Cicero.

doleremus, quidquam esse ex illis reliquiis, quod videre possemus.

74. Hanc tamen auctionem hæredes L. Rubrii decreto Cæsaris prohibuerunt. Hærebat nebulo; quò se verteret, non habeat. Quin his ipsis temporibus, domi Cæsaris percussor ab isto missus, deprehensus dicebatur esse cum fica. De quo Cæsar in Senatu apertè in te invehens, questus est. Proficiscitur in Hispaniam Cæsar; paucis tibi ad solvendum, propter inopiam tuam prorogatis diebus. Nè tum quidem sequeris. Tam bonus gladiator, rudem tam citò accepisti? hunc igitur quisquam qui in suis partibus, id est, in suis fortunis tam timidus fuerit, pertimescat?

75. Profectus est aliquando tandem in Hispaniam; sed tutò, ut ait, pervenire non potuit. Quonam modo igitur Dollabella pervenit? aut non suscipienda fuit ista causa Antoni; aut cùm suscepisses, defendenda usque ad extremum. Ter depugnavit Cæsar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Omnibus affuit his pugnis Dolabella. In Hispania vulnus accepit. Si de judicio quæris, nollem; sed tamen consilium à primo reprehendendum, laudanda constantia. Tu verò quid es? Cn. Pompeji liberi primùm patriam repetebant. Esto, fuerit hæc causa communis. Repetebant præterea Deos penates patrios aras, focos, larem suum familiarem, in quæ tu invaseras. Hæc cùm repeterent armis ii, quorum erant legibus (etsi in rebus iniquissimis quid potest esse æqui;) tamen erat æquissimum, contra Cn. Pompeji liberos, Cn. Pompeji pugnare sectorem.

76. At tu Narbone in mensas hospitum cùm vomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret? qui verò Narbone reditus? & tamen etiam quærebat, cur ego ex ipso

74. Neque in hispaniam secutus est Cæsarem, nisi serò admodum, quod Cicero irridet 1. à Comparatione constantis Dolabellæ, cùm tamen magis bello interesse oportuisset Antonium nempe sectorem bonorum Pompeji.

74. 3. Ridet illum facetè, Narbone ficto prætextu in poculis resistentem facta dissimili comparatione suæ reversionis, & Reversionis Consulatûs.

ipſo curſu tam ſubitò revertiſſem. Expoſui nuper P. C. cauſam reditûs mei. Volui, ſi poſſem, etiam ante Calen. Jan. prodeſſe Reipubl. Nam quod quærebas, quomodo rediſſem, primùm luce, non tenebris, deinde cum calceis, & toga, nullis nec Gallicis, nec lacerna. At etiam aſpicis me, & quidem, ut videris, iratus. Ne tu mecum jam in gratiam redeas; ſi ſcias, quàm me pudeat nequitiæ tuæ, cujus te ipſum non pudet. Ex omnium omnibus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi, quàm quod qui magiſter equitum fuiſſe tibi viderêre, in proximum annum conſulatum peteres, vel potiùs rogares; is per municipia, coloniásque Galliæ, à qua nos tum, cùm Conſulatus petebatur, non rogabatur, petere Conſulatum ſolebamus; cum Gallicis, & lacerna cucurriſti.

77. At videte levitatem. Cùm hora diei decima ferè ad ſaxa rubra veniſſet, detulit in quadam cauponula, atque ibi ſe occultans perpotavit ad veſperum. Inde ciſio celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto. Janitor, quis tu? à Marco tabellarius. Confeſtim ad eam, cujus causâ venerat, deducitur, eſque epiſtolam tradidit. Quam cùm illa legeret flens (erat enim amatoriè ſcripta. Caput autem literarum: ſibi cum illa mima poſthac nihil futurum, omnem ſe amorem abjeciſſe illinc, atque in hanc transfudiſſe) cùm mulier fleret uberiùs, homo miſericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum invaſit. O hominem nequam! quid enim aliud dicam? magis propriè nihil poſſum dicere. Ergo ut te Catamitum, nec opinatò cùm oſtendiſſes, præter ſpem mulier aſpiceret, idcircò urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu pertubeſti.

78. Et domi quidem cauſam amoris habuiſti, foris etiam turpiorem, ne L. Plancus prædes tuos venderet. Productus in concionem à Trib. pl. cùm reſpondiſſes, te rei

77. 3. Iterum Dialogiſmo irridet levitatem Antonii, qui ut inopinatò ſe conjungi oſtenderet, nocte urbem iniit, quamquam & aliæ cauſæ turpiores fuêre, noctu redeundi.

78. *Conſulatu oppreſſit Rempubl.* 1. Ante Kal. Jan. egens, & are alieno perditus in Cæſaris gratiam receptus, hujus non item po[illegible] juſſu Conſul dicitur, cluſo perfidè Dolabellâ.

rei tuæ causâ veniſſe, populum etiam dicacem reddidiſti. Sed nimìs multa de nugis, ad majora veniamus. Cæſari ex Hiſpania redeunti obviam longiſſimè proceſſiſti. Celeriter iſti, & rediſti, ut cogooſceret te, ſi minùs fortem, attamen ſtrenuum. Factus es ei rurſus neſcio quomodo familiaris. Habebat hoc omnino Cæſar, quem planè perditum ære alieno, egentémque, ſi eundem nequam hominem, audacémque cognoverat, hunc in familiaritatem libentiſſimè recipiebat.

79. His igitur rebus præclarè commendatus, juſſus eſt renunciari Conſul, & quidem cum ipſo. Nihil queror de Dolabella, qui tum eſt impulſus, inductus, eluſus. Qua in re quanta fuerit utriusque veſtrum perfidia in Dolabellam, quìs ignorat? ille induxit, ut peteret, promiſſum, & ereptum intervertit, ad ſéque tranſtulit, ut ejus perfidiæ voluntatem tuam adſcripſiſti. Veniunt Calen. Januarii; cogimur in Senatum, invectus eſt copioſiùs multò in iſtum, & paratiùs Dolabella, quàm nunc ego. Hic autem iratus, quæ dixit, Dii boni!

80. Primùm cùm Cæſar oſtendiſſet, ſe priùs quàm proficiſceretur, Dolabellam Conſulem eſſe juſſurum, quem negant Regem, qui & faceret ſemper ejusmodi aliquid, & diceret; ſed cùm Cæſar ità dixiſſet, tum hic bonus augur, eo ſe ſacerdotio præditum eſſe dixit, ut comitia auſpiciis vel impedire, vel vitiare poſſet, ídque ſe facturum eſſe aſſeveravit. In quo primùm incredibilem ſtupiditatem hominis cognoſcite.

81. Quid enim? iſtud, quod de ſacerdotii jure facere poſſe dixiſti, ſi augur non eſſes, & Conſul eſſes, minùs facere potuiſſes? Vide, ne etiam facilius. nos enim nunciationem ſolùm habemus; Conſules, & reliqui magiſtratus etiam inſpectionem. Eſto hoc imperitè (nec enim ab homine nunquam ſobrio poſtulanda providentia) ſed videte impudentiam. Multis antè menſibus in Senatu dixit, ſe Dolabellæ comitia, aut prohibiturum auſpiciis; aut id

80. Poſtquam magiſtratum iniit, audirétque Cæſari in Parthos abituro Dolabellam Conſulem ſurrogandum, impudenter, & imperitè ſe ad ſacerdotium rediturum, & auſpicia oppoſiturum dicit.

id facturum esse, quod fecit. Quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de cœlo servare constituit? quod neque licet comitiis per leges; & si quis servabit, non habitis comitiis, sed priùs quàm habeantur, debet nunciare. Verùm implicata insciti impudentia est, si nec scit, quod augurem, nec facit, quod pudentem decet.

82. Atque ex eo die recordamini ejus usque ad Idus Martias Consulatum. Quis unquam apparitor tam humilis? tam abjectus? nihil ipse poterat; omnia rogabat; caput in adversam lecticam inferens, beneficia, quæ venderet, à collega petebat. Ecce Dolabellæ comitiorum dies; sortitio prærogativæ; quievit, renunciatur, tacet. Prima classis vocatur, renunciatur. Ità, ut assolet, suffragia. Tum secunda classis; quæ omnia sunt citiùs facta, quàm dixi. Confecto negotio, bonus Augur (Lælium diceres) alio die, inquit.

83. O impudentiam singularem! quid videras? quid senseras? quid audieras? nec enim te de cœlo servâsse dixisti, neque hodie dicis. Id igitur obvenit vitium, quod tu jam Calendis Januar. futurum esse provideras, & tantò antè prædixeras. Ergo hercule magna, ut spero, tuâ potius, quam Reipubl. calamitate, ementitus es auspicia, obstrinxisti populum Romanum Religione: Augur Auguri, Consul Consuli, obnunciâsti. Noli plura; ne acta Dolabellæ videar convellere; quæ necesse est aliquando ad nostrum collegium deferantur.

84. Sed arrogantiam hominis, insolentiámque cognoscite. Quamdiu tu voles, vitiosus Consul Dolabella; rursus, cùm voles, salvis auspicis creatus. Si nihil est, cùm Augur his verbis nunciat, quibus tu nunciâsti; confitere te, cùm alio die dixeris, sobrium non fuisse. Sin est

82. A Kal. Jan. ad Idus Martias pari insciti, & impudentia obnunciavit Comitiis, cùm nihil inesset vitii, religiones fingendo.

84. Digreditur ad Lupercalia, quibus Antonius Cæsari diadema supplex obtulit, idque fastis inscribi voluit, quod flagitium Orator, maximo populi Rom. odio, & morte dignum amplificat exemplis multorum.

est aliqua vis in istis verbis; ea, quæ sit, augur à collega requiro. Sed ne fortè ex multis rebus gestis, M. Antonii rem unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. Non dissimulat, P. C. apparet esse commotum; sudat, pallet. Quilibet, modò ne nauseet, faciat; quod in porticu Minutia fecit. Quæ potest esse turpitudinis tanta defensio? cupio audire; ut videam ubi Rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat.

85. Sedebat in rostris collega tuus, amictus togâ purpureâ, in sella aurea coronatus. Ascendis; accedis ad sellam: ità eras Lupercus, ut te esse Consulem meminisse deberes. Diadema ostendis, gemitus toto foro. Unde diadema? non enim abjectum sustuleras; sed attuleras domo meditatum, & cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi; ille cum plausu rejiciebat. Tu ergo unus, scelerate, inventus es; qui, cùm auctor regni esses, eum, quem collegam habebas, dominum habere velles, & idem tentares, quid populus Rom. ferre, & pati possit.

86. At enim misericordiam captabas, supplex te ad pedes adjiciebas. Quid petens? ut servires? tibi uni peteres, qui ità à puero vixeras, ut omnia paterêre, ut facilè servires. A nobis, populóque Romano mandatum id certè non habebas. O præclaram illam eloquentiam tuam! cùm es nudus concionatus. Quid hoc turpius? quid fœdius? quid suppliciis omnibus dignius? num expectas, dum te stimulis fodiam? hæc te, si ullam partem habes sensûs, lacerat, hæc cruentat oratio. Vereor, ne imminuam virorum summorum gloriam. Dicam tamen dolore commotus. Quid indignius, quàm vivere eum, qui imposuerit diadema; cùm omnes fateantur, jure interdictum esse, qui abjecerit?

87. At etiam inscribi jussit in fastis ad Lupercalia: *C. Cæsari Dictatori perpetuo M. Antonium Consulem populi jussu regnum detulisse, Cæsarem uti noluisse.* Jam jam minimè miror, te ocium perturbare: non modò urbem odisse, sed etiam lucem; cùm perditissimis latronibus non solùm de die, sed etiam in diem vivere. Ubi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus, & in judiciis esse

poteſt? quæ tu, quantum in te fuit, dominatu regio ſuſtuliſti? Ideóne L. Tarquinius exactus? Spurius Caſſius, Melius, M. Manlius necati? ut multis pòſt ſæculis à M. Antonio, quod fas non eſt, Rex Romæ conſtitueretur?

88. Sed ad auſpicia redeamus, de quibus rebus Idib. Martiis fuit in Senatu Cæſar acturus. Quæro, tum tu quid egiſſes? Audiebam equidem, te paratum veniſſe; quòd mementitis auſpiciis, quibus tamen parêre neceſſe erat, putares eſſe dicturum. Suſtulit illum diem fortuna Reipubl. Num etiam tuum de auſpiciis judicium interitus Cæſaris ſuſtulit? Sed incidi in id tempus, quod iis rebus, in quas ingreſſa erat oratio, prævertendum eſt. Quæ tua fuga? quæ formido illo præclaro die? Quæ propter conſcientiam ſcelerum deſperatio vitæ? cùm ex illa fuga beneficio eorum, qui te, ſi ſanus eſſes, ſalvum eſſe voluerunt, clàm te domum recepiſti?

89. O mea ſemper fruſtra veriſſima auguria rerum futurarum! dicebam illis in Capitolio liberatoribus noſtris, cùm me ad te ire vellent; ut ad defendendam Rempubl. te adhortarer; quoad metueres, omnia te promiſſurum; ſimul ac timere deſiſſes, ſimilem futurum tui. Itaque cùm cæteri Conſulares irent, redirent, in ſententia manſi; neque te illo die, neque poſtero vidi; neque ullam ſocietatem optimis civibus cum importuniſſimo hoſte fœdere ullo confirmari poſſe credidi. Poſt diem tertium veni in ædem Telluris, & quidem invitus; cùm omnes aditus armati obſiderent.

90. Qui tibi dies ille ille M. Antonii fuit? Quanquam mihi ſubitò inimicus extitiſti; tamen me tui miſeret, quòd tibi invideris. Qui tu vir, Dii immortales! & quantus fuiſſes? ſi illius diei mentem ſervare potuiſſes, Pacem haberemus, quæ erat facta per obſidem puerum nobilem M. Bamba-

88. Ipſas Idus Martias, quo die cæſus eſt Cæſar ementita iterum auſpicia parabat. Hujus verò præclari auguris timorem, & fugam conſcientiæ præteritorum ſcelerum adſcribit Cicero, ac futura ejus ſcelera veriſſimè proſpexit.

90. Quidquid inde rectè, & è Republ. fecit, timore, & ſimulatione fecit; poſtea verò redeunte audaciâ, nihil non improbè facturum prævidet, & vaticinatur Cicero.

Bambalionis nepotem. Quanquam te bonum timor faciebat, non diuturnus magiſter officii; improbum fecit ea, quæ, dum timor abeſt, à te non diſcedit, audacia. Etſi tum, cùm optimum te putabant, me quidem diſſentiente, funeri Tyranni, ſi illud funus fuit, ſceleratiſſimè præfuiſti. Tua illa pulchra laudatio, tua miſeratio, tua cohortatio.

91. Tu, tu inquam, illas faces incendiſti; & eas, quibus ſemiuſtulatus ille eſt; & eas, quibus incenſa L. Bellieni domus deflagravit. Tu illos impetus perditorum, & ex maxima parte ſervorum, quos non vi, manúque repulimus, in noſtras domos immiſiſti. Idem tamen, quaſi fuligine abſtersâ, reliquis diebus in Capitolio præclara Senatusconſulta feciſti; ne qua poſt Idus Martias immunitatis tabula, neve cujus beneficii figeretur. Meminiſti ipſe de exulibus, ſcis de immunitate, quid dixeris. Optimum verò, quòd dictaturæ nomen in perpetuum de Republica ſuſtuliſti. Quo quidem facto tantum te ceciſſe odium regni videbatur; ut ejus omnem propter proximum dictatorem metum tolleres.

92. Conſtituta Reſpubl. videbatur aliis; mihi verò nullo modo; qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num igitur me fefellit? aut num diutiùs ſui potuit eſſe diſſimilis! Inſpectantibus vobis, toto Capitolio tabulæ figebantur; neque ſolùm ſingulis veniebant immunitates, ſed etiam populis; civitas non jam ſingillatim, ſed provinciis totis dabatur. Itaque ſi hæc manent, quæ ſtante Republ. manere non poſſunt, provincias univerſas, Patres conſcripti, perdidiſtis; neque vectigalia ſolùm, ſed etiam imperium populi Romani hujus domeſticis nundinis diminutum eſt.

93. Ubi eſt ſepties millies ſeſtertiûm? quod eſt in tabulis, quæ ſunt ad Opis? funeſta illius quidem pecunia; ſed tamen quæ nos, ſi iis, quorum erat, non redderetur, à tributis poſſet vindicare. Tu autem quadringenties ſeſtertiûm, quod Idibus Martiis debuiſti, quonam modo ante Calend. April. debere deſiiſti? quod ego de commen-

92. Opinionem ſuam confirmat in immunitatibus palàm venditis, & ex ſepties millies ſeſtertiûm, quos rapuit.

93. Item ex reſtituta, & vendita Dejotaro Regi parte Gallo-Græciæ, & Armeniæ, quas Cæſar eripuerat.

tatitiis infinitis, quid de innumerabilibus chyrographis loquar? ſunt ea quidem innumerabilia, quæ à diverſis emebantur, non inſciente te. Sed unum egregium de Rege Dejotaro, populi Romani amiciſſimo; decretum in Capitolio fixum. Quo propoſito, nemo erat, qui in ipſo dolore riſum poſſet continere.

94. Quis enim cuiquam inimicior, quam Dejotaro Cæſar, æque atque huic ordini, ùt Equeſtri, ùt Maſſilienſibus, ùt omnibus, quibus Rempubl. populi Romani charam eſſe ſentiebat. Igitur, à quo vivo nec præſens, nec abſens quicquam æqui boni impetravit, apud mortuum factus eſt gratioſus. Compellârat hoſpitem præſens, computârat, pecuniam impetrârat; in ejus terrarchia unum ex Græcis comitibus ſuis collocârat; Armeniam abſtulerat à Senatu datam. Hæc vivus eripuit, reddit mortuus.

95. At quibus verbis? modò æquum ſibi videri, modò non iniquum. Mira verborum complexio. At ille nunquam (ſemper enim abſenti affui Dejotaro) quicquam ſibi, quod nos pro illo poſtularemus, æquum dixit videri. Syngrapha HS. centies per legatos viros bonos, ſed timidos, & imperitos, ſinè Sexti, ſinè reliquorum hoſpitum regis ſententia, facta in gynæceo. Quo in loco plurimæ res venierunt, & veneunt. Qua ex ſyngrapha quid ſis auſturus, meditêre cenſeo. Rex enim ipſe ſua ſponte, nullis commentariis Cæſaris, ſimul atque audivit ejus interitum, ſuo marte res ſuas recuperavit.

96. Sciebat homo ſapiens, jus ſemper hoc fuiſſe; ut quæ Tyranni eripuiſſent, ea, Tyrannis interfectis, ii, quibus erepta eſſent, recuperarent. Nemo igitur jureconſultus, ne iſte quidem, qui tibi uni eſt jureconſultus, per quem hæc agis, ex iſta ſyngrapha deberi dicit pro iis rebus, quæ erant ante ſyngraphan recuperatæ. Non enim à te emit; ſed priùs, quàm tu ſuum ſibi venderes, ipſe poſſedit. Ille vir; nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus.

97. Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chyrographis loquar? quorum etiam imitatores

97. Tum ex Creta vectigalibus liberata fictis pro libidine commentariis & Chyrographis Cæſaris.

tatores ſunt, qui ea, tanquam gladiatorum libellos, palam venditent. Itaque tanti acervi numerorum apud iſtum conſtruuntur; ut jam appendantur, non numerentur pecuniæ. At quàm cœca avaritia eſt? nuper fixa tabula eſt, quâ civitates locupletiſſimæ Cretenſium vectigalibus liberantur; ſtatuitúrque, ne poſt M. Brutum Proconſulem, ſit Creta provincia. Tu mentis es compos? Tu non conſtringendus? an Cæſaris decreto Creta poſt M. Bruti deceſſum potuit liberari? cùm Creta nihil ad Brutum, Cæſare vivo, pertineret? At hujus venditione decreti (ne nihil actum pueris) provinciam Cretam perdidiſtis. Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor.

98. Et de exulibus legem, quam fixiſti, Cæſar tulit? nullius infector calamitatem; tantum queror, primùm eorum reditus inquinatos, quorum cauſam diſſimilem indicavit. Deinde neſcio, cur non reliquis idem tribuas. Neque enim plùs quàm tres, aut quatuor reliqui ſunt, qui ſimili in calamitate ſunt. Cur tuâ miſericordiâ ſimili non fruuntur? Cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cùm de reliquis ferres, noluiſti. Quem etiam ad cenſuram petendam impuliſti; eámque petitionem comparâſti, quæ & riſus hominum, & querelas moveret.

99. Cur autem ea comitia non habuiſti? an quia Tribunus plebis ſiniſtrum fulmen nunciabat? Cùm tuâ quid intereſt, nulla auſpicia ſunt; cùm tuorum, tum ſis religioſus. Quid? eundem in Septem viratu nónne deſtituiſti? intervenit enim cùm metuiſti; credo, ne ſalvo capite negare non poſſes. Omnibus eum contumeliis onerâſti; quem patris loco, ſi ulla in te pietas eſſet, colere debebas; filiam ejus, ſororem tuam ejeciſti, alia conditione quæſita, & antè perſpecta. Non ſatis eſt; probari inſimulâſti pudiciſſimam fœminam. Quid eſt, quod addi poſſit? contentus eo non fuiſti. Frequentiſſimo Senatu Cal. Jan. ſedente patre hanc tibi eſſe cum Dolabella cauſam odii dicere auſus es; quòd ab eo ſorori, & uxori tuæ ſtuprum eſſe oblatum

98. Ex lege etiam ficta nomine Cæſaris, de reſtituendis exulibus, derelicto impiè patrono. Parva hinc fit digreſſio ad injurias, quibus affecit parruum.

comperiſſes. Quis interpretari poteſt, impudentiórne, qui in Senatu; an improbior, qui in Dolabellam; an impurior, qui patre audiente; an crudelior, qui in illam miſeram ſpurcè, tam impiè dixeris?

100. Sed ad Chyrographa redeamus, quæ tua fuit cognitio: acta enim Cæſaris, pacis causâ confirmata ſunt à Senatu; quæ quidem Cæſar egiſſet, non ea, quæ Cæſarem egiſſe dixiſſet Antonius. Unde iſta erumpunt? quo auctore proferuntur? ſi ſunt falſa, cur probantur? ſi vera, cur veneunt? at ſi placuerat, ut ex Calend. Junii de Cæſaris actis cum conſilio cognoſceretis, quod fuit conſilium? quem unquam convocâſti? quas Cal. Junias expectâſti? an eas, ad quas te, pergratis veteranorum colonis, ſtipatum armis, retuliſti? O præclaram illam percurſationem tuam menſe Aprili, atque Majo! tum, cùm etiam Capuam coloniam deducere conatus es, quemadmodùm illinc abieris, vel potiùs penè non abieris, ſcimus.

101. Cui tu urbi minitaris! utinam conere, ut aliquando illud, *penè* tollatur. At quam nobilis illa tua peregrinatio? quid prandiorum apparatus, quid furioſam vinolentiam tuam proferam? Tua iſta detrimenta ſunt; illa noſtra. Agrum Campanum, qui cùm de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum Reipubl. vulnus putabamus; hunc tu compranſoribus tuis, & colluſoribus dividebas. Mimos dico, & mimas in agro P. C. Campano collocatos. Quid jam querar de agro Leontino? quoniam quidem hæ quondam arationes in populi Romani patrimonio grandi fœnore, & fructuoſæ ferebantur, Medio ttia millia jugerum, quaſi te ſanâſſet; Rhetori duo, quaſi diſertum facere potuiſſet. Sed ad iter, Italiámque redeamus.

102. Deduxiſti coloniam Caſilinum, quo Cæſar antè deduxerat. Conſuluiſti me per litteras de Capua tu quidem,

100. Inde redit in Chyrographa Cæſaris adulterata, & percurſationem ejus Ironicè traducit, quod Coloniam Capuam deducere conatus ſit; item alteram ejus peregrinationem, ut veteranis Leontinum, & Campanum agrum largiretur.

102. Ad iter Italæ reverſus reprehendit, quod auſpiciorum jure turbato Caſilinum Coloniam deduxerit.

dem, ſed idem de Caſilino reſpondiſſem; poſsésne, ubi colonia eſſet, eò coloniam novam jure deducere. Negavi in eam coloniam, quæ eſſet auſpicatò deducta, dum eſſet incolumis, coloniam novam jure deduci; colonos novos adſcribi poſſe, reſcripſi. Tu autem inſolentiâ elatus, omni auſpiciorum jure turbato, Caſilinum colloniam deduxiſti, quò erat paucis annis antè deducta; ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres; cujus quidem vomere portam Capuæ penè perſtrinxiſti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.

103. Ab hac religionum perturbatione advolas in M. Varronis, ſanctiſſimi, atque integerrimi viri fundum Caſſinatem. Quo jure? quo ore? eodem inquies, quo in hæredem L. Rubrii, quo in hæredem L. Turſelii prædia, quo in reliquas innumerabiles poſſeſſiones. Et ſi ab haſta: valet haſta, valeant tabulæ; modò Cæſaris, non tuæ; quibus debuiſti, non quibus tu liberaviſti. Varronis quidem Caſſinatem fundum quis veniſſe dicit? quis haſtam iſtius venditionis vidit? quis vocem præconis audivit? miſiſſe te dicis Alexandriam, qui emeret à Cæſare. Ipſum enim expectare magnum fuit.

104. Quis verò audivit unquam (nullius autem ſalus curæ pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam eſſe detractam? Quid ſi enim ſcripſit ad te Cæſar, ut redderes; quid ſatis poteſt dici tanta impudentia? Remove gladios parumper illos, quos videmus; jam intelliges, aliam cauſam eſſe haſtæ Cæſaris, aliam confidentiæ, & temeritatis tuæ. Non enim te dominus modò illis ſedibus, ſed quivis amicus, vicinus, hoſpes procurator arcebit. At quàm multos dies in ea villa turpiſſimè es perbacchatus? ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipſa miſera, quàm diſpari domino (quanquam quomodo iſte dominus?) ſed tamen quàm à diſpari tenebantur! Studiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum diverſorium.

103. Item quod M. Varronis fundum ſinè jure, pudore, vel auctionis mentione, vi, & magna cupiditate occupaverit.

104. In iſto autem fundo inſectatur exclamatione & Hypotypoſi æmulentiam Antonii, oppoſita Varronis frugalitate, ac ſapientiâ.

105. Quæ in illa villa antè dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? jure populi Rom. monumenta majorum, omnis ſapientiæ ratio, omníſque doctrina. At verò te inquilino (non enim domino) perſonabant omnia vocibus ebriorum; natabant pavimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri cum meritoriis, ſcorta inter matresfamilias verſabantur. Caſilinô ſalutatum veniebant; Aquinô, Interamnâ, admiſſus eſt nemo. Jure id quidem. In homine enim turpiſſimo obſoleſcebant dignitatis inſignia.

106. Cùm inde Romam proficiſcens ad Aquinum accederet; obviam proceſſit (ùt eſt frequens municipium) magna ſanè multitudo. At iſte operâ lecticâ latus eſt per oppidum, ùt mortuus. Stultè Aquinates. Sed tamen in via habitabant. Quid Anagnini? qui cùm eſſent devii, obviam ei deſcenderunt; ut iſtum, tanquam ſi eſſet, Conſulem ſalutarent. Incredibile dictu; ſed tamen inter omnes conſtabat, neminem eſſe reſalutatum. Præſertim cùm duos ſecum Anagninos haberet, Muſtellam, & Laconem; quorum alter gladiatorum eſt princeps, alter poculorum. Quid ego illas iſtius minas, contumeliáſque commemorem, quibus invectus eſt in Sidicinos? vexavit Puteolanos, quòd C. Caſſium, & Brutos patronos adoptâſſent magno quidem judiciô, ſtudiô, benevolentiâ charitate; non ut te, ùt Baſillum, vi, & armis, & alios veſtri ſimiles; quos clientes nemo habere velit, non modò illorum cliens eſſe.

107. Interea dum tu abes, qui dies ille Collegæ tui? cùm illud, quod tu venerari ſolebas, buſtum in foro evertit? qua re tibi nunciata, ùt conſtabat inter eos, qui unà fuerunt, concidiſti. Quid evenerit poſtea, neſcio. Metum credo valuiſſe, & arma. Collegam quidem de cœlo detraxiſti, effeciſtíque, non tu quidem etiam nunc, ut ſit ſimilis tui, ſed certè ut diſſimilis eſſet ſui.

108. Qui

106. Exaggerat in eodem fundo, & itinere, quod Aquinates, & Anagninos non reſalutaverit, Sidicinos, & Puteolanos divexaverit.

107. Poſt hæc reditum ejus in urbem amplificat diſſimili exemplo Collegæ ſui Dolabellæ de Republ. bene meriti, & comparatione tyrannorum Cinnæ, Syllæ, Cæſaris.

108. Qui verò reditus inde Romam? quæ perturbatio totius urbis? memineramus Cinnam nimìs potentem; Syllam poſtea dominantem; modò Cæſarem regnantem videramus. Erant fortaſſe gladii, ſed abſconditi, nec ità multi. Iſta verò, quæ & quanta barbaria eſt? agmine quadrato cum gladiis ſequuntur; ſcutorum lecticas portari videmus. Atque his quidem jam inveteratis P. C. conſuetudine obduruimus. Calend. Jan. cùm in Senatum, ùt erat conſtitutum, venire vellemus; metu perterriti repentè diffugimus.

109. At iſte, qui Senatu non egeret; neque deſideravit quenquam, & potiùs diſceſſu noſtro lætatus eſt; ſtatimque illa mirabilia facinora effecit, qui chyrographa Cæſaris defendiſſet lucri ſui causâ; is leges Cæſaris, eásque præclaras, ut Rempubl. concutere poſſet, evertit. Numerum annorum provinciis prorogavit; idémque, cùm actorum Cæſaris defenſor eſſe deberet, & in publicis, & in privatis rebus acta Cæſaris reſcidit. In publicis actis nihil eſt lege gravius, in privatis firmiſſimum eſt teſtamentum. Leges illas ſinè promulgatione ſuſtulit; alias ut tolleret, promulgavit. Teſtamentum irritum fecit, quod etiam infimis civibus ſemper obtentum eſt. Signa, tabulas, quas populo Cæſar unà cum hortis legavit; eas hic partim in hortos Pompeji deportavit, partim in villam Scipionis.

110. Et tu in Cæſaris memoria diligens? tu illum, amas mortuum? quem is majorem honorem conſecutus erat, quàm ut haberet pulvinar, ſimulacrum, faſtigium, flaminem? Eſt ergo flamen, ùt Jovi, ùt Marti, ùt Quirino, ſic divo Julio M. Antonius. Quid igitur ceſſas? cur non inaugurare? ſume diem; vide, qui te inauguret; collegæ ſumus, nemo negabit. O deteſtabilem hominem! ſive quòd Tyranni ſacerdos es, ſive quòd mortui. Quæro deinceps, num hodiernus dies qui ſit ignores? neſcis heri quartum in Circo diem ludorum Rom. fuiſſe? Te ipſum autem ad populum tuliſſe, ut quintus præterea dies

109. Nam acta Cæſaris reſcidit, & teſtamentum irritum fecit.

110. Quos honores vivo Cæſari diligenter curare viſus eſt, nunc mortuo perſolvere negligit, vel ex inconſtantia, vel ex proprio quæſtu.

Cæſari tribueretur? Cur non ſumus prætexati? cur honorem Cæſaris tua lege datum deſeri patimur? an ſupplicationes addendo diem contaminari paſſus es? pulvinaria noluiſti? aut undique religionem tolle, aut uſque quaque conſerva.

111. Quæres, placeámne mihi pulvinar eſſe, faſtigium, flaminem? mihi verò nihil iſtorum placet. Sed tu, qui acta Cæſaris defendis, quid potes dicere? cur alia defendas, alia non cures? nisi fortè vis fateri, te omnia quæſtu tuo, non illius dignitate metiri. Quid ad hæc tandem? expecto enim eloquentiam tuam. Diſertiſſimum cognovi avum tuum; at te etiam apertiorem in dicendo. Ille nunquam nudus concionatus; tum hominis ſimplicis pectus vidimus. Reſpondebísne ad hæc? aut omnino hiſcere audebis? ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te reſpondere poſſe confidas? ſed præterita omittamus.

112. Peroratio. Hunc unum diem, hunc unum inquam hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, ſi poses. Cur armatorum coronâ Senatus ſeptus eſt? cur me tui ſatellites cum gladiis audiunt? cur valvæ Concordiæ non patent? cur homines omnium gentium, maximè barbaros Ithyreos, cum ſagittis deducis in forum? præſidii ſui causâ ſe facere dicit. Nónne igitur millies perire eſt meliùs; quàm in ſua civitate ſinè armatorum præſidio non poſſe vivere? ſed nullum eſt iſtud, mihi crede, præſidium. Charitate, & benevolentia civium ſeptum oportet eſſe, non armis.

113. Eripiet, extorquebit tibi iſta populus Rom. utinam ſalvis nobis! ſed quoquo modo nobiſcum egeris, non

111. Concludit longam inſectationem comparando, & cavillando, ſed jam quaſi victor inſultat adverſurio.

112. *Peroratio.* Avocat Antonium à conſilio armorum, quibus Senatum obſidet, ipſi interitum minatur exemplò Clodii, & Curionis; ſi magìs Fulviæ uxorî obſequetur, aut armorum præſidiò, quam populi Romani benevolentiâ nitatur.

113. Opponit præſidium Reipubl. ejus armis, & animum populi Rom. qui pacem amat, ſervitutem odit, & regnantes tollit, quod exemplis firmat.

non potes, mihi crede, esse diuturnus. Etenim ista tam minimè avara conjunx, quam ego sinè contumelia describo, nimiùm debet diu populo Rom. pensionem tertiam. Habet populus Rom. ad quos gubernacula Reipubl. deferat, qui ubicunque terrarum sunt, ibi est omne Reip. præsidium, vel potiùs ipsa Respubl. Quæ se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperavit. Habet quidem certè Respubl. adolescentes nobilissimos, paratos defensores. Quàm valent, illi cedant, otio consulentes; tamen à Republica revocabuntur. Et nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris. Sed inter pacem, & servitutem plurimùm interest. Pax est tranquilla libertas; servitus, postremum malorum omnium, non modò bello, sed morte etiam repellendum.

114. Quòd si seipsos illi nostri liberatores à conspectu nostro abstulerunt, at exemplum facti reliquerunt. Illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello est persecutus; qui Rex fuit, cùm esse Romæ regem liceret. Spurii, Cassius, Melius, M. Manilius, propter suspicionem regni appetendi necati. Hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. Quod cùm ipsum factum per se præclarum est, atque divinum, tum expositum ad imitandum; præsertim cùm illi eam gloriam consecuti sint, quæ vix cœlo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat; tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam.

115. Recordare illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti; pone antè oculos lætitiam Senatûs, populíque Romani; confer cum nummatione tua, tuorúmque; tum intelliges, quantum inter laudem, & lucrum intersit. Sed nimirùm, ut quidam morbo aliquo, & sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt; sic libidinosi, avari, facinorosi, veræ laudis gustum non habent. Sed si te laus alicere ad rectè faciendum non potest, ne metus quidem à fœdissimis factis potest avocare. Judicia non

115. Deinde proponit, quàm jucundum, & honestum sit rectè & è Republ. facere; quàm turpè, & metuendum, libidinosè, avarè, facinorosè se gerere.

non metuis. Si propter innocentiam, laudo; si propter vim non intelligis ei, qui isto modo judicia non timeat quid timendum sit?

116. Quòd si non metuis viros fortes, egregiósque cives, quòd à corpore tuo prohibentur armis; tui te, mihi crede, diutiùs non ferent; quæ est autem vita, dies & noctes timere à suis? nisi verò aut majoribus habes beneficiis obligatos, quam ille quosdam habuit ex iis, à quibus est interfectus? aut tu es ulla re cum eo comparandus? fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litteræ, cura, cogitatio, diligentia. Res bello gesserat, quamvis Reipubl. calamitosas, attamen magnas. Multos annos regnare est meditatus; magno labore, magnis periculis, quod eogitaverat, effecerat; muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam delinierat. Suos præmiis, adversarios clementiæ specie devinxerat. Quid multa? attulerat jam liberæ civitati, partim metu, partim patientiâ, consuetudinem serviendi.

117. Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum; cæteris verò rebus nullo modo es comparandus. Sed ex plurimis malis, quæ ab illo Reipubl. sunt inusta, hoc tamen boni est; quod didicit jam populus Rom. quantum cuique crederet, quibus se committeret, à quibus caveret. Hæc non cogitas? nec intelligis, satis esse viris fortibus didicisse, quàm sit pulchum, beneficio gratum, fama glorioſum, Tyrannum occidere? an cùm illum homines non tulerint, te ferent?

118. Certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur; nec occasionis tarditas expectabitur. Respice quæso aliquando Rempubl. M. Antoni; quibus ortus sis, non quibus cum vivas, considera; mecum ut voles, cum Republ. redi in gratiam. Sed de te tu ipse videris. Ego de meipso profitebor. Defendi Rempubl. adolescens, non deseram senex; contempsi Catilinæ gladios, non pertime-

116. Idque exemplis Cæsaris, & comparatione majorum.

118. Eundem majorum exemplo obtestatur, ut cum Republ. redeat in gratiam; sibi Cicero nihil optat, quàm ut populum Romanum liberum, salvúmque liberatorem relinquat, quidquid sibi ex inimicitia Antonii vita aut mors contingat.

timeſcam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, ſi repræſentari morte mea libertas civitatis poteſt; ut aliquando dolor populi Rom. pariat, quod jam diu parturit. Etenim ſi abhinc annos propè viginti hoc ipſo in templo, negavi poſſe mortem immaturam eſſe Conſulari; quantò verius nunc negabo ſeni? mihi verò P. C. jam etiam optanda mors eſt, perfuncto rebus iis, quas adeptus ſum, quásque geſſi. Duo modò hæc opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam. Hoc mihi majus à Diis immortalibus dari nihil poteſt. Alterum, ut ità cuique eveniat, ut de Republica quiſque mereatur.

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS LIBER III.

ARgumentum. *Complectitur hic liber maximam partem errorum Æneæ, nempe ut primò in* Thraciam; *2dò in* Cretam; *3tiò* Stophadas *Inſulas*; *4tò in* Epirum; *5tò in* Siciliam *claſſe appulerit. Namque hinc deinceps in Africam ad Didonem devenit, quod librô primô narratum; ex Africa denuo in Siciliam, ùt librô 5tô: è Sicilia Cumas ùt 6tô, ad Tyberim denique, ùt reliquis Æneidos libris deſcribitur. En totius Æneidos breviſſimum compendium.*

I. Æneas cum ſociis Trojâ profectus primò in Thraciam cum claſſe appellitur. Marti in littore ſacrificat; cúmque virgulta ad ſacrificium velleret, miratur fruticum radices ſanguine manare, è tumulo denique vocem audit; hìc loci Polydorum, Priami filium, huc imminente Trojæ obſidione miſſum, auri causâ à Polymneſtore Rege interfectum, humatúmque, cui inferias mœſtus Æneas facit.

POſtquam res Aſiæ, Priamíque evertere gentem
Immeritam viſum Superis, ceciditque ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja;

Diverſa

Diversa exilia, & desertas quærere terras
Auguriis agimur divûm, classémque sub ipsa
(*a*) Antandro, & Prygiæ molimur montibus Idæ;
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur;
Contrahimúsque viros. Vix prima inceperat æstas;
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat:
Litora cùm patriæ lachrymans, portúsque relinquo,
Et campos ubi Troja fuit feror exul in altum
Cum sociis, natóque, Penatibus, & magnis Dis.
Terra procul vastis colitur (*b*) Mavortia campis,
(Thraces arant) acri quondam regnata Licurgo (*c*)
Hospitium antiquum Trojæ, sociique Penates,
Dum Fortuna fuit. Feror huc, & litore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis,
Æneadásque meo nomen de nomine fingo.
Sacra (*d*) Dionææ matri, divísque ferebam
Auspicibus cœptorum operum: superóque nitentem
Cœlicolûm Regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit juxtà tumulus, quo cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridémque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras:
Horrendum, & dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro solvuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant, mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidúsque coit formidine sanguis.
Rursus & alterius lentum convellere vimen
Insequor, & causas penitus tentare latentes;
Ater & alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animô Nymphas venerabar agrestes,
Gradivúmque patrem, Geticis qui præsidet arvis,
Rite secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam majore hastilia nisu
Agredior, genibúsque adversæ obluctor arenæ;
(Eloquar in sileam? gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures;
Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus, non me tibi Troja

Exter-

Externum tulit; aut cruor hic de ſtipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.
Nam (e) Polydorus ego, hic confixum ferrea texit
Telorum ſeges, & jaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandârat alendum
(f) Threïcio Regi; cùm jam diffideret armis
Dardaniæ, cingíque urbem obſidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrûm, & Fortuna receſſit,
Res Agamemnonias victriciáque arma ſecutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & aurô
Vi potitur, *quid non mortalia pectora cogis,*
Auri ſacra fames? poſtquam pavor oſſa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primúmque parentem
Monſtra Deûm refero; &, quæ ſit ſententia, poſco.
Omnibus idem animus ſcelerata excedere terra;
Linqui pollutum hoſpitium, & dare claſſibus auſtros.
Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Adgeritur tumulo tellus; ſtant manibus aræ,
Cæruleis mœſtæ vittis atráque cupreſſo;
Et circum Iliades crinem de more ſolutæ.
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis, & ſacri pateras; animámque ſepulcro
Condimus, & magnâ ſupremum voce ciemus.

(a) *Antandro.* Oppidum eſt Phrygiæ, ſeu Troadis, ad radicem Idæ montis, qui alius eſt à Cretenſi Ida. (b) *Mavortia.* Thracia bellicoſa regio, & Marti ſacra. (c) *Lycurgi.* Severus admodum Thraciæ Rex. (d) *Dionææ.* Veneri, Jovis ex Dione Filiæ. (e) *Polydorus.* Priami Filius de quo mox. (f) *Threïcio.* Polymneſtori Thraciæ Regi, qui & Ilionem Priami filiam in matrimonio habebat.

II. Deſertâ Thraciâ in Deliam Inſulam delatus Apollinem conſulit. Reſpondet ille; primæ ſuæ originis terram, ipſi petendam. Id oraculum falsò interpretatur Anchiſes, qui generis ſui primordia ad Idam Cretæ montem referebat. Igitur in Cretam navigant, urbémque Pergameam condere incipiunt.

INde, ubi prima fides pelago, placatáque venti 69
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auſter in altum;

Dedu-

Deducunt ſocii naves, & litora complent.
Provehitur portu, terræque, urbésque recedunt.
Sacra (*a*) mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereidum matri, & Neptuno Ægeo,
Quam pius (*b*) arcitenens, oras & litora circum
Errantem, (*c*) Gyaro è celſa, Miconóque revinxit,
Immotámque coli dedit, & contemnere ventos.
Huc feror; hæc feſſos tuto placidiſſima portu
Accipit, egreſſi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum, Phœbíque ſacerdos,
Vittis & ſacrâ redimitus tempora lauro,
Occurrit; veterem Anchiſen adgnovit amicum.
Jungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus.
Templa Dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto.
Da propriam, (*d*) Thymbræe, domum, da mœnia feſſis,
Et genus, & manſuram urbem, ſerva altera Trojæ
Pergama, reliquias Danaûm, atque immittis Achillêi.
Quem ſequimur? quoque ire jubes? ubi ponere ſedes?
Da, pater, augurium; atque animis illabere noſtris.
Vix ea fatus eram; tremere omnia viſa repente,
Liminâque, laurúsque Dei; totúsque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina reclusis.
Summiſſi petimus terram, & vox fertur ad aures;
Dardanidæ duri, quæ vox à ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces, antiquam exquirite matrem.
Hîc domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis,
Hæc Phœbus: mixtóque ingens exorta tumultu
Lætitia; & cuncti, quæ ſint ea mœnia, quærunt;
Quò Phœbus vocet errantes, jubeátque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, ô proceres! ait, & ſpes diſcite veſtras.
Creta Jovis magni medio jacet inſula ponto;
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula noſtræ,
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna;
Maximus unde pater, ſi ritè audita recordor,
Teucrus (*e*) [illegible] (*f*) primum eſt advectus ad oras.
Optavítque locum regno. nondum Ilium, & arces

Perga-

Pergameæ ſteterant: habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybele (g) Coribantiáque æra,
Idæúmque nemus; hinc fida ſilentia ſacris;
Et juncti currum dominæ ſubiêre leones.
Ergo agite, &, divûm ducunt qua juſſa, ſequamur;
Placemus ventos, & (h) Gnoſia regna petamus.
Nec longo diſtant curſu; modo Juppiter adſit,
Tertia lux claſſem Cretæis ſiſtet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores.
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo;
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat, pulſum regnis ceſſiſſe paternis
Idomenea (i) ducem, deſertáque litora Cretæ:
Hoſte vacare domos, ſedésque adſtare relictas.
Linquimus (k) Ortygiæ portus, pelagòque volamus,
Bachatámque jugis Naxon (l) viridémque Donyſam,
Olearon, niveámque Paron, (m) ſparſáſque per æquor
Cycladas (n) & crebris legimus freta conſita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor.
Hortantur ſocii: Cretam proavósque petamus.
Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes,
Et tandem antiquis (o) Curetum adlabimur oris.
Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameámque voco, & lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcémque adtollere tectis

(a) *Sacra* mari medio. Delos Inſula Apollini natalis. (b) *Arcitenens* Apollo. (c) *Errantem*. Erat hæc priùs mobilis, & natatilis, quam deinde additâ Myconо & Gyaro fixit. (d) *Thymbræe* Apollo, cui templum in Thymbræo campo prope Trojam. (e) *Theucrus*. Trojani generis author. (f) *Rhœteas*. Phrygias à Rhœteo Trojæ Promontorio. (g) *Cybele*, è Creta venit cum Corybantibus Jovis educatricibus. (h) *Gnoſia* Cretenſia. Gnoſus, nobilis urbs eſt Cretæ. (i) *Idomeneus*, Rex Cretæ pulſus à ſuis. (k) *Ortygiæ*, Nomen eſt Deli Inſulæ. (l) *Naxon* vitiferis montibus Inſulam. (m) *Paron*, Albi marmoris feracem. (n) *Cycladas*, Ægei maris Inſulas. (o) *Curetum*, Cretenſium.

III. Dirâ peſtilentiâ, ac fame Cretam depaſcente, abitum parat Æneas, præſertim poſtquam Penates Dii eidem in ſomnis indicavêre, hanc nequaquam eſſe, primæ ſuæ originis terram, ſed Italiam Apollinis oraculo ſignificatam; eò igitur abeundum.

JAmque fere ſicco ſubductæ litore puppes, 135
Connubiis, arvíſque novis operata juventus;
Jura, domósque dabam: ſubitò cum tabida membris,
Corrupto cœli tractu, miſerandáque venit
Arboribúſque ſatísque lues. & lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora, tum ſteriles exurere Sirius agros.
Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat,
Rurſus ad oraculum Ortygiæ, Phœbúmque remenſo
Horratur pater ire mari, veniámque precari:
Quem feſſis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium jubeat: quò vertere curſus.
Nox erat, & terris animalia ſomnus habebat,
Effigies ſacræ divûm, Phrygíique Penates,
Quos mecum à Troja, mediſque ex ignibus urbis
Extuleram, viſi ante oculos adſtare jacentis
In ſomnis, multo manifeſti lumine: qua ſe
Plena per inſertas fundebat luna feneſtras.
Tum ſic adfari, & curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo eſt,
Hìc canit: & tua nos en ultrò ad limina mittit.
Nos te, Dardaniâ incensâ, tuáque arma ſecuti;
Nos tumidum ſub te permenſi claſſibus æquor:
Iidem venturos tollemus in aſtra nepotes,
Imperiúmque urbi dabimus, tu mœnia magnis
Magna para, longúmque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ ſedes. Non hæc tibi litora ſuaſit
Delius, aut Cretæ juſſit conſidere Apollo.
Eſt locus Heſperiam (*a*) Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.
Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine gentem.
Hæ nobis propriæ ſedes; hinc (*b*) Dardanus ortus,
Jaſiúsque pater, genus à quo principe noſtrum.
Surge age, & hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum, terrásque requira
Auſonias: (*c*) Dictæa negat tibi Jupiter arva.
Talibus adtonitus viſis, ac voce Deorum,
(Nec ſopor illud erat, ſed coram aguoſcere vultus,

Vela

Velatásque comas, præsentiáque óra videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
Corripio è stratis, corpus tendóque supinas
Ad cœlum cum voce manus, & munera libo
Intemerata focis. Perfecto lætus honore
Anchisen facio certum, rémque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam, geminósque parentes,
Séque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra (*d*) canebat.
Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro;
Et sæpè Hesperiam, sæpè Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiæ venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phœbo, & moniti meliora sequamur.
Sic ait: & cúncti dicto parémus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucísque relictis
Vela damus, vastúmque cava trabe currimus æquor.

(a) *Hesperiam*, Italiam. (b) *Dardanus*, Dardanus, & Jasius duo erant fratres, Corythi Hetruriæ Regis Filii. Dardanus ab morte Patris in Phrygiam venit, ibique Dardaniam, seu Ilium, seu Troam condidit; Jasio in Hetruria remanente. (c) *Dictæa*, Dicte mons Cretæ. (d) Cassandra, Priami filia, vates insignis, sed cui nemo tum credebat.

IV. E Creta in Strophades Insulas defertur Æneas, ab Harpyis habitatas, monstris fœdissimis: à quibus cum fœdum in modum vexaretur, varias Insulas prætervectus ad Actium promontorium appellit.

Postquam altum tenuêre rates, nec jam amplius ullæ 192
Apparent terræ, cœlum undique, & undique pontus:
Tum mihi cæruleus suprà caput adstitit imber,
Noctem hiemémque ferens; & inhorruit unda tenebris.
Continuò venti volvunt mare, magnáque surgunt
Æquora dispersi jactamur gurgite vasto.
Involvêre diem nimbi, & nox humida cœlum
Abstulit, ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, & cæcis erramus in undis.
Ipse diem, noctémque negat decernere cœlo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in unda.

Tres adeò incertos cæca caligine ſoles
Erramus pelago, totidem ſinè ſidere noctes.
Quarto terra die primùm ſe attollere tandem
Viſa aperire procul montes, ac volvere fumum.
Vela cadunt, remis inſurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primùm
Accipiunt. Strophades Graio ſtant nomine dictæ,
Inſulæ Jònio in magno: quas dira Cæleno,
Harpyæque colunt aliæ, (*a*) Phineia poſtquam
Clauſa domus, mensásque metu liquêre priores.
Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Deûm Stygiis ſe ſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus; ecce
Læta boum paſſim campis armenta videmus,
Caprigenúmque pecus nullo cuſtode, per herbas.
Ingruimus ferro, & divos, ipsúmque vocamus
In prædam partémque Jovem; tum littore curvo
Exſtruimúsque toros, dapibúsque epulamur opimis.
At ſubitæ horrifico lapſu de montibus adſunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiúntque dapes, contactúque omnia fœdant
Immundo; tum vox tetrum dira inter odorem.
Rurſum in ſeceſſu longo ſub rupe cavata,
Arboribus clausâ circum, atque horrentibus umbris
Inſtruimus menſas, arísque reponimus ignem.
Rurſum ex diverſo cœli, cæsísque latebris
Turba ſonans prædam pedibus circumvolat uncis:
Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capeſſant,
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.
Haud ſecus ac juſſi faciunt, tectósque per herbam
Diſponunt enſes, & ſcuta latentia condunt.
Ergo ubi delapſæ ſonitum per curva dedêre
Litora; dat ſignum ſpecula (*b*) Miſenus ab alta
Ære cavo, invadunt ſocii, & nova prælia tentant,
Obſcœnas pelagi ferrò fœdare volucres.

Sed

Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt; celeríque fuga ſub ſidera lapſæ
Semeſam prædam, & veſtigia fœda relinquunt.
Una in præcelſa conſedit rupe Celæno
Infelix vates, rumpítque hanc pectore vocem;
Bellum etiam pro cæde boum, ſtratísque juvencis,
(c) Laomedontiadæ, bellúmne inferre paratis,
Et patrio Harpyias inſontes pellere regno?
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta;
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam curſu petitis, ventísque vocatis
Ibitis Italiam, portúsque intrare licebit;
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames, noſtræque injuria cædis
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.
Dixit, & in ſilvam pennis ablata refugit.
At ſociis ſubitâ gelidus formínine ſanguis
Diriguit; cecidêre animi, nec jam ampliùs armis,
Sed votis, precibúsque jubent expoſcere pacem,
Sive Deæ, ſeu ſint diræ, obſcœnæque volucres.
Et pater Anchiſes, paſſis de litore palmis,
Numina magna vocat; meritósque indicit honores.
Dii, prohibite minas: Dii, talem avertite caſum,
Et placidi ſervate pios, tum litore funem
Diripere, excuſsósque jubet læxare rudentes.
Tendunt vela Noti; ferimur ſpumantibus undis,
Quà curſum ventúsque, gubernatórque vocabat.
Jam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos (d)
Dulichiúmque, Saméque, & Neritos ardua ſaxis.
Effugimus ſcopulos Irhacæ Laërtia regna,
Et terram altricem ſævi execramur Ulyſſis.
Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo (e)
Hunc petimus feſſi, & parvæ ſuccedimus urbi,
Anchora de prora jacitur, ſtant litore puppes.

(a) *Phineïa*, Phineo Arcadiæ Regi Dii itati hæc monſtra immiſerant, dum ei placarentur. (b) *Miſenus*, Tubicen. (c) *Laomedontiadæ*. Trojani, à Rege Laomedonte. (d) *Zacynthos*, nemoro-

moribus frequens. *Duliohium*, & Ithaca regnum Ulyſſis, Ithaca mons *Neritos* eſt. *Leucata*, mons Græciæ. (e) *Apollo*, Actiacum Promontorium, in quo Fanum Apollinis, naufragiis erat infame.

V. Actio digreſſus Æneas in Chaoniæ portum, quæ regio Epiri pars eſt, ejúsque urbem Buthrotum advehitur; Helenus hic regnabat, & ejus uxor Andromache, aliàs Hectori, ac deinde Pyrrho nupta. Hæc ſuos caſus enarrat miranti, & cum Heleno hoſpitem habet honeſtiſſimè.

ERgo inſperatâ tandem tellure potiti 278
Luſtramúrque Jovi, votísque incendimus aras;
Actiáque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæſtras
Nudati ſocii, juvat evaſiſſe tot urbes
Argolicas, mediósque fugam tenuiſſe per hoſtes.
Interea magnum ſol circumvolvitur annum.
Et glacialis hiems aquilonibus aſperat undas.
Ære cavo clipeum, magni geſtamen Abantis,
Poſtibus adverſis figo, & rem carmine ſigno:
Æneas hæc de Danais victoribus arma.
Linquere tum portus jubeo, & conſidere tranſtris.
Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aërias Phæacum abſcondimus arces,
Litoráque Epiri legimus, portúque ſubimus
Chaonio, celſam Buthroti aſcendimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ (a) Pyrrhi, ſceptrísque potitum:
Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.
Obſtupui; miróque incenſum pectus amore,
Compellare virum, & caſus cognoſcere tantos.
Progredior portu, claſſes, & litora linquens.
Solennes cum forte dapes, & triſtia dona,
Ante urbem in luco falſi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache, manésque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſam lachrimis, ſacraverat aras.
Ut me conſpexit venientem, & Troia circum
Arma amens vidit, magnis exterrita monſtris
Deriguit viſu in medio: calor oſſa reliquit,

Labi-

Labitur, & longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius adfers,
Nate Dea? viviſne? aut ſi lux alma receſſit,
Hector ubi eſt? dixit, lacrymásque effudit, & omnem
Implevit clamore locum, vix pauca furenti
Subjicio, & raris turbatus vocibus hiſco.
Vivo equidem, vitámque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu, qui te caſus dejectam conjuge tanto (*b*)
Excipit? aut quæ digna ſatis fortuna reviſit?
Hectoris Andromache Pyrrhin connubia ſervas?
Dejecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt:
O felix una ante alias (*c*) Priameïa virgo,
Hoſtilem ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis
Juſſa mori, quæ ſortitus (*d*) non pertulit illos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patriâ incenſâ, diverſa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ faſtus, juvenémque ſuperbum
Servitio enixæ tulimus, qui deinde ſecutus
(*e*) Ledæam Hermionem, Lacedæmoniósque Hymenæos,
Me famulo, famulámque Heleno tranſmiſit habendam.
Aſt illum ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, & ſcelerum Furiis agitatus Oreſtes,
Excipit incautum, patriásque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita ceſſit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniámque omnem Trojano à Chaone dixit:
Pergamáque, Iliacámque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui curſum venti, quæ fata dedêre?
Aut quiſnam ignarum noſtris Deus appulit oris?
Quid puer Aſcanus? ſuperátne, & veſcitur aura?
Quem tibi jam Troja.
Ecqua tamen puero eſt amiſſæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem, animósque viriles
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?
Talia fundabat lacrymans, longósque ciebat,
Incaſſum fletus: cum ſeſe à mœnibus heros
Priamides (*f*) multis Helenus comitantibus adfert,
Agnoſcítque ſuos, lætúsque ad limina ducit,

Et multùm lacrymas verba inter ſingula fundit.
Procedo, parvam Trojam (g) ſimulatáque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnoſco, Scææque amplector limina portæ.
Nec non, & Teucri ſocia ſimul urbe fruuntur,
Illos porticibus rex accipiebat in amplis,
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Impoſitis auro dapibus; paterásque tenebant.

(a) *Æacida*, Pyrrhi, ſeu Neoptolemi, cui parens Achilles, avus Peleus; abavus Æacus. (b) *Conjuge* tanto Hectore Priami Filio. (c) *Priameia*, Polyxena Priami Filia à Pyrrho ad placandos patris manes ad tumulum Achillis mactata. (d) *Sortitus*. Priami Filiæ captivæ, miſſis fortibus, variis victoribus Ducibus obvenêre, uti ipſa Andromache Pyrrho. (e) *Pyrrhus*, primum Hermionem, Menelai, & Ledæ Filiam ducturus erat, Oreſti deſponſam, niſi ab hoc obtruncatus eſſet. Cæſo verò illo pars regni ſeu Epiri Heleno ceſſit, cui captivo captivam Andromachen antea colocârat. (f) *Priamides* Helenus Priami Filius (g) Trojam *Trojana* hæc nomina, urbibus, Fluviis, portísque indiderat Helenus.

VI. Conſulit Æneas Helenum vaticinandi arte clarum, æquam ſibi viam tenendam cenſeret; cui multis: vitanda Italiæ litora; Scyllam item, & Charybdim: ſuperato Lilibæo, Siciliæ partem alteram petendam, Cumanam denique Sybillam adeundam.

JAmque dies, altérque dies proceſſit; & auræ 356
Vela vocant, tumidóque inflatur carbaſus auſtro.
His vatem adgredior dictis, ac talia quæſo:
Trojugena interpres divûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas (a) Clarii lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas; & præpetis omnia pennæ:
Fare age (námque omnem curſum mihi proſpera dixit
Religio, & cuncti ſuaſerunt, numine divi
Italiam petere, & terras tentare repoſtas:
Sola novum, dictúque nefas Harpya Celæno
Prodigium canit, & denunciat iras,
Obſcænámque famem) quæ prima pericula vito?
Quidve ſequens tantos poſſim ſuperare labores?
Hic Helenus, cæſis primùm de more juvencis,
Exorat pacem divûm, vittásque reſolvit,
Sacrati capitis, méque ad tua limina, Phœbe,

Ipſe

Ipse manu multo suspensum Numine ducit:
Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate Deâ, (nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: sic fata Deûm rex
Sortitur, volvítque vices: is vertitur ordo)
Pauca tibi è multis, quo tutior hospita lustres
Æquora, & (*b*) Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cætera Parcæ
Scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rêre propinquam,
Vicinosque ignare paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante & Trinacriâ tentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor,
Infernique lacus, Æææque insula Circes,
Quam tutâ possis urbem componere terrâ.
Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
Cùm tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba (*c*) solo recubans, albi circum ubera nati;
Is locus urbis erit: requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros,
Fata viam inveniant, aderítque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu;
Effuge, cuncta malis habitantur mœnia Graiis (*d*)
Hic & Narycii (*e*) posuerunt mœnia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos,
Lyctius Idomeneus. (*f*) Hìc illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ (*g*) subnixa Petilia muro.
Quin, ubi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris jam vota in litore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casti maneant in relligione nepotes.
Ast ubi digressum Siculæ te admoverit oræ

Ventus, & angusti rarescent claustra Pelori (*b*)
Læva tibi tellus, & longo læva petantur
Æquora circuitu; dextrum fuge littus, & undas.
Hæc loca vi quondam, & vastâ convulsa ruinâ
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt; cùm protinus utraque tellus,
Una foret; venit medio vi pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arváque & urbes
Litore diductas angusto intertulit æstu.
Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos,
Sorbet in abruptum fluctus, rursúsque sub auras,
Erigit alternos, & sidera verberat undâ.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, & naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus; postrema immani corpore Pristis,
Delphinum caudas utero commissa luporum.
Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni (*i*)
Cessantem, longos & circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.
Præterea, si qua est Heleno prudentia vati,
Si qua fides, animum si veris implet Apollo,
Unum illud tibi, nate Deâ, próque omnibus unum
Prædicam; & repetens iterúmque, iterúmque monebo,
Junonis magnæ primùm prece numen adora:
Junoni cane vota libens; dominámque potentem
Supplicibus supera donis, sic denique victor
Trinacriâ fines Italos mittêre relictâ.
Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem,
Divinósque lacus (*k*) & Averna sonantia silvis;
Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliísque notas, & numina mandat.
Quæcunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verùm eadem, verso tenuis cum cardine ventus
Impulit, & teneras turbavit janua frondes;

Nun-

Nunquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedémque odêre Sibyllæ.
Hic tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti:
Quamvis increpitent socii, & vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus implere secundos;
Quin adeas vatem, precibúsque oracula poscas.
Ipsa canat, vocémque volens, atque ora resolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturáque bella,
Et quo quemque modo fugiásque, ferásque laborem,
Hæc sunt, quæ nostrâ liceat te voce moneri.
Vade, age, & ingentem factis fer ad æthera Trojam.

(e) *Clariis.* Apollinis, cui sacra Claros urbs. (b) *Ausonio,* Italia ab Ausonibus incolis. (c) *Albæ.* Ex eo omine urbs Alba postmodum condita est. (d) *Græcis* Hæc pars Italiæ Græcia magna dicebatur. (e) *Narycii.* Græci Narycià urbe Atticæ profecti hic Locros urbem condidêre. (f) *Idomeneus*, ex Melibæa Thessaliæ oppido pulsus, Petiliam oppidum ædificavit. (g) *Pelori.* Siciliæ Promontorium est ad fretum siculum, ubi Scylla, & Charybdis. (h) *Trinacrii* Siculi, Pachyni Promontorii alterius. (i) *Averna,* Cumæ non procul à lacu Averno.

VII. Æneas ab Heleno, & Andromacha, multis muneribus cumulatus, Italiam versus navigat. Verùm ex Heleni monitu iis litoribus deviatis in Siciliam cursum dirigit.

QUæ postquam Vates sic ore effatus amico est, 463
Dona dehinc auro gravia (a) sectóque elephanto
Imperat ad naves ferri, stipátque carinis
Ingens argentum, Dodonæósque lebetas,
Loricam consertam hamis, auróque trilicem,
Et conum insignis galeæ, cristásque comantis,
Arma Neoptolemi. (b) Sunt, & sua dona parenti.
Addit equos, additque duces.
Remigium supplet: socios simul instruit armis.
Interea classem velis aptare jubebat
Anchisæ, fieret vento mora ne qua ferenti,
Quem Phœbi interpres multo compellat honore:
Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo,
Cura Deûm, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniæ tellus: hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est.

Auso-

Auſoniæ pars illa procul, quam paudit Apollo.
Vade, ait, ô felix nati pietate, quid ultra
Provehor, & fando ſurgentes demoror auſtros?
Nec minùs Andromache, digreſſu mœſta ſupremo,
Fert picturatas auri ſub tegmine veſtes,
Et Phrygiam Aſcanio chlamydem: nec cedit honori,
Textilibúsque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, & longum Andromache teſtentur amorem,
Conjugis Hectoreæ. Cape dona extrema tuorum,
O mihi ſola mei ſuper (c) Aſtyanactis imago.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubeſceret ævo.
Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis:
Vivite felices, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies: nullum maris æquor arandum:
Arva neque Auſoniæ ſemper cedentia retro
Quærenda. Effigiem Xanthi, Trojámque videtis,
Quam veſtræ fecêre manus, melioribus (opto)
Auſpiciis, & quæ fuerit minùs obvia Graiis.
Si quando Tyberim, vicináque Tybridis arva
Intraro, gentíque meæ data mœnia cernam,
Cognatas urbes olim, populósque propinquos
Epiro, Heſperia, quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem caſus; unam faciemus utramque
Trojam animis. Maneat noſtros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, cursúsque breviſſimus undis.
Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam
Sortiti remos, paſsímque in litore ſicco
Corpora curamus. Feſſos ſopor irrigat artus.
Necdum orbem medium nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus (d) & omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,
Acturum, pluviásque Hyadas, geminósque Triones,
Armatúmque auro circumſpicit Oriona.

Poſt-

Poſtquam cuncta videt cœlo conſtare ſereno;
Dat clarum è puppi ſignum: nos caſtra movemus,
Tentamúsque viam, & velorum pandimus alas.
Jámque rubeſcebat ſtellis Aurora fugatis,
Cum procul obſcuros colles, humilémque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto ſocii clamore ſalutant.
Tum pater Anchiſes magnum cratera coronâ
Induit, implevítque mero; divósque vocavit
Stans celſa in puppi.
Di, maris, & terræ, tempeſtatúmque potentes,
Ferte viam vento facilem, & ſpirate ſecundi.
Crebreſcunt optatæ auræ, portúsque pateſcit
Jam propior, templúmque apparet (e) in arce Minervæ.
Vela legunt ſocii, & proras ad litora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum;
Objectæ ſalsâ ſpumant adſpergine cautes:
Ipſe latet. Gemino demittunt brachia muro
Turriti ſcopuli, refugítque ab litore templum
Quatuor hìc, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum latè candore nivali.
Et pater Anchiſes: Bellum, ô terra hoſpita portas:
Bello armantur equi: Bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen iidem olim curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, & frena jugo concordia ferre.
Spes eſt pacis, ait. Tum numina ſancta precamur,
Palladis armiſonæ, quæ prima accepit ovantes;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu:
Præceptísque Heleni, dederat quæ maxima, rite
Junoni Argivæ juſſos adolemus honores.

(a) *Sello Elphante.* Ebore. (b) *Neoptolemi* cui in Regnum Epiri ſucceſſerat. (c) *Aſtianactis.* Filiolus fuerat Andromachæ ab Ulyſſe ex alta turri præcipitatus. (d) *Palinurus* navium Gubernator. (e) *In arce Minervæ.* In Japhygiæ Promontorio hodie Caſtro, eminebat arx, & templum Minervæ longè aſpectabile.

VIII. Verſis velis declinatâ Scyllâ ad oras Cyclopum haud Ætnâ procul deveniunt. Offendunt hìc Achæmenidem relictum nuper ab Ulyſſe ſocium, qui quid Ulyſſi, quid ſocis à Polyphemo actum, enarrat.

Haud

HAud mora: continuò perfectis ordine votis, 940
Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Grajugenúmque domos, suspectáque linquimus arva.
Hinc sinus Herculæi (*a*) si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Attolit se diva Lacinia (*b*) contra,
Caulonísque arces, & navifragum Scylaceum.
Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna:
Et gemitum ingentem pelagi, pulsatáque saxa
Audimus longè, fractásque ad litora voces:
Exsultántque vada, atque æstu miscentur arenæ.
Et pater Anahises: Nimirùm hæc illa Charybdis:
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.
Eripite, ô socii: paritérque insurgite remis.
Haud minus ac jussi faciunt: primúsque rudentem
Contorsit lævas proram Palinurus ad undas.
Lævam cuncta cohors remis, ventísque petivit.
Tollimur in cœlum curvato gurgite, & iidem
Subductâ ad Manes imos desedimus undâ.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere:
Ter spumam elisam, & rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole requirit:
Ignarique viæ Cyclopum adlabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse, sed horrificis juxtà tonat Ætna ruinis,
Interdúmque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favilla;
Attollítque globos flammarum, & sidera lambit:
Interdum scopulos, avulsáque viscera montis
Erigit eructans, liquefactáque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundóque exæstuat imo.
Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentémque insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam exspirare caminis;
Et fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum subtexere fumo.
Noctem illam tecti silvis immania monstra
Perferimus: nec, quæ sonitum det causa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthrâ
Siderea polus; obscure sed nubila cœlo;

Et

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera jámque dies primo surgebat Eoo,
Humentémque Aurora polo dimoverat umbram;
Cum subitò è silvis, macie confecta suprema,
Ignoti nova forma viri, miserandáque cultu
Procedit, suppléxque manus ad litora tendit.
Respicimus. Dira illuvies, immissáque barba,
Consertum tegmen spinis: at cetera Graius,
Et quondam patriis ad Trojam missus in armis,
Isque ubi Dardanios habitus & Troia vidit
Arma procul; paullum aspectu conterritus hæsit,
Continuítque gradum; mox sese ad litora præceps
Cum fletu, precibúsque tulit. Per sidera testor,
Per superos, atque hoc cœli spirabile lumen;
Tollite me, Teucri; quascunque abducite terras.
Hoc sat erit. Scio me (*d*) Danais è classibus unum,
Et bello Iliacos fateor periisse Penates.
Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastóque immergite ponto.
Si pereo, manibus hominum periisse juvabit.
Dixerat: & genua amplexus, genibúsque volutans
Hærebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur, quæ deinde agitet Fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchisæ, haud multa moratus,
Dat juveni; atque animum præsenti pignore firmat.
Ille hæc, depositâ tandem formidine, fatur;
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulyssei,
Nomen Achemenides, Trojam genitore Adamasto
Paupere (mansissétque utinam Fortuna!) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt.
Immemores socii, vasto Cyclopis (*e*) in antro
Deseruêre. Domus sanie, dapibúsque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipse arduus, altáque pulsat
Sidera, (Di, talem terris avertite pestem)
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cùm corpora nostro,
Prensa manu magnâ, medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanié que exspersa natarent.

Limina,

Limina; vidi, atro cùm membra fluentia tabo
Manderet, & trepidi tremerent ſub dentibus artus.
Haud impune quidem. Nec talia paſſus Ulyſſes,
Oblitúsve ſui eſt Ithacus, diſcrimine tanto.
Nam ſimul expletus dapibus, vinóque ſepultus
Cervicem inflexam poſuit, jacuítque per antrum
Immenſum, ſaniem eructans ac fruſta cruento
Per ſomnum commixta mero; nos, magna precati
Numina, ſortitíque vices, unà undique circum
Fundimur, & telo lumen tenebramus acuto
Ingens, quod torva ſolùm ſub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar;
Et tandem læti ſociorum ulciſcimur umbras.
Sed fugite, ô miſeri! fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantúsque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera preſſat,
Centum alii curva hæc habitant ad litora vulgò
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.
Tertia jam lunæ ſe cornua lúmine complent,
Cum vitam in ſilvis, inter deſerta ferarum
Luſtra, domósque traho, vaſtósque ab rupe Cyclopas
Proſpicio, ſonitúmque pedum, vocémque tremiſco.
Victum infelicem baccas, lapidoſáque corna
Dant rami, & vulſis paſcunt radicibus herbæ.
Omnia conluſtrans, hanc primùm ad litora claſſem
Conſpexi venientem. Huic me, quæcunque fuiſſet,
Addixi: ſatis eſt gentem effugiſſe nefandam.
Vos animam hanc potiùs quocunque abſumite leto.

(a) *Herculei.* Tarentum fertur ab Hercule ædificatum. (b) *Lacinia.* Junonis Laciniæ templum propè Crotonem. (c) *Caulon Scylacæum.* Oppida ſunt in Brutiis. (d) *Danais.* Argivis, veſtris inimicis. (e) *Cyclopes.* Narrat, quid tres ante menſes Ulyſſe factum ſit.

IX. Vident ipſi, Æneas enim ſociis cum Cyclopum agmine Polyphemum propinquantem, ejúsque clamore horrendo perterriti, ſublatis extemplò anchoris, circuito Pachyno, & Lylibæo Drepani in altero Siciliæ latere exſcendunt.

VIx ea fatus erat: ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes, vaſtâ ſe mole moventem
Paſto-

Paſtorem Polyphemum, & litora nota petentem.
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat;
Lanigeræ comitantur oves, ea ſola voluptas,
Solaménque mali.
Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit;
Luminis eiſoſſi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu: graditúrque per æquor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare recepto
Supplice, ſic merito; taciúſque incidere funem.
Verrimus & proni certantibus æquora remis.
Senſit, & ad ſonitum vocis veſtigia torſit.
Verum ubi nulla datur dextram adfectare poteſtas,
Nec potis Ionios fluctus æquare ſequendo;
Clamorem immenſum tollit: quo pontus, & omnes
Intremuêre undæ, penitúſque exterrita tellus
Italiæ, curvíſque immugiit Ætna cavernis.
At genus è ſylvis Cyclopum, & montibus altis
Excitum ruit ad portus, & litora complent.
Cernimus adſtantes nequicquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferentes,
Concilium horrendum; quales cum vertice celſo
Aëriæ quercus, aut coniferæ cypariſſi
Conſtiterunt, ſilva alta Jovis, lucúſve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quocunque rudentes
Excutere, & ventis intendere vela ſecundis.
Contra juſſa monent Heleni, Scyllam, atque Charybdim
Inter utramque viam, leti diſcrimine parvo,
Ni teneant curſus; certum eſt dare lintea retro.
Ecce autem Boreas anguſta ab ſede Pelori
Miſſus adeſt. Vivo prætervehor oſtia ſaxo
Pantagiæ (a) Megarósque ſinus, Tapſúmque jacentem.
Talia monſtrabat relegens errata retrorſum
Littora Achimenides, comes infelicis Ulyſſâi.
Sicanio prætenta ſinu jacet inſula contra
Plemmyrium undoſum; nomen dixêre priores
Ortygiam. Alpheum (b) fama eſt huc Elidis amnem

Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur undis.
Juſſi numina magna loci veneramur; & inde
Exupero præpingue ſolum ſtagnantis (c) Helori.
Hinc altas cautes, projectáque ſaxa Pachyni (d)
Radimus, & fatis nunquam conceſſa moveri
Apparet Camerina (e) procul, campíque Geloi (f)
Inmaníſque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Agragas, (g) oſtentat maxima longè
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum.
Téque datis linquo ventis, palmoſa Selinus; (h)
Et vada dura lego ſaxis (i) Lilybeïa cæcis.
Hinc Drepani me portus, & illætabilis ora
Accipit, hic pelagi tot tempeſtatibus actus,
Heu genitorem, omnis curæ, caſúsque levamen,
Amitto Anchiſen, hic me, pater optime, feſſum
Deſeris, heu, tantis nequam erepte periclis!
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Cæleno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Sic pater Æneas intentis omnibus unus
Fata renarrabat divûm, curſúsque docebat.
Conticuit tandem, factóque hic fine quievit.

a) *Pantagiæ.* Pantagiæ Fluvii. *Megari.* Sinus ad Siciliæ urbem Megarum. *Thapſus.* Inſula propè Siciliam. *Plemmyrium.* Promontorium juxta Syracuſas. *Ortygiam.* Inſula, quam pons Syracuſis annectit. b) *Alpheum.* Hic fons Arethuſa, ex quo ferunt per ſubterraneos canales emergere Alpheum flumen Elidis in Peloponneſo. c) *Elori.* Fluvii latè ſtagnantis. d) *Pachyni.* Promotorium Siciliæ Auſtrum ſpectans. e) *Camerina.* Oppidum ſitum propè fœtidam admodum paludem. f) *Geloi.* Urbs magna à cognomine fluvio dicta. g) *Acragas.* Arigentium in edito monte ſitum ubi præſtantes equi. h) *Selinus.* Urbs apii fertilis, & palmarum. *Lylibœia.* Tertium eſt Siciliæ Promontorium. *Drepanum.* Urbs ad radicem Erycis montis.

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER VI.

QUartus *Æneidos liber insanum Didonis amorem, quo Æneam deperibat, describit, quem cum à matrimonio ineundo omnino alienum, ac jam abitum clam parere videret, vitam sibi, insanúmque amorem abrumpit.* In Quinto, *præcipuè ludi describuntur, quos ad Anchisæ tumulum instituit Æneas. E Sicilia Cumas appulit, ubi cum Sybilla Inferos lustravit.*

I. Cumas appulsus Æneas Dianæ Triviæ Templum subit, vota ad Deam concipit hortante Sybilla, quæ ei plurima de instantibus periculis, & futuri belli eventu vaticinatur.

SIc fatur lacrymans, classíque immittit habenas,
Et tándem (a) Euboicis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci
Anchora fundabat naves, & litora curvæ
Præexunt puppes. Juvenum manus emicat ardens
Litus in Hisperium, quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum
Tecta, rapit silvas, inventáque flumina monstrat.
At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sybillæ
Antrum immane petit; magnam cui mentem, animúmque
(b) Delius inspirat vates, aperítque futura.
Jam súbeunt (c) Triviæ lucos, atque aurea tecta.
Dædalus (út fama est) fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
(d) Chalcidicámque levis tandem superadstitit arcem.
Redditus his primùm terris, tibi Phœbe sacravit
Remigium alarum, posuítque immania templa.
In foribus lethum (e) Androgeo: tum pendere pœnas
(f) Cecropidæ jussi (miserùm) septena quot annis

Corpora natorum, ſtat ductis ſortibus urna;
Contra elata mari reſpondet Gnoſſia tellus.
Hic crudelis amor tauri, ſuppoſita furto
Paſiphaë, mixtúmque genus, prolésque biformis
Minotaurus ineſt, Veneris monumenta nefandæ;
Hic labor ille domûs, & inextricabilis error.
Magnum reginæ ſed enim miſeratus amorem
Dædalus, ecce dolos tecti, ambagésque reſolvit,
Cæca regens filô veſtigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, ſineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat caſus effingere in auro;
Bis patriæ cecidêre manus. Quin protinus omnia
Perlegerent oculis, nî jam præmiſſus Achates
Afforet, atque una Phœbi Triviæque Sacerdos
(g) Deiphobe Glauci, fatur quæ talia regi;
Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit;
Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit; totidem lectas de more bidentes.
Talibus adfata Æneam, (nec ſacra morantur
Juſſa viri) Teucros vocat alta in templa Sacerdos.
Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum;
Unde ruunt totidem voces, reſponſa Sybillæ.
Ventum erat ad limen, cùm virgo, poſcere fata
Tempus, ait: Deus ecce, Deus! cui talia fanti
Ante fores ſubitò non vultus, non color unus,
Non comptæ manſêre comæ; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majórque videri,
Nec mortale ſonans, adflata eſt numine quando
Jam propiore Dei. Ceſſas in vota, precésque
Tros, ait, Æneä? ceſſas? neque enim ante dehiſcent
Attonitæ magna ora domûs. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Oſſa tremor, fundítque preces Rex pectore ab imo:
Phœbe, graves Trojæ ſemper miſerate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela, manúsque
Corpus in Æacidæ; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te, penitúsque repoſtas
Maſſylûm gentes, prætentâque Syrtibus arva.

Jam tandem Italiæ ſugientis prendimus oras.
Hàc Trojana tenus fuerit Fortuna ſecuta.
Vos quoque Pergameæ jam fas eſt parcere genti,
Dique, Deæque omnes, quibus obſtitit Illium, & ingens
Gloria Dardaniæ. Túque ô ſanctiſſima vates
Præſcia venturi, da (non indebita poſco)
Regna meis fatis; Latio conſidere Teucros,
Errantéſque Deos, agitatáque numina Trojæ.
Tum Phœbo, & Triviæ ſolido de marmore templum
Inſtitutam, feſtósque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris.
Hic ego námque tuas ſortes, arcanáque fata
Dicta meæ genti ponam, lectósque ſacrabo
Alma viros. (h) Foliis tantùm ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipſa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At, Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Baechatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum. Tantò magìs ille fatigat
Os rabidum, fera corda, domans, fingítque premendo.
Oſtia jámque domûs patuêre ingentia centum
Sponte ſua, vatísque ferunt reſponſa per auras.
O tandem magnis pelagi defuncte periclis:
Sed terrâ graviora manent, in regno Lavini
Dardanidæ venient, mitte hanc de pectore curam:
Sed non & veniſſe volent. Bella, horrida bella,
Et Tyberim multò ſpumantem ſanguine cerno.
Non (i) Simois tibi, nec Xanthus, nec (k) Dorica caſtra
Defuerint. Alius Latio jam partus (l) Achilles,
Natus & ipſe Deâ. Nec Teucris addita Juno
Usquam aberit: cùm tu ſupplex in rebus egenis
Quas gentes Italûm, aut quas non oraveris urbes!
Cauſa mali tanti conjux, iterum hoſpita Teucris;
Externíque iterum thalami.
Tu ne cede malis: ſed contrà audentior ito,
Quam tua te fortuna ſinit. Via prima ſalutis,
Quod minimè reris, Graja pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sybilla
Horrendas canit ambages, antróque remugit,

Obſcuris vera involvens. Ea frena furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.

a) *Euboi is.* Balas appellat, quas in ſinu Puteolano Chalcidenſes ex Eubœa Inſula condiderant. b) *Delius.* Apollo Deli natus. c) *Triviæ* Dianæ ſimul, & Phœbi templum. d) *Chalcidica.* Cumana. e) *Androgeo.* Ab Æneâ ſociisque captâ jam Trojâ interfecti, ut libro 2. f) *Cecropidæ.* Athenienſes à Rege Cecrope. Fingitur in veſtibulo templi affabre exciſa fabula nota de Minotauro, Labyrintho, Theſeo, Dædalo. g) *Deiphobe* Glauci Filia. Hoc erat Sybillæ nomen. h) *Foliis.* Alias Sybilla foliis vaticinia inſcribebat, quæ vento difflata, non iterum componere curabat. i) *Simois, Xanthus.* Trojani Fluvii. k) *Dorica* Græcorum. l) *Achilles:* Turnum innuit.

II. Rogat Sybillam Æneas, ut ſe Patris Anchiſæ videndi ergo ad inferos deducat. Jubet illa ramum aureum è luco Junonis petere, ac Miſeni cadaver ante humare, quod & exequitur Æneas.

UT primùm ceſſit furor, & rabida ora quierunt;
Incipit Æneas heros: Non ulla laborum,
O virgo! nova mi facies inopinâve ſurgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro: quando hic inferni janua Regis
Dicitur, & tenebroſa palus Acheronte refuſo;
Ire ad conſpectum cari genitoris & ora
Contingat; doceas iter, & ſacra oſtia pandas.
Illum ego per flammas, & mille ſequentia tela
Eripui his humeris, medióque ex hoſte recepi;
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes, pelagíque minas, cœlíque ferebat
Invalidus, vires ultra, ſortémque ſenectæ.
Quid, ut te ſupplex peterem, & tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Natíque, patríſque,
Alma, precor, miſerere. Potes námque omnia: nec te
Nequicquam lucis Hecate (a) præfecit Avernis.
Si potuit Manes arceſſere conjugis (b) Orpheus,
Threïciâ fretus citharâ fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque, redítque viam toties. Quid Theſea, magnum
Quid memorem Alciden? & mî genus ab Jove ſummo.
Talibus orabat dictis, arásque tenebat.
Cum ſic orſa loqui vates: Sate ſanguine divûm,

Tros

Tros Anchiſiade, *facilis deſcenſus Averni.*
Noctes, atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, ſuperásque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt. Pauci, quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dis geniti potuêre. Tenent media omnia ſilvæ,
Cocytúsque ſinu labens circumvenit atro.
Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; & inſano juvat indulgere labori;
Accipe, quæ peragenda priùs. Latet arbore opaca
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus ſacer. Hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta ſubire,
Auricomos quam quis decerpſerit arbore fœtus,
Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit. Primo avulſo non deficit alter
Aureus; & ſimili frondeſcit virga metallo.
Ergo altè veſtiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu. Námque ipſe volens, facilíſque ſequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
Heu (neſcis) totámque inceſtat funere claſſem;
Dum conſulta petis, noſtróque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulchro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula ſunto.
Sic demum lucos Stygios regna invia vivis
Aſpicies. Dixit, preſſóque obmutuit ore.
Æneas mœſto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum; cæcósque volutat
Eventus animo ſecum. Cui fidus Achates
It comes, & paribus curis veſtigia figit.
Multa inter ſeſe vario ſermone ferebant:
Quem ſocium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. Atque illi Miſenum in litore ſicco,
Ut venêre, vident indigna morte peremptum:
Miſenum Æolidem (c) quo non præſtantior alter

Ære ciere viros, Martémque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat & hastâ.
Postquam illum vitâ victor spoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ sese fortissimus heros
Addiderat socium, *non inferiora secutus.*
Sed tum, forte cavâ dum personat æquora conchâ,
Demens, & cantu vocat in certamina divos,
Æmulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosâ immersérat undâ.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Præcipuè pius Æneas. Tum jussa Sybillæ
(Haud mora) festinant flentes, arámque sepulchri
Congerere arboribus, cœlóque educere certant.
Itur in antiquam silvam stabula alta ferarum;
Procumbunt piceæ; sonat icta securibus ilex;
Fraxineæque trabes, cuneis & fissibile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.
Nec non Æneas onera inter talia primus
Hortatur socios, paribúsque accingitur armis.

a) *Hecate.* Triformis Diana. b) *Orpheus.* Orphei, Thesei, Herculis, Pollucis inferos adeuntium fabulæ alioquin constant. c) *Misenum Æolidem,* In Æolia natum, Tibicinem olim Hectoris.

III. Columbarum ductu, potitus aureo ramo Æneas, Misenó magnificè cremato, ad Sybillam, & Lacum Avernum redit, sacrificat, cœcum iter init.

Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat, 185
Aspectum silvam immensam, & sic voce precatur;
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto; quandò omnia verè
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminæ cùm fortè columbæ
Ipsa sub ora viri cœlò venêre volantes,
Et viridi sedêre solo. Tum maximus heros
(a) Maternas adgnoscit aves, lætúsque precatur;
Este duces ô! si qua via est, cursúmque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. Túque ô dubiis ne defice rebus,

Diva

Diva parens. Sic effatus veſtigia preſſit;
Obſervans quæ ſigna ferant, quò tendere pergant.
Paſcentes illæ tantùm prodire volando,
Quantum acie poſſent oculi ſervare ſequentûm.
Inde, ubi venêre ad fauces grave olentis Averni,
Tollunt ſe celeres; liquidúmque per aëra lapſæ
Sedibus optatis gemina ſuper arbore ſidunt;
Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit.
Quale ſolet ſilvis brumalis frigore viſcum
Fronde virêre nova, quod non ſua ſeminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos.
Talis erat ſpecies auri frondentis opaca
Ilice: ſic leni crepitabat bractea vento.
Corripit Æneas exemplô, avidúsque refringit
Cunctantem, & Vatis portat ſub tecta Sybillæ.
Nec minùs interea Miſenum in litore Teucri
Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.
Principio pinguem tædis & robore ſecto
Ingentem ſtruxêre pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales antè cupreſſos
Conſtituunt, decorántque ſuper fulgentibus armis.
Pars calidos latices, & aëna undantia flammis
Expediunt, corpúsque lavant frigentis, & ungunt.
Fit gemitus. Tum membra toto defleta reponunt,
Purpureásque ſuper veſtes, velamina nota
Conjiciunt. Pars ingenti ſubiêre feretro
Triſte miniſterium, & ſubjectum more parentum
Averſi tenuêre facem. Congeſta cremantur
Turea dona, dapes, fuſo crateres olivo.
Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit;
Reliquias vinô, & bibulam lavêre favillam;
Oſſáque lecta cado texit Corynæus aëno,
Idem ter ſocios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi, & ramô felicis olivæ;
Luſtravítque viros, dixítque noviſſima verba.
At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Imponit, ſuáque arma viro, remúmque, tubámque,
Monte ſub aërio; qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, æternúmque tenet per ſæcula nomen.

His actis properè exsequitur præcepta Sybillæ,
Spelunca alta fuit, vastóque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorúmque tenebris;
Quam super haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis; talis sese halitus atris
Faucibus effundens, supera ad convexa ferebat;
(Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum.)
Quator hìc primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontíque invergit vina Sacerdos;
Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cœlóque, Erebóque potentem,
Supponunt alii cultros, tepidúmque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæque sorori
Ense ferit, sterilémque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue super oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis, & ortûs,
Sub pedibus mugire solum, & juga cœpta moveri
Silvarum, visæque canes ululare per umbram,
Adventante Deâ. Procul ô, procul este profani!
Conclamat vates, totóque absistite luco;
Túque invade viam, vaginâque eripe ferrum;
Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se immisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.
Dî! quibus imperium est animarum, umbræque silentes,
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte tacentia latè;
Sit mihi fas audita loqui: sit numine vestro
Pandere res altâ terrâ, & caligine mersas.
Ibant obscuri solâ sub nocte per umbram,
Pérque domos Ditis vacuas, & inania regna.
Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in silvis: ubi cœlum condidit umbrâ
Juppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

a) *Matrem.* Columba Veneri sacra.

IV. Describitur Vestibulum Inferorum, monstra infera, in quæ gladium vibrabat Æneas, ni Sybilla prohibuisset; fluvii inferi, Charon; umbræ inhumatorum innumeræ, quas inter Palinurus nuper in mare excussus, & à barbaris in ripa cæsus.

VEstibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus, & ultrices posuêre cubilia Curæ;
Pallentésque habitant Morbi, tristísque Senectus,
Et Metus, & malesuada Fames, ac turpis Egestas;
Terribiles visu formæ: Letúmque, Labórque;
Tum consanguineus Leti Sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferúmque adverso in lumine Bellum,
Ferreíque Eumenidum thalami, & Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis
In medio ramos, annosáque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia vulgò
Vana tenere ferunt, folúsque sub omnibus hærens.
Multáque præterea variarum monstra ferarum.
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendùm stridens, flammísque armata Chimæra;
Gorgones, Harpyiæque, & forma tricorporis umbræ.
Corripit hìc subitâ trepidus formidine ferrum
Æneas, strictámque aciem venientibus offert,
Et, ni docta comes tenues sinè corpore vitas
Admoneat, volitare cava sub imagine formæ;
Irruat, & frustra ferrô diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas;
Turbidus hic cœnô, vastáque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas, & flumina servat
Terribili squalore Charon; cui plurima mento
Canities inculta jacet: stant lumina flamma:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velísque ministrat,
Et ferrugineâ subvectat corpora cymbâ,
Jam senior: sed cruda Deo, viridísque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæque puellæ,

Impo-

Impoſitíque rogis juvenes ante ora parentum:
Quàm multa in ſilvis autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia; aut ad terram gurgite ab alto
Quàm multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
Stabant orantes, primi transmittere curſum,
Tendebántque manus ripæ ulterioris amore.
Navita ſed triſtis nunc hos nunc accipit illos:
Aſt alios longe ſubmotos arcet arenâ.
Æneas (miratus enim motúsque tumultu)
Dic, ait: ô virgo! quid vult concurſus ad amnem?
Quidve petunt animæ? vel quo diſcrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt?
Olli ſic breviter fata eſt longæva ſacerdos:
Anchiſâ generate, Deûm certiſſima proles,
Cocyti ſtagna alta vides, Stygiámque paludem,
Dî cujus jurare timent, & fallere numen.
Hæc omnis, quàm cernis, inops, inhumatáque turba eſt:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, ſepulti.
Nec ripas datur horrendas & rauca fluenta
Transportare prius, quàm ſedibus oſſa quiêrunt.
Centum errant annos, volitántque hæc litora circum.
Tum demùm admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.
Conſtitit Anchiſâ ſatus, & veſtigia preſſit;
Multa putans, ſortémque animo miſeratus iniquam.
Cernit ibi mœſtos, & mortis honore carentes
Leucaſpim, & Lyciæ ductorem claſſis Orontem:
Quos, ſimul à Troja ventoſa per æquora vectos,
Obruit auſter, aqua involvens navémque virósque.
Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper curſu, dum ſidera ſervat,
Exciderat puppi, mediis effuſus in undis.
Hunc ubi vix multa mæſtum cognovit in umbra
Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, Deorum
Eripuit nobis, medióque ſub æquore merſit:
Dic age. Námque mihi fallax haud ante repertus,
Hoc uno reſponſo animum delúſit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finésque canebat
Venturum Auſonios. En hæc promiſſa fides eſt?

Ille

Ille autem: Neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchiſiade, nec me Deus æquore merſit.
Namque gubernâculum multa vi forte revulſum,
Cui datus hærebam cuſtos, curſúsque regebam,
Præcipitans traxi mecum. Maria aſpera juro,
Non ullum pro me tantum cepiſſe timorem,
Quàm tua ne, ſpoliata armis, excuſſa magiſtro,
Deficeret tantis navis ſurgentibus undis.
Tres Notus hybernas immenſa per æquora noctes
Vexit me violentus aquâ; vix lumine quarto
Proſpexi Italiam ſummâ ſublimis ab undâ.
Paullatim adnabam terræ, jam tuta tenebam;
Nî gens crudelis madida cum veſte gravatum,
Prenſántémque uncis manibus capita aſpera montis
Ferro invaſiſſet, prædámque ignara putâſſet.
Nunc me fluctus habet, verſántque in litore venti.
Quod te per cœli jucundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per ſpem ſurgentis Iuli;
Eripe me his, invicte, malis; aut tu mihi terram
Injice, namque potes; portúsque require Velinos.
Aut tu, ſi qua via eſt, ſi quam tibi diva creatrix
Oſtendit, (neque enim credo ſinè numine divûm
Flumina tanta paras, Stygiámque innare paludem)
Da dextram miſero, & tecum me tolle per undas;
Sedibus ut ſaltèm placidis in morte quieſcam.
Talia fatus erat, cœpit cùm talia vates;
Unde hæc, ô Palinure! tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnémque ſeverum
Eumenidum aſpicies, ripámve injuſſus abibis?
Deſine fata Deûm flecti ſperare precando.
Sed cape dicta memor, duri ſolatia caſûs;
Nam tua finitimi, longè, latéque per urbes
Prodigiis actis cœleſtibus, oſſa piabunt;
Et ſtatuent tumulum, & tumulo ſolemnia mittent,
Æternúmque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulsúsque parumper
Corde dolor triſti; gaudet cognomine terra.

a) *Centum errant.* Centum annis expectandum erat umbris, quarum

quarum cadavera humata, vel cremata non fuerant, dum à Charonte trajicerentur.

V. Transvectus Stygem Æneas, Cerberum medicatâ offa ſopit; videt in ſtationibus variis manes infantium, & ſemet ci oiſorum, amantium; atque has inter Didonem, quam fruſtra alloquitur, & miſeratur.

ERgo iter inceptum peragunt, fluvióque propinquant.
Navita quos jam inde ùt Stygia proſpexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedémque advertere ripæ,
Sic prior adgreditur dictis, atque increpat ultro;
Quisquis es, armatus qui noſtra ad flumina tendis,
Fare, age, qui venias; jam iſtínc & comprime greſſum.
Umbrarum hic locus eſt, Somni, Noctíſque ſoporæ;
Corpora viva nefas Stygiâ vectare carinâ.
Nec verò (a) Alciden me ſum lætatus euntem
Accepiſſe lacu, nec Theſea Pirithoúmque;
Dis quanquam geniti, atque invicti viribus eſſent.
Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petivit;
Ipſius à ſolio regis traxítque trementem:
(b) Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quæ contra breviter fata eſt Amphryſia vates;
Nullæ hic inſidiæ tales; abſiſte moveri,
Nec vim tela ferunt, licèt ingens janitor antro
Æternùm latrans exſangues terreat umbas;
Caſta licèt patrui ſervet Proſerpina limen.
Troius Æneas pietate inſignis, & armis,
Ad genitorem imas Erebi deſcendit ad umbras.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum, qui veſte latebat)
Adgnoſcas. Tumida ex ira tum corda reſidunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo pòſt tempore viſum,
Cæruleam advertit puppim, ripæque propinquat.
Inde alias animas, quæ per juga longa ſedebant,
Deturbat, laxátqee foros; ſimul accipit alveo
Ingentem Æneam. Gemuit ſub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimoſa paludem.
Tandem trans fluvium incolumis vatémque, virúmque
Informi limo glaucáque exponit in ulva.

Cerbe-

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.
Cui vates, horrore videns jam colla colubris,
Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam
Objicit. Ille fame rabidâ tria guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga reſolvit
Fuſus humi, totóque ingens extenditur antro.
Occupat Æneas aditum cuſtode ſepulto,
Evaditque celer ri[illegible]a irremeabilis undæ.
Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantúmque animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exſortes, & ab ubere raptos,
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.
Hos juxta falſo damnati crimine mortis.
Nec vero hæ ſinè ſorte datæ, ſinè judice, ſedes.
Quæſitor Minos urnam movet; ille ſilentûm
Conciliúmque vocat, vitásque & crimina diſcit.
Proxima deinde tenent mœſti loca, qui ſibi letum
Inſontes peperêre manu, lucémque peroſi
Projecêre animas. Quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores!
Fas obſtat, triſtíque palus inamabilis unda
Adligat, & novies Styx interfuſa coërcet.
Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campi, ſic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Silva tegit, curæ non ipſa in morte relinquunt.
His (c) Phaedram (d) Procrímque locis, mœſtámque (e) Eryphylem
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit,
(f) Evadnenque, & (g) Paſiphaën: his (h) Laodamia
It comes, & juvenis quondam, nunc fœmina (i) Cæneus,
Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phœniſſa (k) recens à vulnere Dido
Errabat ſilva in magna: quam Troïus heros,
Ut primùm juxta ſtetit, agnovítque per umbram
Obſcuram, qualem primo qui ſurgere menſe
Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila lunam,

Demiſit

Demiſit lacrymas, dulcíque adfatus amore eſt:
Infelix *Dido*, verus mihi nuntius ergo
Venerat exſtinctam, ferróque extrema ſecutam?
Funeris heu tibi cauſſa fui, ? per ſidera juro,
Per ſuperos, & ſi qua fides tellure ſub ima eſt;
Invitus, regina, tuo he litore ceſſi.
Sed me juſſa deûm, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca ſenta ſitu cogunt noctémque profundam,
Imperiis egêre ſuis: nec credere quivi
Hunc tantum tibi me diſceſſu ferre dolorem.
Siſte gradum, téque aſpectu ne ſubtrahe noſtro.
Quem fugis extremum fato quod te adloquor, hoc eſt.
Talibus Æneas ardentem, & torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrymásque ciebat.
Illa ſolo fixos oculos adverſa tenebat:
Nec magìs incepto vultum ſermone movetur,
Quam ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes.
Tandem corripuit ſeſe, atque inimica refugit
In nemus umbriferum: conjux ubi priſtimus illi
Reſpondet curis, æquátque Sichæus amorem.
Nec minùs Æneas, caſu percuſſus iniquo,
Proſequitur lacrymans longè, & miſeratur euntem.

a) *Alciden.* Herculem. b) *Dominam Ditis.* Proſerpinam. c) *Phædra.* Theſei uxor, ob Hippolitum privignum. d) *Procrin.* Cephali uxor à marito è Zelotypia cæſa. e) *Eriphylen.* A Filio Alemæone interfecta. f) *Evadnen*, quæ ſe audita Capanei morte in ignem injecerat. g) *Paſiphaen.* Minois Cretenſis Regis uxor Minotauri amatrix. h) *Laodamia.* Quæ optavit, ut Proteſilai ad Trojam cæſi umbram videret, & voto compos in ejus complexu animam efflavit. i) *Cæneus.* A Neptuno violata, atque in virum fortem transmutata. k) *Phœniſſa.* Phœnicia Dido.

VI. Videt inde manes bellatorum inſignium, tum Trojanorum, tum Græcorum; hos inter Deiphobi Priami Filii, qui ſuæ necis modum narrat. Hujus colloquio abrupto triſtia damnatorum loca adit.

INde datum molitur iter. Jámque arva tenebant 477
Ultima, quæ bello clari ſecreta frequentant.
Hic illi occurrit (a) Tydeus, hic inclytus armis
(b) Parthenopæus, & Adraſti pallentis imago.

Hic

Hic multum fleti ad ſuperos, bellóque caduci
Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucúmque, Medontáque, Therſilochúmque,
Tres Antenoridas, Cereríque ſacrum Polybæten,
Idæúmque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumſtant animæ dextrâ lævâque frequentes.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt: juvat usque morari,
Et conferre gradum, & veniendi diſcere cauſſas.
At Danaûm proceres, Agamemnoniæque phalanges,
Ut vidêre virum, fulgentiáque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu. Pars vertere terga,
Ceu quondam petiêre rates: pars tollere vocem
Exiguam, inceptus clamor fruſtratur hiantes.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum videt, & lacerum crudeliter ora,
Ora, manúsque ambas, populatáque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.
Vix adeo adgnovit pavitantem, & dira tegentem
Supplicia; & notis compellat vocibus ultrò:
Deïphobe armipotens, genus alto a ſanguine Teucri,
Quis tam crudeles optavit ſumere pœnas?
Cui tantum de te licuit? mihi fama ſuprema
Nocte tulit, feſſum vaſta te cæde Pelasgûm
Procubuiſſe ſuper confuſæ ſtragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem
Conſtitui, & magna manes ter voce vocavi.
Nomen, & arma locum ſervant. Te, amice nequivi
Conſpicere, & patriâ decedens ponere terrâ.
Atque hic Priamides: nihil ô tibi amice, relictum:
Omnia Deïphobo ſolviſti, & funeris umbris.
Sed me fata mea & ſcelus exitiale Lacænæ (c)
His merſêre malis: illa hæc monumenta reliquit.
Námque, ut ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, nôſti; & nimiùm meminiſſe neceſſe eſt:
Cum fatalis equus ſaltu ſuper ardua venit
Pergama, & armatum peditem gravis adtulit alvo;
Illa chorum ſimulans Evantes Orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipſa tenebat
Ingentem, & ſumma Danaos ex arce vocabat.

Tum me, confectum curis, ſomnóque gravatum
Infelix habuit thalamus, preſſitque jacentem
Dulcis, & alta quies, placidæque ſimillima morti,
Egregia interea conjux arma omnia tectis
Emovet, & fidum capiti ſubduxerat enſem:
Intra tecta vocat Menalaum, & limina pandit.
Scilicet id magnum ſperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum ſic poſſe malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo. Comes additus una
Hortator ſcelerum (d) Æolides. Dî, talia Graiis
Inſtaurate; pio ſi pœnas ore repoſco.
Sed te qui vivum caſus age fare viciſſim,
Attulerint. Pelagíne venis erroribus actus,
An monitu divûm? an quæ te fortuna fatigat,
Ut triſtes ſinè ſole domos loca turbida adires?
Hac vice ſermonum roſeis Aurora quadrigis
Jam medium ætherio curſu trajecerat axem:
Et fors omne datum trahetur per talia tempus:
Sed comes admonuit, brevitérque adfata Sybilla eſt:
Nox ruit, Æneа; nos fiendo ducimus horas.
Hic locus eſt, partes ubi ſe via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit.
Hâc iter Elyſium nobis: at lœva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.
Deïphobus contra: Ne ſævi, magna ſacerdos:
Diſcedam; explebo numerum, reddárque tenebris.
I decus, i noſtrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus, & in verbo veſtigia torſit.
Reſpicit Æneas ſubitò, & ſub rupe ſiniſtra
Mœnia lata videt, triplici circumdata muro:
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquétque ſonantia ſaxa.
Porta adverſa ingens, ſolidóque adamante columnæ:
Vis ut nulla virûm non ipſi exſcindere ferro
Cœlicolæ valeant. Stat ferrea turris ad auras:
Tiſiphonéque ſedens, pallâ ſuccinctâ cruentâ,
Veſtibulum exſomnis ſervat, noctésque diésque.
Hinc exaudiri gemitus, & ſæva ſonare
Verbera: tum ſtridor ferri, tractæque catenæ.

a) Ti

a) *Tydeus.* Pater Diomedis. b) *Parthenopeus.* Atalantæ Filius. De cæteris hic recenſitis Græcorum, & Trojanorum Ducibus Conſule Hiſtoriam excidii Trojani. c) *Lacæna.* Hælena Lacedæmonia poſt Paridis mortem Deiphobum ejus Fratrem Maritum habuit, ac Græcis jam victoribus prodidit. d) *Æolides.* Ulyſſes Æoli nepos.

VII. Cum ima Tartara adire nefas ſit mortali, varia damnatorum genera, ſuppliciáque Ænææ Sybilla denarrat, quæ in Mythologia, de Diis uberiùs pleráque reperies.

COnſtitit Æneas, ſtrepitúmque exterritus hauſit: 559
Quæ ſcelerum ſacies? ô virgo, effare; quibusve
Urgentur pœnis? qui tantus plangor ad auras?
Tum vates ſic orſa loqui: Dux inclyte Teucrûm,
Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen:
Sed me, cum lucis Hecate præfecit Avernis,
Ipſa Deûm pœnas docuit, pérque omnia duxit.
Gnoſſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigátque audítque dolos; ſubigítque fateri,
Quæ quis apud ſuperos, furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.
Continuò ſontes ultrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans, torvósque ſiniſtrâ
Intentans angues, vocat agmina ſæva ſororum.
Tum demum horriſono ſtridentes cardine, ſacræ
Pandúntur portæ. Cernis, cuſtodia qualis
Veſtibulo ſedeat? facies quæ limina ſervet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet ſedem. Tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps tantum, tendítque ſub umbras,
Quantus ad ætherium cæli ſuſpectus Olympum.
Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic & (a) Aloïdas geminos, immania vidi
Corpora: qui manibus magnum reſcindere cœlum
Adgreſſi, ſuperisve Jovem detrudere regnis.
Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis, & ſonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, & lampada quaſſans,
Per Grajûm populus, mediæque per Elidis (b) urbem
Ibat ovans, divûmque ſibi poſcebat honorem,

Demens! qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ære & cornipedum pulsu simulârat equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, (non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitémque immani turbine adegit.
Nec non & (c) Tityon, terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur rostróque immanis vultur obunco
Immortale jecur tondens, fœcundáque pœnis
Viscera: nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoúmque?
Quos super atra silex jamjam lapsura, cadentíque
Imminet adsimilis: lucen genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu. Furiarum maxima juxta
Accubat & manibus prohibet contingere mensas:
Exsurgíque facem attolens, atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti;
At qui divitiis soli incubuêre repertis,
Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est;
Quique ob adulterium cæsi, quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam expectant. Ne quære doceri
Quam pœnam; aut quæ forma viros, fortunáve mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiísque rotarum
Destricti pendent: sedet æternúmque sedebit,
Infelix Theseus (d) Phlegiásque (e) miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.
Vendidit hic auro patriam, dominúmque potentem
Imposuit: fixit leges pretio, atque refixit:
Hic thalamum invasit natæ, vetitósque hymenæos.
Ausi omnes immane nefas, ausóque potiti.
Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas;
Omnia pœnarum percurrere nomina possim
Hæc ubi dicta dedit Phoebi longæva sacerdos:
Sed jam age carpe viam, & susceptum perfice munus:

Ac

Acceleremus, ait Cyclopum educta caminis?
Mœnia conſpicio, atque adverſo fornice portas
Hæc ubi nos præcepta jubent deponere dona.
Dixerat, & pariter, greſſi per opaca viarum,
Corripiunt ſpatium medium, foribúsque propinquant.
Occupat Æneas aditum, corpúsque recenti
Spargit aquâ, ramúmque adverſo in limine figit.

a) *Aloidas.* Othon, & Ephialtes Titanes. b) *Elidis.* Pisam. c) *Tityon.* Cujus jecur à vultore exeditur. d) *Theſeus.* Liberatus ab Hercule, ſed denuò ardenti rupi alligatus. e) *Phlegyas.* Ixionis Filius ab Apolline jaculis confixus.

VIII. In Elyſios compos denique devenit Æneas; hîc Anchiſam Patrem convenit, qui Filium primum de ſtatu animarum hic degentarum, pluribus edocet.

His demum exactis, perfecto munere divæ, 637
Devenêre locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedésque beatas.
Largior hic campos aëther & lumine veſtit
Purpureo; ſolémque ſuum, ſua ſidera nôrunt.
Pars in gramineis exercent membra palæſtris,
Contendunt ludo, & fulvâ luctantur arenâ:
Pars pedibus plaudunt, choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threïcius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:
Jámque eâdem digitis, jam pectine pulſat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroës, nati melioribus annis,
Ilúſque, Aſſaracúſque, & Trojæ Dardanus auctor.
Arma procul, currúſque virûm miratur inanes.
Stant terrâ defixæ haſtæ, paſſímque ſoluti
Per campum paſcuntur equi. Quæ gratia curruum,
Armorúmque fuit vivis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.
Conſpicit, ecce, alios, dextra, lævâque per herbam
Veſcentes lætúmque choro Pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus; unde ſuperné
Plurimus Eridani per ſilvam volvitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando vulnera paſſi,
Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat,

Quique pii vates, & Phœbo digna locuti,
Inventa aut qui vitam excoluêre per artes,
Quique ſui memores alios fecêre merendo:
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vittâ.
Quos circumfuſos ſic eſt adfata Sybilla;
(a) Muſæum ante omnes: medium nam plurima turba
Hinc habet, atque humeris exſtantem ſuſpicit altis:
Dicite, felices animæ, túque optime vates;
Quæ regio Anchiſen, quis habet locus? illius ergo
Venimus, & magnos Erebi tranavimus amnes.
Atque huic reſponſum paucis ità reddidit heros:
Nulli certa domus. Lucis habitamus opacis,
Riparúmque toros, & prata recentia rivis
Incolimus. Sed vos, ſi fert ita corde voluntas,
Hoc ſuperate jugum; & facili jam tramite ſiſtam.
Dixit, & ante tulit greſſum, campósque nitentes
Deſuper oſtendit: dehinc ſumma cacumina linquunt.
At pater Anchiſes penitus convalle virenti
Incluſas animas, ſuperúmque ad lumen ituras,
Luſtrabat ſtudio recolens, omnémque ſuorum
Forte recenſebat numerum, carósque nepotes,
Fatáque, fortunásque virûm, moresque, manúsque.
Is que ubi tendentem adverſum per gramina vidit
Æneam, alacris palmas utrasque tetendit:
Effuſæque genis lacrymæ; & vox excidit ore.
Veniſti tandem, tuáque ſpectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua; & notas audire & reddere voces?
Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent!
Ille autem Tua me, genitor tua triſtis imago,
Sæpiùs occurrens, hæc limina tendere adegit.
Stant ſale Tyrrheno claſſes: da jungere dextram,
Da genitor; téque amplexu ne ſubtrahe noſtro.
Sic memorans largo fletu ſimul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare bvachia circum:

Ter fruſtrà comprensâ manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucríque ſimillima ſomnó.
Interea videt Æneas in valle reducta
Secluſum nemus, & virgulta ſonantia ſilvis,
Letheúmque, domos placidas qui prænatat, amnem.
Hunc circum innumeræ gentes, populíque volabant.
Ac veluti in pratis, ubi apes æſtate ſerena
Floribus inſidunt variis, & candida circum
Lilia funduntur: ſtrepit omnis murmure campus.
Horreſcit viſu ſubitò, cauſsásque requirit
Inſcius Æneas quæ ſint ea flumina porrò,
Quive viri tanto complêrint agmine ripas.
Tum pater Anchiſes: animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam
Securos latices & longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi, atque oſtendere coram,
Jam pridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quò magis Italiâ mecum lætêre repertâ.
O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas, iterúmque ad tarda reverti
Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te ſuſpenſum, nate tenebo:
Suſcipit Anchiſes, atque ordine ſingula pandit.
Principio cœlum, ac terras, campóque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ; Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudúmque genus, vitæque volantúm;
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundáque membra.
Hinc metuunt, cupiúntque: dolent, gaudéntque: neque auras
Diſpiciunt, clauſæ tenebris, & carcere cæco.
Quin & ſupremo cum lumine vita relinquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes: penitúsque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.

Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quisque ſuos patimur Manes: exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci læta arva tenemus:
(b) Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purúmque reliquit
Ætherium ſenſum, atque auraï ſimplicis ignem.
Has omnes, ubi mille rotam volvêre per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.

a) *Muſæum.* Fuit hic Ethnicus quidam Theologus Orphei Diſcipulus. b) *Donec Longa dies.* Videtur Metempſycholeæ Doctrinam tangere.

IX. Inſtantia Æneæ fata recenſet Anchiſes, futuros Albæ Regges, ex his oriturum Romulum, Romæ urbis magnitudinem, Auguſti denique laudes multus excurrit.

DIxerat Anchiſes: natúmque, unâque Sybillam
Conventus trahit in medios, turbamque ſonantem:
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine poſſit
Adverſos legere, & venientûm diſcere vultus.
Nunc age, Dardaniam prolem, quæ deinde ſequatur
Gloria, qui maneant Italâ de gente nepotes,
Illuſtres animas, noſtrúmque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.
Ille, (vides) purâ juvenis qui nititur haſtâ,
Proxima ſorte tenet lucis loca; primus ad auras
Ætherias (a Italo commixtus ſanguine ſurget
(b) Silvius Albanum nomen, tua poſthuma proles:
Quem tibi longævo (c) ſerum Lavinia conjux
Educet ſylvis regem, regúmque parentem:
Unde genus longa noſtrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Trojanæ gloria gentis,
Et Capis, & Numitor, & qui te nomine reddet
Silvius Æneas, pariter pietate vel armis
Egregius, ſi unquam regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes quantas oſtentant, aſpice, vires!

Argut

Atque umbrata gerunt (d) civili tempora quercu.
Hi tibi (e) Nomentum, & Gabios urbémque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
(Laude pudicitiæ celebres, addéntque ſuperbos)
Pometias, Caſtrúmque Inüi, Bolámque, Corámque.
Hæc tum nomina erunt, nunc ſunt ſinè nomine terræ.
Quin & (f) avo comitem ſeſe Mavortius addet
Romulus (g) Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet. viden' ut geminæ ſtant vertice criſtæ,
Et pater ipſe ſuo ſuperûm jam ſignat honore?
En hujus, nate, auſpiciis illa inclita Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septémque una ſibi muro circumdabit arces.
Felix prole virûm. Qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes,
Hue geminas nunc flecte acies: hanc aſpice gentem,
Romanósque tuos. Hic cæſar, & omnis Iüli
Progenies, magnum cœli ventura ſub axem.
Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ſæpiùs audis,
Auguſtus Cæſar, Divum genus: aurea condet
Sæcula qui rurſus Latio, regnata per arva
Saturno quondam, ſuper & Garamantas, & Indos
Proferet imperium. Jacet extra ſidera tellus,
Extra anni, ſolísque vias, ubi cælifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
(h) Hujus in adventum jam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent divûm, & Moætica tellus,
Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.
Nec verò Alcides tantùm telluris obivit;
Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacârit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.
Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celſo Nyſæ de vertice tigris.
Et dubitamus adhuc virtute extendere vires?
Aut metus Auſonia prohibet conſiſtere terra?

a) *Italo.* Natus ex Lavinia Latini Regis filia. b) *Silvius.* In ſylvis natus, quò fugerat Lavinia metu Aſcanii poſt mortem

Æneæ. e) *Serum.* Nempe Poſthumum. d) *Quercu.* Coronâ querna ob ſervatos Cives, aliàs Civicâ. e) *Nomentum.* Recenſet variorum oppidorum nomina circa Albam longam. f) *Avo.* Romulus Martis ex Ilia Filius, Numitori avo regnum reſtituet. g) *Aſſaraci.* A quo deductum ſtemma, hinc Capyos, Anchiſæ, Æneæ, illinc Priami. h) *Hujus.* De naſcituro Chriſto Oracula prædixerant, invictum toti orbi Imperatorem naſciturum. Id populi ad Cæſpinum, Mæotidem paludem, & Nilum ad Auguſtum trahebant.

X. Oſtendò porrò Anchiſes Æneæ Romanos Reges post Romulum, Viroſque deinceps, bello, & pace claros. Multa denique de Marcello, Auguſti privigno, ingentis ſpei adoleſcente eidem Auguſto blandiens commemorat. His viſis, & auditis ex inferis redux Æneas in Cajetæ portu conſtitit.

(a) QUis procul ille autem ramis inſignis olivæ
Sacra ferens? noſco crines incanáque menta
Regis Romani; primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis, & paupere terra
Miſſus in imperium magnum. Cui deinde ſubibit,
Otia qui rumpet patriæ, reſidéſque movebit
Tullus in arma viros, & jam deſueta triumphis
Agmina. Quem juxta ſequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis, & Tarquinios reges, animámque ſuperbam
Ultoris Bruti, faſcéſque videre receptos?
Conſulis imperium hic primus, Sævásque ſecures
Accipiet: natóſque pater, nova bella moventis,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infelix. (b) Utcumque ferent ea fata minores;
Vincet amor patriæ, laudúmque immenſa cupido.
Quin Decios, Drusóſque procul, ſævúmque ſecuri
Aſpice Torquatum, & referentem ſigna Camillum.
(c) Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc & dum nocte prementur,
Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ
Attigerint, quantas acies ſtragémque ciebunt!
Aggeribus (d) ſocer Alpinis, atque arce Monœci
Deſcendens, gener adverſis inſtructus Eois.
Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella:
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires,
Túque prior, tu parce; (e) genus qui ducis Olympo:

Proice

Proice tela manu, sanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achivis.
(f) Eruet ille Argos, Agamemnoniásque Mycenas,
Ipsúmque Æacidem, genus armipotentis Achilli;
Ultus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ,
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, (g) Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos duo fulmina belli
Scipiadas, cladem Libyæ (h) parvóque potentem
Fabricium? vel te sulco. Serrane serentem?
Quò fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius æra:
Credo equidem, vivos ducunt de marmore vultus:
Orabunt causas melius, cœlíque meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacíque imponere morem,
Parcere subjectis, & debellare superbos.
Sic pater Anchises, atque hæc mirantibus addit:
Aspice ut insignis spoliis (h) Marcellus opimis
Ingreditur, victórque, viros supereminet omnes
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos, Gallúmque rebellem,
(l) Tertiáque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Æneas; unà námque ire videbat
Egregium forma juvenem, & fulgentibus armis,
Sed frons læta parùm, & dejecto lumina vultu:
Quis pater, ille virum qui sic comitatur euntem:
Filius, áune aliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises, lacrymis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum:
(m) Ostendent terris hunc tantùm fata, nec ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ, Tiberrine videbis

Funus

Funera, cùm tumulum præterlabêre recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet avos, nec Romula quondam
Ullo ſe tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu priſca fides; invictáque bello
Dextera! non illi ſe quisquam impunè tuliſſet
Obvius armato, ſeu cum pedes iret in hoſtem,
Seu ſpumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu miſerande puer! ſi qua fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:
Purpureos ſpargam flores, animámque nepotis
His ſaltem adcumulem donis, & fungar inani
Munere. Sic tota paſſim regione vagantur
Aëris, in campis latis, atque omnia luſtrant.
Quæ poſtquam Anchiſes natum per ſingula duxit,
Incendítque animum famæ venientis amore:
Exin bella viro memorat, quæ deinde gerenda,
Laurentésque docet populus, urbémque Latini,
Et quo quemque modo, fugiatque, ferátque laborem.
Sunt geminæ ſomni portæ: quarum altera fertur
Cornua; qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia Manes.
His ubi tum natum Anchiſes, unáque Sybillam
Proſequitur dictis, portáque emittit eburna.
Ille viam ſecat ad naves, ſociósque reviſit.
Tum ſe ad Cajetæ recto fert litore portum.
Ancora de prora jacitur: ſtant litore puppes.

a) *Quis procul.* Numa curibus Sabinorum urbe poſt Romulum ad regnum vocatus. b) *Uteunque.* Poſteri judicari ſine de facto Bruti, qui Filios ob conſpirationem cum Tarquiniis ſecuri percuſſit. c) *Illæ.* Cæſaris & Pompeji. d) *Socer.* Cæſar, cujus Filia Julia Pompejo nupſerat: cum exercitu è Galliis per alpes, & arcem Monæci ad bellum civile profectus, uti Pompejus. *Eois:* Id eſt Orientalium adxiliis validus. e) *Parce.* Tangit clementiam Cæſaris erga hoſtes. f) *Illæ.* L. Mummius, qui Corinthum delevit. g) *Coſſe.* Qui ſua manu cæſo Larte Tolumnio Veientum rege ſpolia optima retulit. h) *Parvóque.* Abſtinente admodum. i) *Serrane.* Attilii, Serranus priſcæ frugalitatis vir. k) *Marcellus.* Cl. Marcellus, qui domuit Annibalem vinci poſſe. l) *Tertiáque.* Tertius ſpolia opima

ma Jovi Ferretrio suspendit. m) *Ostendat.* Marcellus Augusti ex Octavia Sorore nepos, insignis Juvenis, & haud dubiè avo Successor destinatus præmature mortuus.

Q. HORATII FLACCI ODÆ SELECTÆ.

ODE I.

Alios rebus aliis delectari: se Poësim, ac maximè Lyricam adamare.

MÆcenas atavis edite (a) Regibus,
O & præsidium, & dulce decus meum;
Sunt quos curriculo pulverem (b) Olympum
Collegisse juvat, metáque fervidis
Evitata rotis, palmáque nobilis
Terrarum (c) dominos evehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
(d) Illum, si proprio condidit horreo,
Quicquid de Libycis verritur areis
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, (e) Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria (f)
(g) Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem (h) Icariis fluctibus (i) Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura sui: (k) mox reficit rateis
Quassas, indocilis pauperiem pati.
(l) Est qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
(m) Multos castra juvant, & lituo tubæ
Permistus sonitus, belláque matribus
Detestata. Manet sub Jove frigido

(n) Venā-

(n) Venator, teneræ conjugis immemor,
Seu viſa eſt catulis cerva fidelibus,
Seu rupit tereteis Marſus aper plagas.
(o) Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miſcent ſuperis: me gelidum nemus,
Nympharúmque leves cum Satyris chori
Secernunt populo; ſi neque tibias
(p) Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
(q) Lesboum refugit tendere (r) barbiton.
Quod ſi me Lyricis vatibus inſeres,
(s) Sublimi feriam ſidera vertice.

a) *Regibus.* Fuit Mecœnas ex Hetruſcorum Regum vetuſto ſanguine. b) *Curriculo.* In Græcorum ludis Olympicis, curriculo ad metam ità decurrebatur, ut cum ad hanc veniſſent aurigæ, circa illam flectere curſum deberent, & eò, unde venerant reverti. c) *Terrarum Dominos.* Victores Olympici prope ipſi Dii, qui ſunt terrarum Domini, extollebantur. d) *Illum.* Alium, qui æconomiâ, & frumenti mercatu gaudet, nullo pacto permoveas, ut mari ſe committat. e) *Attalicis.* Vel ſplendidiſſimis. Attalus Pergami Rex ditiſſimus, ut ejus opes in Proverbium abierint. f) *Cypriâ.* Species pro genere. E trabibus in Cyro ſectis fabricatâ. g) *Myrtoum.* Pars eſt Ægei. Et ponitur pro quovis. h) *Icariis.* Mare Icarium pars eſt Ægei. i) *Africum.* Vehemens, & procelloſus ab Affrica ventus. k) *Mercator.* Aſuetus opes navigatione parare, denuò navigat. l) *Eſt.* Alius geniô, vinô, & voluptatibus totas dies indulget, aliàs humi ſub arbore ſtratus, aliàs ad fontem ſacrum. m) *Multos.* Alius militiâ gaudet. n) *Venator.* Qui venatu gaudet, ſub dio manet, cervásque, apros inſectatur. o) *Me.* Ego mihi ſuperis par videor, ſi hederam, quâ coronabantur Poëtæ, mereor. p) *Euterpe.* Tibiarum inventrix. *Polyhymnia.* Odarum, & Hymnorum author. q) *Lesboum.* E Lesbo Inſula oriundi ſunt Alcæus & Sapho, carmine Lyrico inſignes. r) *Barbiton.* Lyræ quoddam genus. s) *Sublimi.* Beatiſſimus mihi videbor.

ODE II.

Clades, quibus Romanos vexarunt ſuperi ob necem Cæſaris: Octavius unus eſt, qui jacentem Rempublicam erigere poſſit.

JAm ſatis terris nivis, atque diræ
Grandinis miſit (a) pater, & rubente

Dex-

Dextera ſacras jaculatus arceis,
(b) Terruit urbem:
Terruit gentes, grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ nova monſtra queſtæ,
Omne cum (c) Proteus pecus egit altos
Viſere montes,
Piſcium & ſummâ genus hæſit ulmo,
Nota quæ ſedes fuerat columbis:
Et ſuperjecto pavidæ natârunt
Æquore damæ.
Vidimus (d) flavum Tiberim (e) retortis
Litore Etruſco violenter undis,
Ire dejectum monumenta regis,
Templáque Veſtæ:
(f) Iliæ dum ſe nimiùm querenti
Jactat (g) ultorem vagus, & ſiniſtra
Labitur ripa, Jove non probante,
Uxorius amnis.
Audiet, civeis acuiſſe ferrum, (h)
Quò graves perſæ meliùs perirent:
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet divûm populus ruentis
Imperi rebus? prece quâ fatigent
(i) Virgines ſanctæ minus audientem
Carmina Veſtam?
Cui dabit partes ſcelus expaindi
Jupiter? tandem venias precamur
Nube candenteis humeros amictus
Augur (*) Apollo.
Sive tu mavis (*) Erycina ridens,
Quem Jocus circumvolat, & Cupido,
(l) Sive neglectum genus, & nepotes
Reſpicis auctor,
Heu nimis longo ſatiare ludo:
Quem juvat clamor, galeæque leves,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hoſtem.

(m) Sive

(m) Sive mutatâ juvenem figurâ
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Majæ, patiens vocari
Cæſaris ultor:
(n) Serus in cœlum redeas, diúque
Lætus interſis populo Quirini:
Neve te noſtris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat: hic magnos potiús triumphos,
Hic ames dici Pater, atque princeps:
Heu ſinas Medos equitare (o) inultos
Te duce Cæſar.

a) *Pater.* Jupiter fulminans. b) *Terruit.* Fecit ut timerent, ne rediret Diluvium Deucalionis, & Pyrrhæ, quæ nova monſtra vidit, piſces in arboribus, &c. c) *Proteus.* Marini pecoris cuſtos. d) *Flavum.* Ob arenas turbidas, quas volvebat. e) *Retortis.* Undas ſuas à mari Tyrrheno retrò Romam adverſo flumine referentem, ut dejiceretur Numæ ſepulchrum, & veſtæ Templum. f) *Iliæ.* Ilia, ſeu Rhea, ſeu Sylvia item dicta Romuli mater, Tyberis uxor fuiſſe dicitur, quia in Tiberi juſſu Amulii ſubmerſa. Ab ea Julius Cæſar originem duxiſſe fingitur. g) *Ultorem.* Cædis ejusdem Cæſaris. h) *Uxorius.* Uxori nimis obſequens, in cujus gratiam Romam deſtruere parabat. i) *Ferrum.* Civilia bella innuit, à Diis ob cæſum Cæſarem immiſſa. k) *Virgines.* Veſtales. Quis Deûm expiabit hoc ſcelus? * *Apollo.* Apollinem divinationum præſidem primò invocat. *) *Erycina.* Venus in Eryce Siciliæ monte culta. An hæc juvabit? l) *Sive* ſeu tu Mars auctor, & parens Romanorum diutino civili bello jam fatiatus. m) *Sive mutatâ* ſeu tu ô Mercuri qui Majæ filius es, exutâ Dei figurâ, quam in Olympo geris, imitaris in terris juvenem Octavium, & ſub ejus figurâ nobis appares, & quod ille facit, Cæſaris interfectores ulciſcaris. n) *Serus.* Mercurium alloquitur, quem ſub Auguſti ſpecie apparere, ingeniosè, & adulatoriè fingit. o) *Inultos.* Parthos intelligit, qui Craſſum paucos ante annos deleverant.

ODE III.

Optat Virgilio Athenas naviganti prosperum iter & vacuum navigationis periculis: hinc invehitur in artis nauticæ inventorem.

Sic te (a) diva potens Cypri,
Sic fratres (b) Helenæ lucida sidera,
Ventorúmque regat (c) pater,
Obstrictis aliis, præter (d) Japygas:
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor:
Et serves animæ dimidium meæ.
(e) Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Comisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristeis (f) Hyadas, nec rabiem Noti:
Quò non arbiter Adriæ
Major, tollere, seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum, (h)
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infameis scopulos Acroceraunia? (i)
Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates dissiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit, per vetitum nefas.
Audax (k) Japèti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem ætheria domo
Subductum, macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotíque priùs tarda necessitas

Lethi (l) corripuit gradum.
Expertus vacuum (m) Dædalus aëra
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt.
(n) Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ: neque
Per noſtrum patimur ſeelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

a] *Diva.* Venus Cypri Domina, quam nautæ invocabant
b] *Helenæ.* Caſtor, & Pollux, qui ignium erraticorum ſpecie ſæpe
in navibus cernuntur. c] *Pater.* Æolus. d] *Japyga.* Japyx Ven
tus eſt ex Apulia flans, opportunus in Græciam navigantibus. e
Illi. Invehitur Poëta in nauticæ inventores. f] *Hyadas.* Stellæ
ſunt pluviosæ admodum. g] *Noti.* Violentiſſimus in Adriatico
ventus h] *Gradum.* Genus mortis. i] *Acroceraunia.* Scopu
li Epiri, naufragiis infames. k] *Japeti.* Promotheus Japeti filius
è curru ſolis ignem tædâ furatus. l] *Corripiuntur.* Jam citius mo
riuntur homines. m] *Dædalus.* Aërem, Inferos Her.ules pene
travit. n] *Cœlum.* Ut olim gigantes ità nos ſceleribus noſtris.

ODE IV.

Seſtium hortatur, ut genio indulgeat, propoſito veris amœnitate. moriendi communi neceſſitate.

SOlvitur acris hyems, grata (a) vice veris & Favoni:
(b) Trahúntque ſiccas machinæ Carinas:
Ac neque jam (c) ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni:
(d) Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea cohors ducit Venus imminente (e) Luna:
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graveis Cyclopum
Vulcanus ardens urit offidum graveis Cyclopum
Nunc decet aut viridi nitidum caput
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.
Nunc & in umbroſis (f) Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agna, ſive malit hædo.
Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regúmque turreis, ô beate Sexti,

Vitæ ſumma brevis ſpem] nos vetat inchoare longam,
Jam te premet nox, fabulæque Manes,
Et domus exilis Plautonia, quo ſimul meâris,
Non (g) regna vini ſortiere talis.

a] *Vice* Grata viciſſitudine. *Favonii.* Zephyri. b] *Trabéntque.* Naves, quæ hyeme in ſiccum deductæ fuerunt, jam in Mare aguntur. c] *Stabulis.* In paſcua educitur. d] *Cytheræa.* Venus in Cytherea Inſula culta. e] *Lunâ.* Noctu f] *Fauno.* Agreſti Deo Agnâ, vel hædo ſacrificabatur. g] *Non regna.* Romani eandem in Conviviis velut Regem, & moderatorem, ídque talorum jactu eligebant.

ODE V.

Tiburtinum agrum commendat, ubi Plancus villam habebat amæniſſimam, in quam cùm ſe ab Anguſto negligi ratus ſeceſſiſſet, eum Horatius ſolabatur.

Laudabunt alii claram (a) Rhodon, Mitylenen:
Aut Epheſum, bimarisve Corynthi
Mœnia, vel Bacho Thebas, vel Apoline Delphos
Inſigneis, aut Theſſalla Tempe.
Sunt quibus unum opus eſt, intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Undique decerptæ frondi præponere olivam.
Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicit equis Agros, direísque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon, (b)
Nec tam (c) Lariſſæ (d) percuſſit campus opimæ,
Quam domus (e) Albuneæ reſonantis,
Et præceps (f) Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.
(g) Albus ut obſcuro detergit nubila cœlo
Sæpé Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam, vitæque labores
Molli, Plance, mero; ſeu de fulgentia ſignis
(h) Caſtra tenent, ſeu denſa tenebit

Tiburis umbra tui (i) Teucer Salamina, patrémque
Cùm fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora (k) populeâ fertur vinxiſſe coronâ,
Sic triſteis affatus amicos:
Quò noscunque feret (l) melior fortuna parente,
Ibimus ô ſocii, comitéſque;
Nil deſperandum Teucro duce, & auſpice Teucro.
Certus enim promiſit Apollo,
Ambiguam tellure novâ (m) Salamina futuram.
O fortes, pejoráque paſſi
Mecum ſæpè viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens (n) iterabimus æquor.

a] *Rhodon.* Enumerat urbes claras, ſitúque, & deliciis inclytas, ut *Mytilenen.* Lesbi inſulæ, *Epheſum.* Aſiæ minoris. *Corinthum* inter duo maria in Iſtmo ſitam. *Thebas* Bacchо, *Delphos* Apollini ſacros. *Tempe.* Vallem Theſſaliæ amœniſſimam. *Athenas* Palladi ſacram urbem. Ubi Poëtæ olivâ, Palladi ſacra coronabantur. *Argos*, ubi generoſi equi. *Mycænas* Agamemnonis regnum. b] *Lacedæmon.* cujus omnium laborum patientiam inſtituebatur. c] *Lariſſæ.* Patria Achillis, urbs Theſſaliæ pulcherrima. d] *Percuſſit.* Delectavit, movit. e] *Albuneæ.* Nomen fontis, & Sylvæ prope Anienem. f] *Anio.* Nomen agri Tiburni, prope quem Tiburni locus. g] *Albus.* Cœlum candidum, ſerenum efficiens. h] *Caſtra.* Seu domi agat, ſeu militiæ. *Teucer.* Telamonis filius Ajacis frater, ab obſidione Trojana rediit dux, à Patre, & Patria Salamina excluſus. Cyprum petiit, urbemque ibi condidit, item Salamina dictam. k] *Populea.* Populus arbor Herculi ſacra. i] *Melior.* Amicior & æquior, quàm pater, à quo pellor. m] *Salamina.* Patriæ urbi cognominem. n. *Iterabimus.*

ODE VI.

Hyeme eſſe indulgendum genio.

VIdes, ut alta ſtet nive candidum
(a) Soracte: nec jam ſuſtineant onus
Silvæ laborantes: geliſque
Flumina conſtiterint acuto.
Diſſolve frigus, ligna ſuper foco
Larga reponens: atque benignius

Depro

prome (b) quadrimum (c) Sabinâ
Thaliarche (d) merum (e) Diotâ.
Permitte divis cætera (f) qui simul
Stravêre ventos æquore fervido
Deprœlianteis, nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quærere: & quem (g) fors dierum cunque dabit, lucro
Appone, nec dulceis camænas
Sperne puer, neque tu choreas.
Donec virenti canities abest
Morosa: nunc & campus, (h) & arcæ,
Lenesque sub noctem (i) susurri
Composita repetantur horâ.

a] *Soracte.* Mons est non procul Roma, hodie S. Sylvestri. b] *Quadrimum.* Vinum 4. annorum. c] *Sabina.* Vasa fictilia apud Sabinos fiebant. d] *Thaliarche.* Nomen pocilatoris. e] *Diota.* Vas duarum aurium, seu ansarum. f] *Qui simul.* Qui statim, ac composuêre ventos, ne folium quidem in arbore ulla movetur. g] *Fors.* Sors, fortuna. h] *Arcæ.* Urbis plateæ. i] *Susurri.* Confabulationes vespertinæ.

ODE VII.

Laudes Mercurii.

Mercuri facunde (a) Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentûm
(b) Voce formâsti catus, & decoræ
More (c) palestræ:
Te canam magni Jovis, & Deorum
Nuntium, curvæque lyræ parentem?
Callidum, quidquid placuit, jocoso
Condere furto.
Te (d) boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetrâ
Risit Apollo.
Quin & (e) Atridas duce te superbos
(f) Ilio dives Priamus relicto,

Theſſalósque igneis, & iniqua Trojæ
Caſtra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus: (g) virgáque levem coerces
Aureâ turbam, ſuperis Deorum
Gratus, & imis.

a) *Atlantis.* Fuit Filius Majæ Atlantis Filiæ. b) *Voce.* Eloquentiæ arte. c) *Palæſtra.* Velut in ludo. d) *Boves.* Ex cœlo Apollo cum Admeti oves paſceret, ac ob boves furto ſurrep acrioribus verbis reprehendiſſet Mercurium, cùm ſe pharetra i & agitiis priva um vidiſſet, riſit. e) *Atridæ.* Menelaum, Agame nonem Atrei filios. f) *Ilio.* Priamus Mercurio Duce, bula tectus per media Græcorum caſtra ad Achillis tentorium pe trans, corpus Hectoris filii precibus obtinuit. g) *Virgâ.* Ca ceo.

ODE VIII.

Priſcos Heroas maximè Romanos laudat, Q bus Cæſarem Auguſtum anteponit.

QUem virum, aut heroa lyrâ, vel (a) acri
Tibiâ, ſumes celebrare Clio?
Quem Deum? cujus retinet (c) jocoſa
Nomen imago.
Aut in umbroſis (d) Heliconis oris,
Aut ſuper Pindo gelidóve in Hæmo?
(d) Unde vocalem temere inſecutæ
Orphea ſilvæ,
Arte (e) materna rapidos morantem
Fluminum lapſus, celerêsque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid priùs dicam ſolitis (f) parentis
Laudibus: qui res hominum, ac Deorum,
Qui mare, & terras, variíſque mundum
Temperat horis?
(g) Unde nil majus generatur ipſo:
Nec viget quicquam ſimile, aut ſecundum:

Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.
Prælius audax neque te silebo
Liber, (b) & sævis inimica Virgo
Belluis: (i) nec te metuende certâ
Phœbe sagitta.
Dicam & (k) Alciden, puerósque (l) Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul (m) alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor:
Concidunt venti, fugiúntque nubes:
Et minax (sic Dii volúêre) ponto
Unda recumbit.
Romulum post hos priùs, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fascis, dubito, an Catonis
Nobile lethum?
Regulum, & Scauros, animæque magnæ
Prodigum (n) Paullum superante Pœno,
Gratus insigni referam camœna,
Fabriciúmque:
Hunc, & incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit, & Camillum
Sæva paupertas, & avitus opto
Cum lare fundus.
Crescit occultos velut arbor ævo
Fama (o) Marcelli micat inter omneis
(p) Julium sidus, velut inter igneis
Luna minores.
Gentis humanæ (q) pater, atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæsaris fatis data: tu secundo (r)
Cæsare regnes.
Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oræ
Seras, & Indos:
Te minor latum reget æquus orbem:

Tu gravi curru quaties Olympum:
Tu parùm caſtis inimica mittes
Fulmina lucis.

a] *Aeri.* Cujus tonus eſt acutior. b] *Jocoſa imago.* Echo, quaſi ludibunda vocis imago. c] *Heliconis.* Montes ſunt Muſis ſacri. d] *Unde.* Quo ex Hæmo ſuaviter canentem Orpheum Sylvæ ſunt ſecutæ. e] *Materna.* Fuit filius Calliopes. f] *Parentis.* Jovis; à cujus laudibus incipiebant Poëtæ. g] *Unde.* Ex quo Jove nata eſt Pallas. h] *Liber.* Bacchus uſque ad Indias victor. i] *Ledæ.* Caſtorem, & Pollucem, m] *Alba.* Ignes fatui, qui navibus adhærean malaciam, & ſerenitatem portendunt. a] *Paullum.* Qui ad Canis oppetere maluit, quàm fugere. o] *Marcelli.* Ejus familiæ. p] *Julium.* Cæſarem ſignificat, ſub cujus mortem apparuit in Cœlo ſtella crinita. q] *Patrem.* Jovem pro Cæſare invocat. r] *Secundo.* Secundum à te locum habeat.

ODE IX.

Sub Allegoria navis Rempubl. alloquitur, eámque à bello civili reparando deterret.

O Navis: referent in mare te novi
(a) Fluctus ô quid agis? fortiter occupa
Portum; nûnne vides, ut
(b) Nudum remigio latus,
Et malus celeri ſaucius Africo,
Antennæque gemant, ac ſinè funibus
Vix durare carinæ
Poſſint (c) imperioſius
Æquor? non tibi ſunt integra lintea:
Non Dii (d) quos iterum preſſa voces malo:
Quamvis (e) Pontica pinus,
Silvæ filia nobilis
Jactes, & genus, & nomen inutile:
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit; tu, niſi ventis
Debes ludibrium, cave.
(f) Nuper ſollicitum quæ mihi tædium,
Nunc deſiderium, curáque non levis,
Interfuſa nitenteis
Vites æquora Cycladas.

a) *Fluctus*. Nova bella civilia, cæſis jam Bruto, & Caſſio. b) *Nudum*. Deſtituti eſtis militibus, ut remigibus navis. c) *Imperioſius*. Majorem vim perferre non poteſtis, ità fracta ſunt omnia. d) *Non Dii*. Duces exercituum, & Principes intelligit, qui omnes ſublati ſunt. e) *Pontica*. In Ponto optimæ erant pro navigiis arbores. Senſus eſt: quamvis ſis optima navis, nihil tamen contra vim Auguſti efficies. f) *Nuper*. O Roma, quæ mihi partes Pompeji contra Auguſtum ſecuro tædio eras, nunc mihi curæ es, ne iterum in ſcopulos eosdem incidas.

ODE X.

Vino exhilarari animum, eo tamen moderatè utendum.

NUllam, Vare (a) ſacra vite priùs ſeveris arborem (b)
Circa mite ſolum Tiburis, & mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus propoſuit: neque
Mordaces (c) aliter diffugiunt ſollicitudines.
Quis poſt (d) vina gravem militiam, aut pauperiem crepat:
Quis non te potiùs Bacche, pater téque decens Venus?
At, ne quis modici (e) tranſiliat munera Liberi,
Centaurea (f) monet cum Lapithis rixa ſuper mero?
Debellata: monet (g) Sithoniis non levis (h) Evius:
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Diſcernunt avidi. Non ego te candide (i) Baſſareu
Invitum quatiam. (k) Nec variis (l) obſita frondibus
Sub divm rapiam, ſæva (m) tene cum Berecynthio
Cornu tympana: quæ ſubſequitur cæcus amor ſui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcaníque fides prodiga, perlucidior vitro.

a) *Sacra*. Baccho conſecrata. b) *Catili*. Oppidum propè Tibur. c) *Aliter*. Quàm vino. d) *Poſt vina*. Conqueritur de ſuis malis. e) *Tranſiliat*. Immoderatè vino utatur. f) *Centaurea*. Temulentum, & ſanguinolentum Lapitharum, & Centaurorum convivium, in Pirithoi nuptiis admonet. g) *Sithoniis*. Traciæ populis. h) *Evius*. Cognomen Bacchi. i) *Baſſareu*. Baſſareus item Bacchi cognomen. k) *Quatiam*. Tumultuabor. l) *Obſita*. Nec arcana tua myſteria in apertum proferam. m) *Tene*. Cohibe me ab ebrietate, quam ſequitur amor ſui, vana gloria, arcani proditio.

ODE XI.

Vir probus ubique tutus.

INteger vitæ, ſceleriſque purus
Non eget (a) Mauri jaculis, neque arcu:
Nec venenatis gravida ſagittis
(b) Fuſce, pharetra;
Sive per (c) Syrteis iter æſtuoſas,
Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus (d)
Lambit Hydaſpes.
Namque me ſilvâ lupus in Sabina,
Dum ſequor calles dubios, & ultra
(e) Terminum, curis vagor expeditus,
Fugit inermem;
Quale (f) portentum neque militaris
Daunia in latis alit eſculetis,
Nec (g) Jubæ tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me, (h) pigris ubi nulla campis
Arbor æſtivâ recreatur aurâ,
Quod latus mundi nebulæ, malúsque
Jupiter urget:
Pone (i) ſub curru nimiùm propinqui
Solis, in terra domibus negata;
Sola me virtus dabit uſque tutum,
Sola beatum.

a) *Mauri.* Maurorum jaculis. Ubique inermis eſſe poteſt. b) *Fuſce.* Scribit ad Ariſtium Fuſcum amicum. c) *Syrtes.* Quocunque terrarum eas. d) *Fabuloſum.* De hoc Indiæ fluvio multa fabulæ narrantur. e) *Terminum.* Solitæ ambulationes. f) *Portentum.* Qualem lupum nec Daunia, quæ eſt Apuliæ Pars, in querneis ſuis ſylvis alit. g) *Jubæ.* Africæ, ubi Jubæ regnum. h) *Pigris.* Sim in regione frigida, ubi ne levis quidem aura calidior aſpiret. i) *Sub curru.* Sive ſim in Zona torrida, ubi ob calores nullæ domus.

ODE

ODE XII.

Virgilium de Quintilii Vari morte mœſtum ſolatur.

QUis deſiderio ſit pudor, aut modus (a)
Tam clari capitis? (b) præcipe lugubres
Cantus, Melpomene: cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Urget? cui pudor, & juſtitiæ ſoror
Incorrupta fides, nudâque veritas,
Quando ullum invenient parem?
Multis ille bonis flebilis occîdit:
Nulli flebilior, quàm tibi Virgili.
Tu fruſtra pius, heu! non ita (c) creditum
Poſcis Quintilium Deos.
Quod ſi (d) Trejicio blandius Orpheo
Auditam moderêrę, arboribus fidem:
Non vanæ redeat ſanguis imagini,
Quam virgâ ſemel horridâ
(e) Non lenis precibus fata recludere,
Nigro (f) compulerit Mercurius gregi.
Durum, ſed levius fit patientiâ,
Quidquid corrigere eſt neſas.

a) *Modus.* Deflendi tam cari capitis. b) *Præcipe.* Doce me ô Muſa, cui Jupiter tam ſonoram vocem dedit. c) *Creditum.* Non ità ſibi à Diis conceſſum, ut nunquam repeteretur, vel moveretur. d) *Trejicio.* Si ſuavius Thracio Orpheo caneres, quem arbores aublebant. e) *Non lenis.* Nam exorabilis, ut recludat, ſolvàtve, quod ſatorum decreto clauſum. f) *Compulerit.* Addiderit.

ODE XIII.

Poëta ad Apollinem preces.

QUid (a) dedicatum poſcit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum

Fun-

Fundens (b) liquorem? non opimas
(c) Sardaniæ ſegetes feracis,
Non æſtuoſæ grata Calabriæ
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum,
Non aura, quæ (e) Liris quietâ
Mordet aquâ taciturnus amnis.
Premant (f) Calena falce, quibus dedit
Fortuna vitem; dives & aureis
Mercator exſiccet cululis (g)
Vina, Syra reparata merce,
Diis charus ipſis; puppe ter, & quater
Anno reviſens æquor Atlanticum
Impune, Me paſcant olivæ
Me cichorea, levésque malvæ.
Frui paratis, & valido mihi
(h) Latoe dones, & precor, integrâ
Cum mente; nec turpem ſenectam
Degere, (i) nec citharâ carentem.

a) *Dedicatum.* Statuam conſecratam. b) *Liquorem.* Vinum ſacrificantes ad aras effundebant. c) *Sardiniæ.* Regio eſt admodum frumentifera. d) *Calabriæ.* Paſcuorum ferax eſt. e) *Liris.* Campaniæ fluvius. f) *Calenâ* Optimæ notæ vinum. g) *Cululis.* Cyathis. h) *Latoe.* Apollo Latoæ filius. i) *Nec Cytharâ.* In qua Lyricis verſibus facundis me Poſſim oblectare.

ODE XIV.

Lyram ſuam alloquitur, & laudat.

(a) POſcimus, ſi quid vacui ſub umbra
Luſimus tecum, quod & hunc in annum
Vivat, & plureis: age dic Latinum
Barbite carmen,
(b) Lesbio primum (c) modulate civi,
(d) Qui ferox bello tamen inter arma,
Sive jactatam religârat udo
Litore navim:
Liberum, & Muſas, Venerémque, & illi
Semper hærentem puerum canebat,

Et

Et (e) Lycum nigris oculis, nigróque
Crine decorum.
O decus Phœbi, & dapibus ſupremi
Grata teſtudo Jovis, ô laborum
Dulce lenimen, mihi (f) cunque ſalve
Ritè vocanti.

a) *Et cimus.* Peto à te Barbite, ſi unquam, nunc Latinum carmen in hunc, & plures annos victurum cane. b) *Lesbio.* Alcæo Lyrico. c) *Modulate.* Tu Barbite, qui modulatus es primùm Alcæo. d) *Qui feroc.* Qui ſive militiæ eſſet, ſeu poſt longam navigationem, Venerem, Cupidinem, Bacchum verſibus celebrabat. e) *Et Lycum.* Alcæi amicum. f) *Cunque.* Quandocunque, ubicunque, mihi adeſto.

ODE XV.

Impietatem ſuam priſtinam deteſtatur.

PAreus Deorum cultor, & infrequens,
(a) Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. Namque (b) Dieſpiter
Igni corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum:
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo (c) Styx, & inviſi horrida Tenari
Sedes, Atlanteúsque finis
Concutitur. (d) Valet imma ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens, (e) hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit: hic poſuiſſe gaudet.

a) *Inſanientis.* Philoſophiæ Epicuræ Sectator, quæ cùm à Diis humana curari neget, eos parùm colebat. b) *Dieſpiter.* Jupiter, qui aliàs nubilo cœlo tonat, jam ſæpè puro, & ſereno cœlo tonuit, quod pro ſiniſtro omine erat antiquis. c) *Styx.* Quo tonitru totus mundus contremiſcit. d) *Valet.* Eſt aliquis Deus, qui poteſt premere magnos, & humiles attollere. e) *Hinc api-*

cem.

cem. Ex hoc regno, hac domo apicem, ſeu opes, dignitatem auffert fortuna, & aliò transfert.

ODE XVI.

Preces ad Fortunam pro Cæſare ad bellum Britannicum proficiſcente.

O Diva, gratum quæ Regis Antium, (a)
Præſens (b) vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos:
Me pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus: te Dominam æquoris,
Quicunque (c) Bithynâ laceſſit
(d) Carpathium pelagus carinâ:
Te Dacus aſper, te profugi Scythæ,
Urbésque, gentésque, & Latium ferox,
Regúmque matres Barbatorum: &
(e) Purpurei metuunt tyranni;
Injurioſo ne pede proruàs
Stantem (f) columnam: neu populus frequens
Ad arma ceſſanteis (g) ad arma
Concitet, imperiúmque frangat.
Te ſemper anteit ſæva (h) neceſſitas,
(i) Clavos trabaleis, & cuneos manu
Geſtans ahenâ: nec ſeverus
Uncus abeſt, liquidúmque plumbum.
(k) Te ſpes, & (l) albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
(m) Utcunque (n) mutatâ potenteis
Veſte domos inimica linquis.
(o) At vulgus infidum, & meretrix retro
Perjura cedit. Diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis amici,
Ferre (p) jugum pariter doloſi.
Serves iterum Cæſarem in ultimos
Orbis Britannos, (q) & juvenum recens
Examen (r) Eois timendum
Partibus, Oceanóque rubro.

(a) Eheu

(s) Eheu! cicatricum, & ſceleris pudet,
Fratrúmque. (t) Quid nos dura refugimus
Ætas? quid intactum neſaſti
Liquimus? unde manus juventus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ô utnam novâ
Incude (u) diffingas retuſum in
Maſſagetas, Arabásque ferrum.

a] *Antium.* Urbs maritima Latii, ubi celeberrimum fortunæ Templum. b] *Præſens.* Potens. c] *Bithinâ.* Mercatoris Bithyni, pro qualibet navi. d] *Carpathium.* Mare pro quolibet. e] *Purpureis.* Purpurâ veſtiti. f] *Columnam.* Imperium inſtar columnæ firmum. g] *Ceſſantes.* Ne ſeditio ulla oriatur. h] *Neceſſitas.* Neceſſarium fortunæ parêre, nec ejus imperium excuti poteſt. i] *Clavos, &c.* Ita Antii depicta erat fortuna ad ejus vim ineluctabilem exprimendam. k] *Te ſpes.* Spes fortunæ additur, quæ etiam miſeris manet, at amicorum rara in adverſis fides. l] *Albo.* Candido in veſtitu comitatur. m] *Utcunque.* Quandocunque n] *Mutatâ.* Per fortunam nigris indutam, abeuntem, avolantem, adverſa; per albatam, & manentem ſecunda ſignificatur. o] *At vulgus.* Quod Quod ſolam utilitatem ſpectat, cum ſiccatis vini cadis nil ſupereſſe videt. p] *Jugum.* Bonarum rerum, non item malarum ſocii eſſe volunt, & participes. q] *Juvenum.* Exercitum è recenti juventute collectum. r] *Eois.* Orientalibus, & Arabibus maris rubri accolis, quibus Cæſar triennio poſt bellum intulit. s] Ex occaſione Britannici quod laudat, ingreditur ad deflendum civile. t] *Quid nos?* Quod ſceleris non ſuſceptum? u] *Diffingas.* Recudas ferrum fraternis cædibus hebetatum contra externos hoſtes.

ODE XVII.

Plautio Numidæ felicem ex Hiſpania reditum gratulatur.

ET thure, & [a] fidibus juvat
Placare, & vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidæ Deos:
Qui nunc [b] Heſperia ſoſpes ab ultima
Caris multa ſodalibus,
Nulli plura tamen diviſit oſcula,

Quam

Quam dulci Lamiæ, memor
Actæ non alio [c] rege puericæ,
Mutatæque ſimul togæ. [d]
[e] Creſcâ ne careat pulchra dies notâ:
Neu promptæ [f] modus amphoræ,
Neu morem in [g] Salium ſit requies pedum;
Neu multi [h] Damalis meri
[i] Baſſum Threicia vincat amyſtide;
Neu deſint epulis roſæ:
Neu vivax apium, neu breve lilium.

a] *Fidibus.* Carminibus Lyricis. b] *Heſperiæ.* Hiſpaniæ. c] *Rege.* Sub eodem moderatore, & quaſi Rege condiſcipulus fuit Lamiæ Plotius. d] *Togæ.* Simul prætextam poſuêre. e] *Creſſa.* Cretenſi, id eſt Cretâ, vel albo lapillo. f] *Modus.* Bibatur ſinè modo largè. g] *Salium.* Salii, Matris in honorem certis diebus ſaltabant. h] *Damalis.* Ebriola mulier. i] *Baſſum.* Egregium potorem, Thracio ingenti populo exhauriendo parem.

ODE XVIII.

Ob victoriam Actiacam Genio indulgendum.

NUnc eſt bibendum: nunc pede libero
Pulſanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare [a] pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, ſodales.
[b] Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis, dum [c] Capitolio
[d] Regina dementeis ruinas,
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege [e] turpium
Morbo virorum [f] quidlibet impotens
Sperare, fortunâque dulci
Ebria. Sed [g] minuit furorem
Vix una ſoſpes navis ab ignibus:
Mentémque lymphatam [h] Mareotico
Redegit in veros timores
Cæſar, ab Italia volantem
Remis [i] adurgens, accipiter velut
Molleis columbas, aut leporem citus

Ve

Venator in campis nivalis
[k] Æmoniæ, daret ut catenis
Fatale monſtrum: quæ generoſius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavi enſem, nec [l] latenteis
Claſſe cita reparavit oras.
Auſa & jacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpenteis, ut atrum
Corpore combiberet venenum
Deliberata morte ferocior:
Sævis [m] Liburnis ſcilicet invidens
Privata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

a] *Pulvinar.* Poſt victoriam Romani Diis lectulos ſtruebant in Templis, & epulas apponebant. b] *Antehac.* Non conveniebat generoſius vinum ex avorum cellis promere. c] *Capitolio* Romæ. d] *Regina.* Cleopatra. e) *Turpium.* Fœdis morbis laborantium. Eunuch rum. f] *Quidlib i.* Adeo vecors ut ſperaret ſe poſſe Rom. Imperium evertere. g] *Minuit.* Fermè omnes Antonii, & Cleopatræ naves Actiaco prælio combuſtæ. i] *Adurgent.* Celerrimè inſequens. k] *Æmoniæ.* Theſſaliæ ab rege Æmone. l] *Latentes.* Ægypti receſſus, & urbes interriores. m] *Sævis Liburnis.* Senſus eſt: invidens hanc Cæſari gloriam, ut in Liburnicis navibus tamquam privata ad triumphum abduceretur.

ODE XIX.

Tenui ſe apparatu gaudere.

[a] PErſicos odi, puer, apparatus:
Diſplicent nexæ [b] philyrâ coronæ:
Mitte ſectari, roſa quo locorum
Sera moretur.
Simplici [c] myrto nihil allabores
Sedulus curo. Neque te miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me ſub [d] arcta
Vite bibentem.

a] *Perſicos.* Convivia magnifica, odores, unguenta, &c, Perſis uſitata. b] *Philyrâ.* Philyra eſt interior, ac tenuiſſimus *Rhus.*

cortex tiliæ, qui floribus ſerto innectendis ſervicbat. e] *Myrto.* Myrtus. Huic nihil addere labora. d] *Arcta.* Denſa, umbroſa.

ODE XX.

C. Aſinium Pollionem monet, ne belli civilis hiſtoriam vel Tragœdiam ſcribat. In Rempubl. potius incumbat. Deſcribit belli civilis mala.

MOtum ex (a) Metello conſule civicum,
Bellique cauſas, & vicia, & modos,
Ludúmque fortunæ, graveſque
(b) Principum amicitias, & arma
Nondum expiatis (c) uncta cruoribus,
Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per igneis
Suppoſitos cineri doloſo.
(d) Paulum ſeveræ Muſa tragœdiæ
Dedit theatris: mox ubi (e) publicas
Res ordinâris, (f) grande munus
(g) Cecropio repetes cothurno,
Inſigne mœſtis præſidium reis,
Et conſulenti, Pollio, curiæ:
Cui (h) laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho;
(i) Jam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringit aures: jam litui ſtrepunt:
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitúmque vultus.
Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere ſordidos,
Et cuncta terrarum ſubacta,
Præter atrocem animum (k) Catonis.
(l) Juno & Deorum quiſquis amicior
Afris, inulta ceſſerat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ.
Quis non Latino ſanguine pinguior
Campus ſepulchris impia prælta

Teſta-

Teſtatur : auditúmque (m) Medis
Heſperiæ ſonitum ruinæ ;
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli ; quod mare (n) Danniæ
Non decoloravere cædes ?
Quæ caret ora cruore noſtro ?
Sed ne, relictis Muſa procax jocis,
(o) Ceæ retractes munera næniæ,
Mecum (p) Dionæo ſub antro
Quære modos (q) leviore plectro.

a] *Metello.* Belli civilis initium illud eſt, quo Cæſar Pompeius, Craſſus primum Triumviratum inter ſe coivêre, quod factum eſt A. U. C. 694. Q. Cæcilio Metello Celere Conſ. decem annis antequam Cæſar Rubiconem tranſiret. b] *Principum.* Horum Trium virorum. c] *Uncia.* Adhuc ſtillantia civium cruore. d] *Paulum.* Omitte paululum res adeò tragicas ſcenæ committere. Erat enim Pollio, Poëta optimus. e] *Publicas.* Conſulatum erat Pollio. f] *Grande munus.* Tragœdiæ faciendæ g] *Cecropio.* Athenienſes à Rege Cecrope. Athenis maximè tragœdia viguit, hujus actores cothurno calceamenti genere utebantur. h] *Lauvus.* Triumphaverat de Dalmatis Pollio. i] *Jam nunc.* Laudat Horatius Pollionis de bello civili carmina tam graphicè ſcripta, ut in iis res ipſe cerni, & audiri, non narrari viderentur. k) *Catonis.* Qui ſibi Uticæ manus intulit, victis in Africa Pompejanis. l) *Juno,* Senſus eſt Strophæ : Juno Afris ſemper addicta, aliique his amiciores Dii, qui illatas bello Jugurthino clades fato ulciſci non poterant, nunc illorum poſteros, qui Jugurtham vicerant, tamquam victimas placandis illius manibus immolâruntatqi Romanis pœnas retulêre. m) *Medis.* Clades, & ruinas Reipublicæ fama ad extrema terrarum diſtulit. n) *Dauniæ.* Italiæ ab ejus olim Rege Dauno. o) *Ceæ.* Simonides Lyricus in Cea Inſula natus maximè excelluit næniis ſeu verſibus lugubribus ad funera canendis. p) *Dionæo.* Venus etiam dicta eſt Dionæa. q) *Leviore.* Leviora argumenta & jucundiora ſummenda.

ODE XXI

Contemptus pecuniæ, laus liberalitatis.

(a) Nullus argumento (b) color eſt, avaris
Abdito terris, inimice (c) lamnæ

[d] Criſpe Salluſti, niſi temperato
Splendeat uſu.
Vivet [e] extento [f] Proculejus ævo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget pennâ [g] metuente ſolvi
Fama ſuperſtes,
Latiùs [h] regnos avidum domando
Spiritum, quam ſi [i] Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni
Creſcit indulgens ſibi dirus (k) hydrops:
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.
(l) Redditum Cyri ſolio (m) Phraaten
Diſſidens plebi numero beatorum
Eximit virtus: populúmque falſis
Dedocet uti
Vocibus (n) regnum, & diadema tutum
Deferens uni, propriámque laurum,
Quiſquis ingenteis oculo irretorto
Spectat acervos.

a) *Nullus.* Strophæ ſenſus eſt: O Criſpe ſaluſti, qui es inimicus Lamnæ abditæ in avaris terris, argento nullus Collor eſt, niſi uſu, & expenſis moderatis ſplendeat. b) *Color.* Dignitas. Nihil juvat pecunia, ni utaris. c) *Abdita Lamina*, Laminæ argenti in terram defoſſæ, quod ab avaris fit. d) *Criſpe Salluſti.* Nepos, & hæres hujus nominis Hiſtorici, vir ſummis opibus, & modeſtiâ. e) *Extenta.* Immortalitatis erit fama Proculei. f) *Proculei.* Fuit is Eques Romanus, qui amplam hæreditatem cum fratribus bello civili everſis ultro diviſit. g) *Metuente, ſolvi.* Semper volante, & vigente. h) *Regnos* Rex eſt, qui ſibi imperat. i) *Lybiam.* Quam ſi Africæ, & Hiſpaniæ imperes. k) *Hydrops.* Avaritia & habendi cupiditas. l) *Redditum.* Ordo eſt: virtus diſſidens plebi eximit numero beatorum Phraantem reditum Cyri ſolio. Senſus eſt. Homines virtute præditi ab ſtollida vulgi opinione diſſidentes excerpunt è numero beatorum, nec ideo ſelicem putant Phraatem, quòd in ſolium Perſicum, olim Cyro poſeſſum ſit reſtitutus. m) *Phraaten.* Hic ob crudelitatem à ſuis Parthis pulſus ſubſtituto Tyritate, Poſtea tamen Scytharum ope regno reſtitutus fuit. a) *Regnum.* Sapien-tes

tes viri regnum, coronam, lauram ei deferunt, qui magnos auri acervos ita prætereundo aſpiciat, ut nec oculos retorquear, nullâque cupiditate commoveatur.

ODE XXII.

Mentis æquabilitas ubique ſervanda. Mortis neceſſitas.

(a) ÆQuam memento rebus in arduis
Servare mentem: non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, moriture (b) Delli
(c) Seu mœſtus omni tempore vixeris?
Seu te in remoto gramine per dies
Feſtos reclinatum bearis
Interiore nota (d) Falerni.
(e) Qua pinus ingens, albáque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, qua obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo:
(f) Huc vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amœnæ ferre jube roſæ:
Dum res, & ætas, & ſororum
(g) Filia trium patiuntur atra.
(h) Cedes coëmtis ſaltibus, & domo,
Villáque, flavus (i) quam Tiberis lavit,
Cedes & exſtructis in altum
Divitiis potietur hæres.
(k) Divéſne priſco natus ab Inacho
Nil intereſt, an pauper, an infima
De gente ſub dio moreris
Victima nil miſerantis Orci.
Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna: ſerius, ocyus,
(l) Sors exitura: & nos in æternum
Exilium impoſitura cymba.

a) *Æquam.* Eandem mentem ſervato in aſperis rebus moderatam, & æquabilem, ut in ſecundis ab inſolente lætitia temperatam. b) *Delli.* Dellius fuit inſignis hiſtoricus, Orator. c) *Seu Mœſtus.* Senſus eſt: ſeu triſtis, ſeu ſemper jucundus vixeris, moriêris. d) *Falerni.* Meliore vino te exhilarâris. e) *Qua Pinus*

Pinus. In delicijs villæ tuæ, vel horti umbroſi, & irrigui f) *Hue vina.* Indulge genio. g) *Filia* Dum vivis. h) *Cedes.* Cedendum erit bonis his omnibus. i) *Flavus.* Lutulentus. k) *Divéſne.* Seu nobilis fuerit, & ab ipſo Inacho genus ducens, ſeu ſub dio pauper. orcum ſubibis. l) *Sors* Cum tres inferni Judices urnam fatalem movent, iis ſtatim moriendum eſt, quorum nomina prima educta fuerint.

ODE XXIII

Tiburtinæ, & Tarentinæ regionis amœnitatem commendat.

(a) SEptimi Gadeis aditure mecum, &
(b) Cantabrum indoctum juga ferre noſtra, &
(c) Barbaras Syrteis, ubi Maura ſemper
Æſtuat unda,
(d) Tibur Argeo poſitum colono
Sit meæ ſedes utinam ſenectæ:
Sit modus laſſo maris, & viarum,
Militiæque
(e) Unde ſi parcæ prohibent iniquæ,
Dulcæ pellitis ovibus Galeſi
Flumen, & regnata petam (f) Laconi
Rura Phalantho.
Ille terrarum mihi præter omneis
Angulus ridet, ubi non (g) Hymetto
Mella decedunt, viridíque certas
Bacca Venafro. (h)
Ver ubi longum, tepidáſque præbet
Jupiter Brumas: & amicus Aulon (i)
Fertilis Baccho (k) minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Poſtulant arces: ubi tu calentem (l)
Debita ſparges lachryma favillam
Vatis amici.

a) *Septimi.* Fuit Septimius Eques Rom. Bonus Poeta, Auguſto, & Horatio charus; & tum cum Auguſto A. U. C. 728. ad bellum Cantabricum in Hiſpaniam abiturus. b) *Cantabrum.* Nunc

Nunc Biſcaya. Ultimi á Romanis domiti A. U. C. 741. [c] *Barbaras.* Mauritanicas. d] *Tiburi.* Ab Argivo quodam conditum fertur. e] *Unde.* Si fata nolint, Tiburi Tarentum me conferam ope Galeſum fluminis Calabriæ, ubi laudatiſſimæ lanæ oves. f] *Laconi.* Phalanthibus Lacedemoniis cum Spartanis Italiam petens Tarentum occupavit. g] *Hymetto.* Mons Græciæ penes Athenas, ubi mel optimum, apes oprimæ, h] *Venafro.* Baccæ olivarum non cedunt Venofranis, ubi alioqui laudatiſſimum oleum provenit. i] *Aulon.* Mons vitifer in Calabria. k] *Minimum.* Uvas falernas nihil deteriores fert. l] *Calentem.* Mortui mei calentem cinerem lacrymis rigabis.

ODE XXIV.

Pompejo Varo in patriam poſt bellum Civile redeunti gratulatur.

O Sæpe mecum (a) tempus in ultimum:
Deducte Bruto militiæ duce,
Quis te redonavit (b) Quiritum
Diis patriis, Italóque cælo,
Pompei meorum prime ſodalium?
Cum quo (c) morantem ſæpe diem (d) mero
Fregi coronatus nitentes
(e) Malobrato Syrio capillos.
Tecum (f) Philippos, & celerem fugam
Senſi, relicta non bene parmula:
Cum fracta virtus, & (g) minaces
Turpe ſolum tetigêre mento.
Sed me per hoſteis (h) Mercurius celer
Denſo paventem ſuſtulit aëre:
(i) Te rurſus bellum reſorbens
Unda fretis tulit æſtuoſis.
Ergo obligatam redde Jovi (k) dapem.
Longâque feſſum militia (l) latus
Depone ſub (m) lauru mea: nec
Parce cadis tibi deſtinatis.
Oblivioſo levia Maſſico
(n) Ciboria exple: funde capacibus
Unguenta de (o) conchis. Quis udo
(p) Deproperare apio coronas,

Curátve myrto ; quem Venus arbitrum
Dicet bibendi ; non ego ſanius
Bacchabor (q) Edonis : recepto
Dulce mihi furere eſt amico,

a] *Tempus.* Qui ſæpe mecum in ultimum vitæ periculum adductus es, cum Bruto Duce contra Auguſtum arma ferremus, b] *Quiritum.* Venia ab Auguſto imperata, jus civitatis recuperaverat. c] *Morantem.* Longiorem, ut æſtivi dies ſunt. d] *Mero fr gi.* Potando exegi. e] *Malobathro.* Frutex quidam ex nardi odore, cujus magna copia in Syria. f] *Philippos.* Interfui tecum in prælio Philippenſi, & fugi clypeo turpiter abjecto. g] *Minaces.* Cum Duces noſtri cæſi, humum momordêre. h] *Mercurius.* Doctorum hominum patronus nube tectum me ſervavit. i] *Te.* Tu jam cæſis Bruto, & Claſſio filios Pompeji in Siciliam ſecutus es, & in novos fluctus te conjeciſti. k] *Dapem.* Epulum Jovi, ſi redires in patriam, promiſſum in ſacrificium. l] *Latus.* Pars pro toto. m] *Lauru.* Arborem aliquam ſui horti indicat, vel patrocinium Mœcenatis. n] *Ciboria.* Majoris modi Pocula. p] *Conchis.* Vaſcula è conchis. q] *Deproparare.* Quis cito nobis coronam ex apio, vel myrto contexet. Quæ herbæ vini calorem temperant. f] *Venus.* Aleis eligebatur arbiter, Rex, & Modimperator convivii. Feliciſſimus alearum jactus Venus dicebatur. s] *Edonis.* Tracibus bibaciſſimis populis è monte Edone. t] *Furere.* Largius potare.

ODE XXV.

Monet amicum Valgium, ut mortem filii ſui deſtere aliquando deſinat.

NOn ſemper imbres nubibus hiſpidos
(a) Manant in agros, aut mare (b) Caſpium
Vexant (c) inæquales procellæ
(d) Uſquo[illegible]nec Armeniis in oris,
Amic[illegible] Valgi, ſtat glacies iners
Menſeis p[illegible] omneis, aut Aquilonibus
Querceta [illegible] Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu ſemper urges flebilibus modis
(f) Myſten ademtum : nec tibi (g) veſpero

Surgen-

Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente ſolem.
At non (h) ter ævo functus amabilem,
Ploravit omneis Antilochum ſenex
Annos; nec inpubem parentes
(i) Troilon, aut phrygiæ (k) ſorores
Flevêre ſemper, deſine mollium
Tandem querelarum: & potiùs nova
Cantemus Auguſti tropæa
Cæſaris, & rigidum (l) Niphatem,
(m) Medúmque flumen gentibus additum
Victis, (n) minores volvere vortices.
Intráque præſcriptum (o) Gellonos
Exiguis equitare campis.

a] *Manant.* E nubibus funduntur. b] *Caſpium.* Mare pro genere. c] *Inæquales.* Jam atrociores, jam leniores. d] *Uſque.* nec ſemper. e] *Gargani.* Mons eſt Apuliæ. f] *Myſien.* Nomen eſt pueri. g] *Veſpero.* Veſperus, ſeu Heſperus ſtella eſt ſolem cadentem ſequens, orientem antecedens. Flesà mane uſque ad Veſperum. Tantùm erat amor mortui h] *Ter ævo.* Neſtor, qui 300. annos vixit, non ſemper deploravit Antilochum ſuum filium, à Memnone ad Trojam occiſum, i] *Troilon.* Parentes Priamus, & Hecuba. k] *Caſſandra.* Polyxena, & Sorores Troili. l] *Nyphaten.* Armeniæ fluvium. m] *Medum.* Euphrutem Perſidi contignum, n] *Minores.* Quaſi pudore cladis, & dolore affectum lenius fluere gaudeamus. o] *Gelonos.* Populi Scythiæ ſunt intra certos limites ab Auguſto redacti.

ODE XXVI.

Diligenda mediocritas; animi æquitas ubique retinenda.

Rectiùs vives (a) Licini, neque (b) altum
Semper urgendo: neque, dum procellas
Cautus horreſcis, nimiùm premendo
(c) Litus iniquum.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret (d) obſoleti

Sordibus tecti, caret invidenda.
Sobrius aula.
Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus: & celsæ graviore casu
Decidunt turres: feriúntque summos
Fulmina montes
(e) Sperat infestis metuit secundis
Alteram fortem bene præparatum
Pectus. Informeis hyems reducit
Jupiter idem
Summovet: Non si male nunc, & olim
Sic erit. (f) quondam cithara tacentem
Suscitat musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus augnstis animosus, atque
Fortis appare. Sapienter idem
(g) Contrahes vento nimiùm secundo
Turgida velo.

a) *Licini.* Licinius Varro. Muræna Pompejum secutus, ab avunculo Mecœnate postea gratiam obtinuit. b] *Alium.* Nimios honores, opésque consectando. c] *Litus.* Nec nimis humiliter tegerendo. d] *Obsoleti.* Nec nimis sordidam, nec magnificam domum habet, & extra invidiam est. e] *Sperat.* Animus in utramque fortunam bene comparatus in rebus adversis sperat meliora in secundis metuit adversa. f] *Quondam* Apollò non semper arcum tendit ad interficiendos homines: Subinde citharâ canens cum Musis feriatur. g] *Contrahes.* Non intumesce, nec insolentior esto.

ODE XXVII.

Omittendæ curæ inutiles de publicis; genio tantisper indulgendum.

QUid bellicosus (a) Cantaber, & Scythes,
Hirpine Quinti, (b) cogitet, (c) Adria
Divisus objecto, remittas
Quærere: nec trepides (d) in usum
Poscentis ævi pauca. fugit retrò
Levis Juventus, & decor, arida

Pellen-

Pellente laſcivos amores
Canitie, facilémque (e) ſomnum.
Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis: neque uno luna rubens nitet
Vultu. Quid (f) æternis minorem
Conſiliis animum fatigas?
Cur non ſub alta, vel platano; vel hac
Pinu jacentes ſic temerè, & roſa
(g) Canos (h) odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriáque nardo,
Potamus uncti? diſſipat (i) Evius
Curas edaceis. Quis puer ocyus
(k) Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lympha?

a) *Cantaber.* Cantabri, & Scythæ tum Romanorum hoſtes erant. b) *Cogitet.* Moliatur in Romanos. c) *Adriâ.* Adriatico velut vallo ab Scythia diviſus omitte quærere. d) *In uſum.* Breve ſpatium vitæ, & natura paucis contenta eſt. e) *Somnum.* Juvenes ob humorum copiam facilius dormiunt, ac ſieci ſenes. f) *Æternis.* Nimis in longum proſpicientibus, quaſi ſemper victurus. g) *Canos.* Jam ſenior erat Horatius. o) *Odorati.* Habentes capillos roſis odoratis coronatos. i) *Evius.* Bacchus. k) *Reſtinguet.* Falernum temperabit, recente frigida admixta.

ODE XXVIII.

Mæcenatis uxorem laudat.

(a) NOlis longa feræ bella Numantiæ,
Nec dirum Annibalem, (b) nec Siculum mare
Pœno purpureum ſanguine, mollibus
Aptari cytharæ modis:
Nec ſævos (c) Lapithas, & nimium mero
(d) Hyleum, domiróſque Herculea manu
(e) Telluris juvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: túque (f) pedeſtribus
Dices hiſtoriis prælia Cæſaris
Mœcenas meliùs, ductáque per vias
Regnum colla (g) minacium

Mœ

Me dulcis (h)dominæ Muſa (i)Lycimniæ
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgenteis, oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
(k) Quam nec ferre pedem dedecuit choris.
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, ſacro
Dianæ celebris die.
(l) Num tu, quæ tenuit dives Achemenes
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes,
Permutare vellis crine Lycimniæ,
Plenas aut Arabum domos?

a) *Nollis.* Ne me jubeas lyricis verſibus canere bellum Nu mantinum, &c. b) *Siculum mare.* In quo primo Punico bel lo ſæpè victi Carthaginenſes. c) *Lapithas.* Inter quos & Centau ros atrox rixa. d) *Hyleum.* Unus è Centauris bibacior. e) *Tellu ris Juvenes.* Gigantes cœlo inſidiantes, ſeu Saturni domui. f) *Pedreſtibus.* Soluto ſtylo. g) *Minacium.* Per viam ſacram in triumpho Romæ ductorum. h) *Domina.* Uxores ſolebant vocari Dominæ. i) *Muſa.* Muſa me juſſit pro argumento carminum ſume re uxoris tuæ cantus, lucidè fulgentes oculos, & connubialem fi dem. k) *Quam, &c.* Quæ in circulis, in Dianæ feſtis, cum virginibus conſertis in orbem brachiis ad numerum movetur. l) *Num tu, &c.* An velles permutare omnia, quæ Achæmenes Re Perſarum ditiſſimus poſſedit; aut opes Mygdonis Regis Phrygiæ aut Arabum divitias, vel uno uxoris tuæ crine;

ODE XXIX

Diræ in arborem, cujus lapſu pene oppreſſus fuerat.

(a) Ille nefaſto te poſuit die
Quicumque primum, & ſacrilega manu
Produxit arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriúmque pagi.
(b) Illum; & parentis crediderim ſui
Fregiſſe cervicem, & (c) penetralia
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis; ille venena (d) Colchi.

Et, quidquid uſquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui ſtatuit meo
Te, triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Quid quiſque vitet, nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas, navita [e] Boſporum
[f] Pœnas perhorreſcit, neque [g] ultra
Cæca timet aliunde fata

Miles ſagitas, & celerem fugam
Parthi: catenas Parthus, & Italum
Robur. Sed inproviſa lethi
Vis rapuit, rapiétque genteis.

Quam pene furvæ regna [h] Proſerpinæ
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedeſque deſcriptas piorum, &
[i] Æoliis fidibus querentem

Sappho puellis de popularibus!
[k] Et te ſonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro, dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli

[l] Utrumque ſacro digna ſilentio
Mirantur umbræ dicere: ſed magis
Pugnas, & [m] exactos tyrannos
[n] Denſum humeris bibit aure vulgus.

[o] Quid mirum, ubi illis carmiuibus ſtupens
Demittit atras bellua centiceps
Aureis? & intorti capilis
Eumenidum recreantur angues?

Quin & [p] Prometheus & [q] Pelopis parens
Dulci laborum decipitur ſono:
Nec curat [r] Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas,

a] *Ille.* O Arbor; is qui te plantavit manu Sacrilega in exitium, & opprobrium pagi, die infaſto te poſuit. b] *Illum &c.* Ille haud dubiè occiderit Patrem. c] *Penetralia* Et hoſpitem tuum necaverit. d) *Et Colchica.* Venefícus fuerit, In Colchide ſunt venena præſentiſſima. e] *Pœnus.* Pro quovis nauta. f] *Boſporum.* Pro quovis freto. g] *Ultra.* Nihilque præterea aliud timet. h] *Proſerpinæ.* Quam prope mortem fui, & inferos. i) *Æolliis.* Sapho fuit oriunda ex Lesbo Inſula quondam ab Æolibus Græcis habitata. Hæc mul-

Nec [f] fortuitum ſpernere cæſpitem
Leges ſinebant: oppida publico
Sumptu jubentes, & Deorum
Templa novo decorare ſaxo.

a] *Jam paucæ.* Superba, & magnis molibus extructa regi ædificia, pauca, quæ arari poſſunt, jugera relinquens. b] *Lucrino.* Hic locus in Bajano ſinu, quia optimorum oſtreorum ferax ſemper latius effodiebabur. c] *Evincet.* Cedere cogat vites ulmis hærentes; quod platani plus umbræ præbeant. d] *Violaria.* Loca violis conſita. e) *Myrtuſque.* Herbæ odoratæ, & omnis generis flores plantabant, ubi prius lætiſſima, Domino fructuoſa vi leta ſteterant. f] *Laurea.* Olearum utilum loco Lauri ad delicia plantantur. g] *Intonſi.* Barbari ab omni luxu remoti. h] *Auſpiciis.* Legibus, quæ non niſi Captis auſpiciis ferebantur. i] *Communes.* Publicæ ædes, opéſque magnæ. h] *Nulla decempedis.* Senſus eſt: Olim privatis nulla porticus erat ad ſeptemtrionem ſita, quam ſol nunquam videret, ad ambulandum æſtate, tam lata, ut ea decempedis ſeu decem pedum pertica dimetiri oporteret. l] *Fortunatum.* Quem fors tuliſſet agellum, vel locum, in quo ſaluti negotiis quieſcerent ſine ſumptuoſis adeò ambulationibus.

ODE XXXII.

Animi tranquillitatem non opibus, aut honoribus, ſed eorum contemptu quæri.

OTium divos rogat in patenti
[a] Prenſus Ægæo, ſimul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furioſa [b] Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Groſphe, non gemmis, neque purpura venale neque auro,
Non enim gazæ, neque conſularis
Summovet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas [c] laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui [d] ſalinum

Nec leveis ſomnos timor, aut Cupido
(e) Sordidus auffert.
(f) Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? (g) quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul
(h) Se quoque fugit.
Scandit (i) æratas vitioſa naves
Cura: nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.
Lætus in præſens animus (k) quod ultra eſt,
Oderit curare: & amara lento
Temperet riſu. Nihil eſt ab omni
Parte beatum.
Abſtulit clarum cita mors Achillem,
Longa (l) Tithonum minuit ſenectus;
Et mihi forſan, tibi quod negârit,
Porriget hora. (m)
Te (n) greges centum, Siculæque circum
Mugiunt vaccæ; tibi tollit hinnitum
apta quadrigis equa: te bis Afro
Murice tinctæ
Veſtiunt lanæ. Mihi parva rura, &
(o) Spiritum Grajæ tenuem Camœnæ
(p) Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

a) *Preſſus.* Nauta in vaſto mari, & tempeſtuoſo cœlo. b) *Thraces.* Otium rogat Thraca, & Media, quod tamen pretio comparari nequit. c) *Laquearia.* In divitum domibus. d) *Salinum.* Parva, & nitida ſupellectile bene vivitur e) *Sordidus.* Avaritia. f) *Quid brevi.* Quid, cum tam brevi vita ſimus, tanta nobis proponimus? g) *Quid terras.* Cur lucri causâ in remotas oras migramus? h) *Se quoque.* Etſi ſponte exulat, quis à ſeipſo ità exulat, quin ſe, & ſuas curas unà circumferat? i) *Æratas.* Noſtra ære præmunita. k) *Quod ultrà.* De futuris ne curet. l) *Tithonum.* Adeò ſenem, ut in eicadam mutari peteret. m) *Hora.* Mihi tempus & occaſio forte dabit, quæ fruſtra ſperas. n) *Greges centum.* Tibi tot bona, tot ovium, & vaccarum greges, tot generoſi equi, tantum purpureæ veſtis eſt. o) *Spiritum.* Ingenium aptum Rbus.

Lyricis verſibus, à Græcis ad Romanos translatum. p) *Parcæ* Fatum certum omnibus, neminem fallens.

ODE XXXIII.

Negat ſe Mecœnati ſuperſtitem eſſe valle.

CUr me (a) querelis exanimas tuis?
Nec Diis (b) amicum eſt, nec mihi, te prius,
Obire, Mœcenas, mearum
Grande decus, columénque rerum
Ah, te meæ ſi partem animæ rapit
Maturior (c) vis, quod moror (d) altera,
Nec carus æquè, nec ſuperſtes
Integer? ille dies utramque
Ducet (e) ruinam; non ego (f) perfidum
Dixi Sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.
Me nec (g) Chimæræ ſpiritus igneæ,
Nec, ſi reſurgat centimanus (h) Gyas,
Divellet unquam. Sic potenti
(i) Juſtitiæ placitúmque Parcis.
Seu (k) Libra, ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus, pars violentior,
Natalis horæ, ſeu tyrannus
Heſperiæ Capricornus undæ:
Utrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum (l) te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucriſque fati
Tradavit alas (m) cùm populus frequens
Lætum theatris ter crepuit ſonum:
(n) Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi (o) Faunus ictum
Dexsrâ levâſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum. Reddere victimas,
(p) Ædémque votivam memento:
Nos humilem feriemus (q) agnam.

a) *Quæ*

a) *Querilis.* Mœcenas jam morbis divexatus querebatur de vitæ tam miseræ diuturnitate. b) *Amicum.* Gratum. c) *Vis.* Mors. d) *Altera.* Quid vivere diutius amem, cùm te extincto non amplius futurus sim integer. e) *Ruinam.* Tecum moriar. f) *Perfidum.* Non temerè, sed ex animo juravi, nos unà ituros ad tumulum. g) *Chymeræ.* Nullum me monstrum retinebit, quin te sequar. h) *Gyas.* Unus è gigantibus. i) *Justitiæ.* Æquum est, ut tot à te beneficiis effectus, nec in morte à te divellar. k) *Seu Libra.* Sensus est: sive ego sub Libræ signo, seu Scorpionis, seu Capricorni natus sim, horoscopus noster, seu astra, quæ nativitati nostræ præfuerunt, incredibiliter consentiunt. Id probat gemino eventu. l) *Te Jovis.* Te Jovis Saturno oppositi beneficium morti eripuit, cui è gravi morbo tam propinquus eras. m) *Cùm populus.* Cùm valentior jam Mœcenas in Theatrum prodiisset, læta civium acclamatione acceptus est. n) *Me truncus.* Vide Oden 29. o) *Faunus.* A Fauno eruditorum amico servatum se fingit. p) *Ædem.* Templum voverat Mœcenas. q) *Aguam.* Quæ Fauno sacrificabatur.

ODE XXXIV.

Se parvo contentum vivere, alios mortis oblitos, nullum ædificandi &c. finem facere.

NOn ebur, neque aurum
Mea renitet in domo lacunar;
Non trabes (a) Hymettiæ
Premunt b columnas, ultimâ recisas
(b) Africâ: neque (c) Attali,
Ignotus hæres regiam occupavi:
Nec (d) Laconicas mihi
(e) Trahunt honestæ purpuras clientæ.
At fides, & ingeni
Benigna (f) vena est: pauperémque dives
Me (g) petit. Nihil supra
Deos (h) lacesso: nec potentem (i) amicum
Largiora flagito;
Satis beatus unicis (k) Sabinis.
Truditur dies die,
Novæque pergunt interire (l) Lunæ,
Tu secunda marmora
Locas sub ipsum funus; & sepulchri

Immemor ſtruis domos;
Marisque (m) Bajis obſtrepentis urges
Summovere littora,
Parum locuples continente ripâ.
Quid, quod uſque proximos
Revellis agri (n) terminos? & ultra
Limites Clientium
Salis avarus? (o) pellitur paternos
In ſinu ferens Deos
Et uxor, & vir, ſordidósque natos.
(p) Nulla certior tamen
Rapacis Orci ſede deſtinata
Aula divitem manet
Herum, Quid [q] ultra tendis? æqua tellus
Pauperi (r) recluditur,
Regúmque pueris; nec (s) ſatelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro raptus. Hic ſuperbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coërcet. Hic levare functum
Pauperem laboribus;
Vocatus, atque non vocatus (t) audit.

a) *Hymettiæ.* Trabes in Hymetto monte cæſæ. b) *Afrieæ.* In Numidia, ubi marmor eximium. c) *Attali,* Rex Pergami opulentiſſimus populum Rom. hæredem ſcripſit. d) *Laconicas.* Lanas tinctas apud Tænarum Laconiæ Promontorium, ubi eximius capiebatur murex. e) *Trahunt.* Nent ducunt honeſtæ fœminæ. f) *Vena.* Copia non pœnitenda. g) *Petit.* Ambit, colit ob ingenium in pretio habet. h) *Laceſſo.* Flagito. i) *Amicum.* Mæcenatem. k) *Sabinis.* Tenui meâ villâ. l) *Lunæ.* Labitur tempus. m) *Bajis obſtrepentis.* Mollibus in ipſum ſinum Bajanum jactis ob amœnitatem loci ædes nobilium extruebantur. n) *Terminos.* De vicini agro decerpis. o) *Pellitur.* Cliens pauper, & pannoſus, omnibus rebus à te injuſtè ſpoliatus, præter Deos Lares, & filios nihil auffert. p) *Nulla.* Senſus eſt: Etſi omnia rapias, inſanum ædifices, nulla tibi domus certius obventura eſt, quàm domus Orci, quæ omnes ad ſe rapit. q) *Ultra.* Quid moliris. r) *Recluditur.* Tumulus pauperes, & divites accipit. s) *Satelles.* Charon. t) *Audit.* Prompta mors, & parata eſt, ad pauperes ab omnis vitæ liberandos, ſeu vocetur, ſeu non vocetur.

ODE

ODE XXXV.

Horatii in Cygnum Metamorphoſis, & immortalitas.

(a) NOn uſitatâ nec tenui ferar
Pennâ (b) biformis per liquidum æthera
Vates; neque in terris morabor
Longiùs; invidiaque major
Urbeis (c) relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum; non ego, quem vocas,
Dilecte Mecœnas, obibo,
Nec (d) Stygia cohibebor undâ.
Jam jam reſidunt cruribus aſperæ
Pelles: & (e) album mutor in alitem
Superna: naſcuntúrque leves
Per digitos, humerúsque plumæ.
Jam Dædaleo ocyor Icaro,
(f) Viſam gementis littora Boſphori,
Syrteſque Getulas canorus
Ales, Hyperboreóſque campos.
Me (g) Colchus, & qui diſſimulat metum
(h) Marſæ cohortis, Dacus, & ultimi
Noſcent (i) Geloni. Me peritus
Dicet Iber, (k) Rhodaníque potor.
(l) Abſint inani funere næniæ,
Luctúſque turpes, & querimoniæ.
Compeſce clamorem, ac ſepulchri
Mitte ſupervacuos honores.

a) *Non uſitatâ.* Non mutabor in cygnum vulgarem ut plebeli Poëtæ, quos ſupero. b) *Biformis.* Ex homine in cygnum mutatus. c) *Relinquam.* Æthera ſublimè petens. d) *Stygia.* Non moriar. e) *Album.* Cygnum. f) *Viſam.* Volando procelloſum Boſphorum, & regiones ſeptentrioni ſubjectas. g) *Colchus.* Mea fama ultimas gentes petvagabitur, ut Colchidem. h) *Marſa.* Romanum militem ſe nihil timere ſimulans Dacus. i) *Geloni.* Scithis ad Septentrionem conſermini, ubi nunc Valachia Moldavia, &c. k) *Iber.* Hiſpani, & Galli ad Rhodanum. l) *Abſint.* Nolo meum funus velut mortui, ſolitis ceremoniis celebrari.

ODE XXXVI

Varia morum præcepta ; imprimis vitam beatam, non opibus, aut honoribus, ſed ſola virtute parari.

ODí [a] profanum vulgus, & arceo.
Favete linguis, [b] carmina non priùs
Audita, Muſarum Sacerdos,
[c] Virginibus, puerísque canto.
[d] Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos, imperium eſt Jovis
[e] Clari Gigaunteo triumpho,
Cuncta ſupercilio moventis.
[f] Eſt, ut viro vir latiùs ordinet
Arbuſta ſulcis: hic generoſior
Deſcendat in [g] campum petitor:
Moribus hic, meliórque famâ
Contendat: ibi turba clientium
Sit major. [h] ÆQUA lege neceſſitas
Sortitur inſigneis, & imos.
Omne capax movet urna [i] nomen.
[k] Diſtrictus enſis, cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem:
Non avium, citharæque cantus
Somnum reducent. [l] Somnus agreſtium
Lenis virorum [m] non humileis domos
Faſtidit, umbroſámque [n] ripam:
Non Zephyris agitata [o] Tempe.
Deſiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum [p] ſollicitat mare,
Nec ſævus [q] Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis [r] Hædi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundúsque [s] mendax [t] arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera nunc hyemes iniquas.
[u] Contracta piſces æquora ſentiunt,

Jactis

Jactis in altum molibus, huc frequens
[x] Cæmenta demittit [y] redemptor
Cum famulis, Dominúsque terræ
[z] Fastidiosus. Sed timor, & minæ
Scandunt eòdem, quò Dominus; neque
Decedit æratâ triremi, &
[aa] Post equitem sedet atra cura.
Quòd si [bb] dolentem [cc] Phrygius lapis,
Nec [dd] purpuratum sidere clarior
[ee] Delenit usus, nec Falerna
Vitis, [ff] Achæmeniúmque costum;
Cur [gg] invidendis postibus, & novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem [hh] Sabinâ
Divitias operosiores.

a) *Profanum.* Nullis Philosophiæ, aut veræ virtutis præceptis imbutum. b) *Carmina.* Præcepta. c) *Virginibus.* Castis animis excipienda. d) *Regum.* Reges suis gregibus, seu populis, Jupiter ipsis Regibus imperat. e) *Clari.* Victoris gigantum. f) *Esse ut.* Contingit, ut alter altero lautiores agros, & plures possideat. g) *Campum.* Fit, ut alter altero Nobilior in Campo Martio; Candidatus Magistratum petat; alter verò moribus, & virtute præstet. h) *Æqua lege.* Stultè opibus, aut honoribus inhiatur cum summis, & imis moriendum sit. i) *Nomen.* Et omnium nomina è fatali Minois, seu parcarum urnâ extrahenda sint. h) *Distinctus.* Alludit ad Historiam notam Damoclis. l) *Somnus.* Suavius in tugurüis rustici, quàm in Palatiis Reges dormiunt. m) *Non humiles.* Non fastidit humiles casas. n) *Ripam.* Ad quam velut in junceis cubilibus securi jacent. o) *Tempe.* Amœnam Thessaliæ vallem. p) *Solicitat.* Non navigabit, ut rem augeat. q) *Arcturi.* Ursæ Custos. r) *Hædi.* Duo sidera perquam procellosa. s) *Mendax* Fallens expectationem agricolæ. t) *Arbore.* Nimias aquæ pro causa sterilitatis afferente; nunc nimium calorem, aut frigus. u) *Contractis.* Ob molles in mare jactas angustiora sumo. x) *Cæmenta.* Rudium lapidum fragmenta. y) *Redemptor.* Qui opus aliquod certa pacta mercede suò periculò in se recepit. z) *Fastidiosus.* Qui terris non contentus, in ipso maris littore ædificat. aa) *Post equitem.* Quasi in dorso ejus insidens. bb) *Dolentem.* Aliquo animi, vel corporis dolore affectum. cc) *Phrygius.* Marmoreæ columnæ è Phrygia. dd) *Purpuratum.* Syderibus micantiorum. ee) *Delenit.* Dolorem levat. ff) *Achæmenium costum.* Aromatis genus è Persia. gg) *Invidendis.* sumptuosis. hh) *Sabina.* Mea villula.

D. JUNII JUVENALIS SATYRÆ ALIQUOT SELECTÆ,

Ab omni obſcœnitate repurgatæ.

SATYRA I.

Exponit, quare ad Satyras ſcribendas aggrediatur.

SEmper ego auditor tantùm? nunquámne reponam,
Vexatus toties rauci [a] Theſeide Codri?
Impunè ego mihi recitaverit ille [b] togatas,
Hic elegos? impunè diem conſumpſerit ingens
Telephus [c] aut ſummi pleno jam margine libri
Scriptus, & in [d] tergo necdum finitus [e] Oreſtes?
[f] Nota magis nulli domus eſt ſua, quàm mihi lucus
Martis, & Æoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat umbras
Æacus, unde alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ, quantas jaculetur Monychus ornos,
[g] Frontonis platani, convulſâque marmora clamant
Semper, & aſſiduo ruptæ lectore columnæ:
Expectes eadem à ſummo, minimóque Poëta.
Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus, & nos
Conſilium dedimus [h] Syllæ, privatus ut altum
Dormiret; ſtulta eſt clementia, cùm tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.
Cur tamen [i] hoc potiùs libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos [k] Auruncæ flexit alumnus,
Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.
Patricios omnes opibus cùm provocet [l] unus,
Quo tondente gravis juveni mihi barba ſonabat;
Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
[m] Criſpinus, Tyrias humero revocante lacernas,

Venti-

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſuffere queat majoris pondera gemmæ;
Difficile eſt ſatyram non ſcribere. Nam quis iniquæ
Tam patiens Urbis, tam ferreus, ut teneat ſe?
Cauſidici nova cùm veniat (n) lectica Mathonis
(o) Plena ipſo; & poſt hunc magni delator (p) amici,
Et citò rapturus de nobilitate comeſa
Quod ſupereſt, quem (q) Maſſa timet, quem munere palpat
Carus, & à trepido (r) Thymele ſubmiſſa Latino.
Quid, referam quanta ficcum (s) jecur ardeat irâ,
Cùm populum gregibus comitum premat hic ſpoliator
Pupilli (t) proſtantis? & hic (u) damnatus inani
Judicio [quid enim ſalvis infamia nummis?]
Exul ab (x) octava Marius bibit, & [y] fruitur Diis
Iratis; at tu (z) victrix provincia ploras.
Hæc ego non credam (a) Venuſinâ digna lucerna?
Hæc ego non (b) agitem? ſed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percuſſum puero, fabrúmque volantem?
Cùm fas eſſe putet curam ſperare (d) cohortis,
Qui bona donavit (e) præſepibus, & caret omni
Majorum cenſu, dum pervolat axe citato
Flamineam: (f) puer Automedon nam lora tenebat.
Nónne libet medio (g) ceras implere capaces
(h) Quadrivio; cùm jam (i) ſextâ cervice feratur
Hinc, atque inde patens, ac nudâ pænè cathedrâ,
Et multum referens de (k) Mecœnate ſupino
(l) Signator, falsò, qui ſe lautum, atque beatum
(m) Exiguis tabulis, & (n) gemmâ fecerat udâ?
Occurrit matrona potens, quæ molle (o) Calenum
Porrectura viro miſcet ſitiente (p) rubetam,
Inſtituſtque rudes melior (q) Locuſta propinquas,
Per famam, & populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus (r) Gyaris, & carcere dignum,
Si vis eſſe (s) aliquis. Probitas laudatur, & alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, menſas:
Argentum vetus, & ſtantem extra pocula (t) campum.
Quem patitur (u) dormire nurus corruptor avaræ?

Qvem ſponſæ turpes, & prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio verſum,
Qualemcunque poteſt; quales ego, vel (x) Cluvienus.
Ex quo Deucaleon, nimbis tollentibus æquor,
Navigio montem aſcendit, ſortésque popoſcit,
Paulatímque animâ caluerunt mollia ſaxa,
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt (y) farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit (z) ſinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculìs comitantibus itur
Ad caſum (a) tabulæ, poſitâ ſed luditur (b) arcâ.
Prœlia quanta illic diſpenſatore videbis.
(c) Armigero! ſimpléxne furor (d) ſeſtertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere ſervo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula ſeptem?
Secretò cœnavit (e) avus? nunc (f) ſportula primo
Limine parva ſedet, turbæ rapienda togatæ.
(g) Ille tamen faciem priùs inſpicit, & trepidat, ne
Suppoſitus venias, ac falſo nomine poſcas.
Agnitus accipies: jubet à prœcone vocari
Ipſos (h) Trojugenas, nam vexant limen & ipſi
Nobiſcum: da (i) Prœtori, da deinde Tribuno:
Sed libertinus prior eſt: prior, inquit, ego adſum;
Cur timeam, dubitémve locum defendere, quamvis
Natus ad (k) Euphratem? molles quod in aure (l) fenestræ
Arguerint, licèt ipſe negem: ſed (m) quinque tabernæ
(n) Quadringenta parant. Quid confert (o) purpura majus
Optandum, ſi Laurenti cuſtodit in agro
Conductus (p) Corvinus oves? ego poſſideo plùs
(q) Pallante & (r) Lacinis; expectent ergo Tribuni;
Vincant divitiæ; (s) ſacro nec cedat honori,
Nuper in hanc urbem pedibus, qui venerat (t) albis;
Quandoquidem inter nos ſanctiſſima divitiarum
Majeſtas; etſi funeſta Pecunia, templo
Nondum habitas, nullas numerorum ereximus aras.
Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,

Quæque

Quæque (u) ſalutato crepitat Concordia nido.
Sed cùm (x) ſummus honor finitô computet annô,
Sportula quid referat, quantum (y) rationibus addat;
Quid facient comites, quibus hinc (z) toga, calceus hinc eſt,
Et panis, fumúsque domi? (a) Denſiſſima centum
(b) Quadrantes lectica petit, ſequitúrque maritum
Lanquida. vel prægnans, & circumducitur uxor.
Hic petit abſenti, notâ jam callidus arte,
Oſtendens vacuam, & clauſam pro conjuge ſellam.
(c) Galla mea eſt, inquit, citiùs dimitte, moraris?
Profer, Galla, caput. Noli vexare, quieſcit.
Ipſe dies pulchro diſtinguitur ordine rerûm;
(d) Sportula, deinde forum, jurísque peritus Apollo,
Atque (e) triumphales; inter quas auſus habere
neſcio quis titulos (f) Ægyptius. atque (g) Arbarches.
(h) Veſtibulis abeunt veteres, laſsíque clientes,
Votáque deponunt, quamquam longiſſima cœnæ
Spes homini, caules miſeris, atque ignis emendus.
Optima (i) ſylvarum interea, pelagíque vorabit
Rex horum, (k) vacuísque toris tantùm ipſe jacebit.
Nam de te pulchris, & latis (l) orbibus, & tam
Antiquis, unâ comedunt Patrimonia mensâ.
Nullus jam paraſitus erit; ſed quis ferat iſtas
Luxuriæ ſordes? quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!
(m) Pœna tamen præſens, cùm tu deponis amictus
Turgidus, & crudum (n) pavonem in balnea portas;
Hinc ſubitæ mortes, atque (o) inteſtata ſenectus;
It nova, nec triſtis per cunctas (p) fabula cœnas;
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit (q) ulterius, quod noſtris moribus addat
Poſteritas; eadem cupient, faciéntque (r) minores.
Omne in præcipiti vitium ſtetit: (s) utere velis,
Totos pande ſinus. Dicas hìc forſitan: Unde
Ingenium par materiæ? unde illa (t) priorum
Scribendi, quodcunque animo flagrante liberet,
(u) Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?
(x) Quid refert, dictis ignoſcat Mutius, an non?

(y) Pone

Pone Tigellinum, [z] tæda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum mediâ ſulcum deducit [a] arenâ.
[b] Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Penſilibus plumis, atque illinc deſpiciat nos?
[c] Cùm veniet contra, digitô compeſce labellum;
[d] Accuſator erit, qui verbum dixerit, hic eſt.
Securus licèt Æneam, Rutulúmque ferocem
Committas: nulli gravis eſt percuſſus Achilles,
Aut multùm quæſitus Hylas, urnámque ſecutus.
[f] Enſe velut ſtricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit; rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus; tacitâ [g] fundant præcordia culpâ;
Inde iræ, & lacrymæ. Tecum priùs ergo voluta
Hæc animo, [h] ante tubas; galearum ſerò duelli
Pœnitet. [i] Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flamineâ tegitur cinis, atque Latinâ.

a) *Theſeide.* Recitatione Poëmatis de rebus geſtis Theſei, ab ignobili, & calamitoſo Poëta Codro. b) *Togatas.* Comœdiæ Romanorum togatæ dicebantur, ut *Græcorum* palliatæ. Tragœdiæ, ejus argumentum: c) *Telephus.* Rex Myſiæ, de quo vide Hiſtoriam belli Trojani. d) *Tergo.* In exteriore chartæ, ſeu voluminis parte. e) *Oreſtes.* Tragœdia. f) *Nota mihi.* Senſus eſt: Fabulæ Poëticæ de Marte, Æolo, Æaco, Jaſone, Centauris, &c. Quibus me Poëtæ recitatores quotidie obtundunt, tam mihi ſunt notæ, &c. g) *In Frontonis* Nobilis Romani ædibus, & porticu, quam platani inumbrabant, Poëtæ recitare ſolebant. h) *Syllæ.* Inter alia declamationum themata, quibus Rhetores in ſchola exerceri ſolebant, erat ſuaſoria ad Syllam, de ponenda Dictatura. i) *Hoc.* Satyrico Carminum genere. k) *Aurunca.* Lucilius primus Romæ Satyræ ſcriptor, Rutulorum civitate natus. l) *Cum.* Meus nuper tonſor, jam Romanorum diviſſimus ſit. m) *Cum verna.* Cum Criſpinus Ægyptium (ubi urbs Canopus) viliſſimum mancipium, è ſervo Magiſter equitum à Nerone factus, tantis pompis incedat. n) *Lectica.* Qui nobiles ſolùm geſtari ſolebant. o) *Plena.* Adeò pinguis, & obeſus. p) *Delator.* Peſſimum tum in Cæſarum aula hominum genus, ex aliorum ruinis creſcere ſolitum, è quibus præcipuus quidam Regulus. q) *Maſſa.* Carus, Latinus delatores item, ſed Regulo malignitate inferiores. r) *Thimele.* Latini uxor. s) *Jecur.* Quàm iraſcar. t) *Proſtantis*

Ad

Ad egeſtatem tantam redacti, ut pro ſervo, vænales in foro proſtaret. u) *Et hic.* Marius Criſpus ab Affris, quos Proconſul ſpoliârat, accuſatus, quibus tamen nihil redditum. x) *Ab octav.* Diei horâ, unâ horâ citius, quàm Romæ cibus caperetur. y) *Fruitur.* In exilio, quò ſecum numos abſtuleràt, damnatus, ubi lautius vivit, quàm antè. z) *Victrix.* Quia cauſam vicerat, nil tamen receperat. a) *Venuſinâ.* Satyrico Carmine, quò Horatius Venuſinus excelluit. b) *Agitem.* Inſecter, carpam. c) *Sed quid?* An præſtat ſcribere fabulas de Herculis laboribus, de Diomede equos humanis carnibus paſcente, de Theſeo, & Minotauro, de Icaro, & Dædalo? d) *Cohortis.* Dignitates militares ambiat. e) *Præſepibus.* Cornelius Fuſcus, qui bona paterna equis alendis dilapidârat. f) *Puer.* Dum puer erat, auriga Neronis fuerat, ut Automedon, famoſus apud Homerum Achillis auriga. g) *Ceras.* In quibus ſtylo ſcribebant Romani. h) *Quadrivio.* In mediis plateis, apertè. i) *Sexta.* A ſex famulis lecticam portantibus. k) *De Mecœnate.* Molli, & delicato homine, qui reſupinatus jacebat in lectica. l) *Signator falſò.* Domitius Regulus teſtamentorum corruptor. m) *Exiguis.* Paucis verbis, quibus falſi teſtamenti conditor, ſe ex aſſe hæredem ſcribebat. n) *Gemma.* Annulo ſignatorio, qui ſalivâ tangitur, ne cera adhæreſcat. o) *Calenum* Vinum Campaniæ ex optimis. p) *Rubetam.* Venenum ex rubeta, buffonum ſpecie. q) *Locuſta.* Celeberrima Claudii, & Neronis ætate venenorum miſcendorum artifex. r) *Gyaris.* Gyara Inſula eſt, in quam ſceleràti exules relegebantur. s) *Aliquis.* Si vis evadere, eſto egregiè ſceleratus. t) *Caprum.* Cælatura Capri extra Scyphum argenteum prominens. u) *Dormire.* Quis ceſſare poteſt à ſcribendo, cùm videat patrem, qui filii uxorem ad flagitium inducit, ſponſas item amore turpi flagrantes, & pueros adulteros. x) *Cluvienus.* Ineptiſſimus Poëta. y) *Farrago.* Materia. z) *Sinus.* Metaphora à velis inflatis. a) *Tabulæ.* Luſoriæ, vel aleatoriæ. b) *Arcâ.* Totâ nummis refertâ. c) *Armigero.* Per metaphoram ſervus dicitur. Domino ludi, inſtrumenta præbens. d) *Seſtertia.* Centum faciunt noſtrâ monetâ ferè 3000. florenorum. e) *Avus.* Quis majorum, vel avorum noſtrorum. f) *Sportula.* Clientes olim à patronis ad eandem menſam vocabantur, nunc vilium ciborum ſportula ad limen datur plebi, patronos in toga viſenti. g) *Ille.* Qui has ſporculas dividit. h) *Trojugenas.* Nobiliores Romanos nempe Trojanis ortos. i) *Da Prætori.* Ità loquitur ſportulæ dividendæ præfectus. k) *Euphratem.* Unde ferè ſervi comparabantur. l) *Feneſtra.* Auricula ad inaures inſerendas perfoſſa Orientalibus. m) *Quinque tabernæ.* Mercatoriæ, quas in foro habeo. n) *Quadraginta.* Seſtertia, plus quàm viginti millia florenorum. o) *Purpura.* Equeſtris, vel Senatoria dignitas. p) *Corvinus.* Scili-

cet

cct Nobiliſſimâ Corvinorum gente natus, qui oves paſcat. q) *Pallantem.* Fuit is Claudii Imper. libertus longe ditiſſimis. r) *Liciniis.* Licinio Auguſti liberto, & tonſore item opulentiſſimo. s) *Sacro.* Tribunitio, aut prætorio. t) *Albis.* Nullis, vel pulvere obſitis. u) *Salutato.* In Concordiæ templi faſtigio eiconiæ nidificabant. x) *Summus honor.* Si ſummi magiſtratus, Prætores, Tribuni computant, quantum annui reditus ferat ſportula, quid agent pauperes, quibus ſportula ſola victum ſuppeditat. y) *Rationibus annuis reditibus.* z) *Toga.* Quibus item Toga, calceus, ligna emenda. a) *Denſiſſima.* Plurimi Senatores lectícis vecti circumducunt uxores ægrotas, vel gravidas, quarum nomine ſportulam petant, interdum & abſentes ſimulant eſſe in clauſis lectícis. b) *Quadrantes.* Eſt quarta pars Aſſis Romani. c) *Galla.* Diſtributori ſportulæ ſenator ait, hæc mea eſt uxor: jubet ad fidem faciendam caput proferre; dein dormientem ſimulat. d) *Sportula.* Primùm eſt ſportulam à divitibus petere; deinde ad forum Auguſti comitari patronum, ubi ad ſtatuam Apollinis jus dicebatur. e) *Triumphales.* In eodem foro omnibus, qui triumphârant, ſtatuas erexerat Auguſtus. f) *Ægyptus.* Criſpinus Libertus, qui regebat Ægyptum. g) *Atabarebes.* Princeps ſervorum Arabum. h) *Veſtibus.* Relinquunt domum divitis, & ſpem cœnandi deponunt. i) *Sylvarum.* Feras, piſcésque optimos dives patronus. k) *Vacui.* Duo lectuli in triclinio erunt vacui. l) *Orbibus.* Ea inanis. m) *Pœna.* Non helluaris tamen impunè. n) *Pavonem.* Pavonis carnem nondum digeſtam. o) *Inteſtata.* Sinè teſtamento. p) *Fabulæ.* Rumpor de tua repentina morte. q) *Ulterius.* Nil ſceleris reſtat. r) *Minores.* Poſteri. s) *Utere velis.* Poëta ſe ad ſcribendum audacter incitat. t) *Priorum.* Lucilii, & Græcorum Satyricorum. u) *Simplicitas.* Libertas, quam tum ſerviente Roma vix nominare audebat. x) *Quid t ferri.* Reſpondet ſibi Poëta: Scribam Satyras, nec curabo Mutium, aut alium flagitioſum quem. y) *Pone Tigellinum.* At ſi (objicit monitor) Tigellinum, aut alium Imperatori percharum infectatus ſueeis. z) *Tædâ.* Palo ardenti alligatus, pice, ac bitumine oblitus, facis inſtar ardebit, quo ſupplicio Nero Chriſtianos affecit. a) *Arena.* In amphitheatro. b) *Qui dedit.* Ergóne patiar, ut Tigellinus, qui tres patruos veneno ſuſtulit, in plumea lectica ſublimis vehatur. c) *Cum veniet.* Imò verò (inquit monitor) cùm occurrerit, taceto. d) Statim erit qui accuſet, ſi vel vocalam de Tigellino miſeris. e) *Securus.* Tutius ſcribet Epicum, ut Maro Æneam, & Turnum, vel de Achille petenſſo à Paride vel de Hyla puero, qui cum urna in flumen decidit, & ab Hercule ſuo diu quæſitus eſt. f) *Enſe.* Quoties Satyram ut enſem ſtrinxit. g) *Sudant.* Æſtuant animo. h) *Anhelitus.* Tecum cogita, antequam Satyricum bellicum canas. i)

Ex

Experiar. Si in vivos periculoſum eſt, videbo, quid in mortuos nobiles liceat, quorum urnæ, & monumenta ferè in Flaminia, & Larina via.

SATYRA II.

Improbitatis, ac Pietatis Simulatores.

ULtra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus a] audent,
Qui b] Curios ſimulant, ac Bacchanalia vivunt.
c] Indocti primùm: quamquam plena omnia gypſo
d] Chryſippi invenias; nam perfectiſſimus e] horum,
Si quis f] Ariſtotelem ſimilem, vel Pittacon emit,
Et jubet g] archetypos pluteum ſervare Cleanthas.
Frontis nulla fides; quis enim non vicus abundat
h] Triſtibus obſcænis? caſtigas turpia, turpis?
Rarus ſermo illis; & magna libido tacendi,
Et magis ingenuè i] Peribonius: hunc ego k] fatis
Imputo, qui vultu morbum, inceſſúque fatetur.
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus;
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cathegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant l] diſcipuli tres?
Nónne igitur jure, ac meritò vitia ultima fictos
Contemnunt m] Scauros, & caſtigata remordent?
Non tulit ex illis torvum n] Latonia quemdam,
Clamantem toties; ubi nunc lex o] Julia? dormis?
Ad quem ſubridens; p] Felicia tempora! quæ te
Moribus opponunt! habeat jam Roma pudorem;
q] Tertius è cœlo cecidit Cato; ſed tamen unde
Hæc emis, hirſuto ſpirant opobalſama collo
Quæ tibi? ne pudeat dominum monſtrare r] tabernæ.
Quòd ſi vexantur leges, ac jura; citari
Ante omnes debet s] Scantinia: reſpice primùm,
Et ſcrutare t] viros: faciunt hi plura: ſed illos

Defen-

Defendit numerus, junctæque u] umbone phalanges.
Nunquid x] nos agimus cauſas, civilia jura
Novimus? aut nullo ſtrepitu fora veſtra movemus?
y] Luctantur paucæ, comedunt z] colliphia paucæ.
Vos lanam trahitis, calathiſque peracta refertis
Vellera: vos tenui prægnantem ſtamine fuſum
a] Penelope meliùs, leviùs torquetis Arachne.
De nobis poſt hæc triſtis ſententia fertur;
Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.
b] Fugerunt trepidi vera, ac manifeſta canentem
Stoicidæ; quid enim falſi Laronia? ſed quid
Non facient alii, cùm tu c] multitia ſumas,
d] Cretice, & hanc veſtem populo mirante, perores
In e] Proculas, & Pollineas? Eſt mœcha Fabulla;
Damnetur, ſi vis, etiam Carphinia: f] talem
Non ſumet damnata togam. Sed Julius g] ardet:
Æſtuo: h] nudus agat. Minùs eſt inſania turpis.
En i] habitum, quo te leges, ac jura ferentem
Vulneribus crudis populus modò victor, & illud
Montanum poſitis audiret vulgus aratris
Quid k) non proclames, in corpore judicis iſta
Si videas? quæro, an deceant multitia teſtem.
Acer, & indomitus, libertatiſque magiſter,
Cretice, pelluces? Dedit hanc l) contagio labem,
Et dabit in plures; ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit, & porrigine porci;
Uváque conſpectâ livorum ducit ab uva
m) Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
Nemo repente fuit turpiſſimus: accipient te
Paulatim, qui longa domi n) redimicula ſumunt
Frontibus & toto poſuêre monilia collo:
o) atque p) Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam. Sed more ſiniſtro
Exagitata procul non intrat fœmina limen;
Solis ara Deæ maribus patet: Ite profanæ,
Clamatur, nullo gemit hîc tibicina cornu.
Talia ſecreta coluerunt Orgia tæda
Cecropiam ſoliti q) Baptæ laſſare Cotyton.
r) Ille ſupercilium, madida fuligine tinctum,

Obli

Obliqua producit acu, pingítque trementes
Attóllens oculos: vitreô bibit ille (s) Priapô,
Reticulúmque comis auratum ingentibus implet,
Cerulea indutus (t) ſcutulata, aut galbana raſa:
Et per (u) Junonem domini jurante miniſtro.
Ille tenet ſpeculum, mollis geſtamen (x) Othonis,
(y) Actoris Aurunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, cùm jam tolli vexilla juberet;
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoriâ: ſpeculum civilis ſarcina belli.
Nimirum ſummi ducis eſt occidere (z) Galbam,
Et curare cutem ſummi conſtantia civis,
Bebriaci in campo ſpolium affectare Palati,
Et preſſum in faciem digiti extendere (a) panem.
Quod nec in Aſſyrio pharetra (b) Semiramis orbe,
Mæſta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.
Hic nullus verbis pudor, aut reverentia menſæ,
Hic turpis (c) Cybeles, & fracta voce loquendi
Libertas, & crine ſenex fanaticus albo;
Sacerorum (d) antiſtes, rarum, ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendúſque magiſter.
O proceres cenſore opus eſt, an (e) haruſpice nobis?
Scilicet horreres, majoráque monſtra putares,
Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum?
(f) Segmenta, & langos habitus; & flammea ſumit;
Areano qui ſacra ferens nutantia loro
Sudavit Clypeis (g) ancilibus! O (h) pater Urbis,
Unde nefas tantum Latiis Paſtoribus? unde
Hæc tetigit, Gradíve, tuos urtica nepotes?
Nec galeam quaſſas? nec terram cuſpide pulſas?
Nec quereris Petri? (i) Liceat modo vivere, fient,
Fient iſta palàm, cupient & in acta referri.
(k) Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi.
Luſtravítque fugâ mediam gladiator arenam,
Et (l) Capitolinis generoſior, & Marcellis,
Et Catulis, Paulſque minoribus, & Fabiis, &
Omnibus (m) ad podium ſpectantibus: (n) his licèt ipſum
Admoveas, cujus tunc munere retia miſit.
(o) Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna.

Rhet.

Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque unâ tranſire vadum tot millia cymbâ,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum (p) ære lavantur?
Sed tu vera puta. Curius quid ſentit, & ambo
Scipiadæ? quid Fabricius, manésque Camilli?
Quid Cremeræ legio, & Cannis conſumpta juventus?
Tot bellorum animæ, quoties hinc talis ad illos
Umbra venit, cuperent (q) luſtrari, ſiqua darentur
Sulphura cum tædis, & ſi foret humida laurus.
Illuc, heu miſeri traducimur. Arma quidem ultra
Littora (r) Juvernæ promovimus, & modò captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Brittannos.

a) *Audent.* Supple: differere, aut præcipere. b) *Curios.* Viros integerrimos. c) *Indocti.* Tales hypocritæ ſunt, quorum domus tamen doctorum Virorum imaginibus plenæ ſunt. d) *Chryſippi.* Chryſippi ſtatuis è gypſo factis. e) *Horum.* Sibi videntur. f) *Ariſtotelem.* Si ſtatuam Ariſtotelis, vel Pitaci emat. g) *Archetypos.* Originalia ſcripta Cleantis Stoici. h) *Triſtibus.* Severitatem fronte præferentibus. i) *Peribonius.* Apertè, & ſinè ſimulatione nequam. k) *Fatis.* Inter res raras reputo. l) *Diſcipuli tres.* Si Auguſtus, Lepidus, Antonius condemnent Syllanam proſcriptionem. m) *Scauros.* Fuit is Romanorum ſanctiſſimus. Senſus eſt: nónne homines ad ultimum vitiorum gradum evecti meritò contemnunt hos ſimulatos Scauros? n) *Laronia.* Mulier dives, ac flagitioſa. n) *Lex Julia.* Ubi inquiebat ille hypocrita Larroniam adulteram reprehendens, eſt Julia lex de adulteris à Julio Cæſare lata? p) *Felicia.* Reſpondet Larronia 16. ſequentibus carminibus. q) *Tertius.* Ironicè. r) *Tabernæ.* E quâ mercatoria officinâ emis delicatos hos odores? s) *Scantinia.* A Tribunopl. Scantinio in viros impudicos lata. t) *Viros.* Exquisitè primùm ſcelera virorum. u) *Umbone.* Umbo eſt media pars clypei. Senſus eſt: multitudo velut facta teſtudine eos excuſat. x) *Nos.* Fœminæ. Larroniæ oratio eſt; viris objicientis fœmineam mollitiem. y) *Luctantur.* Id eſt, pugiles agunt. z) *Colliphus.* Panis erat ſecundarius, quò ſe pugiles corroborabant. a) *Penelope, Arachne.* Fœminæ lanificio celebres. b) *Fugerunt.* Hæc dicentem Larroniam fugêre Stoici. c) *Multitia.* Veſtis ſericea molli adeò filo, ut vix pudori conſulerer. d) *Cretico.* Prætoris cujuſdam eomen eſt, è Metellorum gente. e) *Proculas.* Metellas ces, & Mæchas. f) *Talem.* Ne hæ quidem tam indecorè incederent. g) *Julius.* Sed iniquis ſol menſe Julio ardet. h) *Nec*

dus. Si ità: igitur nudus agas. Præſtat enim inſanum quàm effœminatum adeò haberi. i] *En habitum.* An deceret tali veſte ad veteres Ilos, & bellicoſos Romanos dicere? k] *Quid non.* M. Cretice an probares in judice, teſte talem veſtem? qui ſeveritatem Stoicam præfers, & l] *Pellucet*, id eſt, membra per tenuem veſtem apparent. m] *Contagio.* Mali exempli vis. n] *Fœdius.* Non hærebit in ſola veſte hæc mollities. o] *Redimicula.* Quæ ſe muliebribus ornamentis comunt. p] *Bonam.* Bonæ Deæ, ſolæ fœminæ excluſis viris porcâ, & vinô, idque ferè noctu ſacrificabant. At jam vos viri fœminas excludetis. q] *Baptæ.* Sacerdotes quidam Athenienſium ſinè tibicine tali a ſacra Deæ Libidi nis Cotyton faciebant. r] *Ille.* Alius quis effœminatus ſupercilia pingit. s] *Priapo.* Poculo facto inſtar obſcœniſſimi hujus Dei, hortorum cuſtodis. t] *Scutulata.* Veſtium genus fœmineum. u] *Junonem.* Non per Jovem, ut Viri. x] *Othonis.* Octavi Imperatoris, hominis mobiliſſimi ad Bedriacum à Vitellio victi. y] *Actoris.* Ut apud Virgil. Æn. 12. Cui Turnus haſtam ereptam quaſſabat. z] *Galbam.* Irridet Othonem, qui nil præclarius ediderit, quàm ſenis Galbæ cædem. a] *Panem.* Pane lacti intincto polire cutem ſolebant, & candidiorem reddere. b] *Semir. mis.* Nec hæc, nec Cleopatra tam molles fuêre, ut Otho. c] *Cybeles.* Eſt taota libertas loquendi, ut in Cybeles tutpiſſimis ſacris. d] *Antiſtes.* Furioſus ſenex gulæ inſatiabilis; dignus qui ab obſcœnis helluonibus conducatur, qui ſacris præſit. e] *Haruſpice.* Si quid monſtri oreretur, aruſpicum erat, id certis cæremonlis expiare. f] *Segmenta.* Muliebria ornamenta. g] *Ancilia.* Seu clypeoli cœlo demiſſi, loro inter ſe revincti à Martis flamine circumferri ſolebant. h] *Pater.* Mars, ſeu Gradivus Romuli pater. i] *Liceat.* Si diutiùs vixero, hæc ſcelera non clam, ſed palam fient, & publicis tabulis inſerentur. k] *Vicit.* Indignius eſt, quòd è Gracchorum gente quis, cum tunica, & fuſcina gladiatorem in arena agat l] *Capitolinis.* Manliis, &c. m] *Ad ſolium.* Locus erat honoratior in amphitheatro Senatoribus, ac nobiliſſimis quibuſdam deſtinatus. *His licet.* His annumeres ipſum Prætorem, cujus in munere, ſeu ludis Retiarium egit Gracchus. *Eſſe aliquos.* Cauſa tot ſcelerum eſt, quòd nè pueri quidem jam inferos eſſe credant. p] *Ære.* Infantes, qui domi lavantur. h] *Luſtrari.* Quoties ad egregios illos manes, aliqua tam turpis venit, cuperent expiari ſulphure, ut domus peſtilentiâ infectæ. r] *Juvernæ.* Hyberniæ.

SATYRA VIII.

De vera, & falſa Nobilitate.

STemmata quid faciunt? quid prodeſt, Pontice a* longo
Sanguine cenſeri, b* pictósque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam c* dimidios, d* humeríſque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis, naſóque carentem?
Qui fructus generis, f* tabulâ jactare capaci
Corvinum, & poſthac multa deducere virga
Fumoſos Equitum cum Dictatore Magiſtros;
Si coram g* Lepidis malè vivitur? Effigies quò
Tot bellatorum, ſi luditur alea pernox
h* Ante Numantinos? ſi dormire incipis ortu
Luciferi, quo ſigna duces, & caſtra movebant?
Cur i* Allobrogicis, & magna gaudeat k* ara,
Natus in Herculeo Fabius lare, ſi cupidus, ſi
Vanus, & l* Euganea quantumvis mollior agna,
Squallentes m* traducit avos; n* emptórque veneni
Frangendâ miſeram funeſtat imagine gentem?
Tota licèt veteres exornent undique ceræ
Atria, Nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.
o* Paulus, vel Coſſus, vel Druſus moribus eſto:
p* Hos ante effigies majorum pone tuorum;
q* Præcedant ipſas illi; te Conſule, virgas.
r* Prima mihi debes animi bona. s* Sanctus haberi,
Juſtitiæque tenax factis, dictísque mereris?
Agnoſco procerem: ſalve Getulice. ſeu tu
Syllanus; quocunque alio de ſanguine, rarus
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti;
Exclamare libet, Populus quod clamat t* Oſiri
Invento. u* Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignis? x* Nanum cujuſdam, Atlanta vocamus,
Æthiopem, cygnum; parvam, extortámque puellam,
Europen; y* canibus pigris, z* ſcabiéque vetuſta
Lævibus, & ſiccæ lambentibus ora lucernæ,

Nomen

Nomen erit pardus, tigris, leo, ſi quid adhuc eſt,
Quod fremit in terris violentiùs: a* ergo cavebis,
Et metues, ne tu ſis Creticus, aut Camerinus.
b* His ego, quem monui? tecum eſt mihi ſermo. Rubelli
Plauce: ç* tumes alto Druſorum ſanguine, tanquam
Feceris ipſe aliud, propter quod nobilis eſſes;
Ut te conciperet, quæ ſanguine fulget Iuli.
d* Non quæ ventoſo conducta ſub aëre texit.
e* Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima noſtri,
Quorum nemo queat patriam monſtrare parentis;
Aſt ego f* Cecropides. g* Vivas, & originis hujus
Gaudia longa feras: tamen imâ plebe Quiritem
Facundum inaenies: ſolet hic defendere cauſas
Nobilis indocti: veniet de plebe h* togata,
Qui juris nodos, & legum ænigmata ſolvat.
Hic petit i* Euphratem juvenis, domitíque Batavi
Cuſtodes aquilas, armis induſtrius: at tu
Nil niſi Cecropides, truncóque ſimillimus k* Hermæ:
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quàm quòd
Illi marmoreum caput eſt, tua vivit imago.
Dic mihi l* Teucrorum proles, animalia muta
Quis generoſa putet, niſi fortia? Nempe m* volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima n* palma
Fervet, & exultat rauco o* victovia Circo.
p* Nobilis hic, quocunque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & q* primus in æquore pulvis;
r* Sed venale pecus Corythæ poſteritas, &
Hirpini, ſi rara jugo victoria ſedit.
Nil ibi majorum reſpectus, gratia nulla
Umbrarum; dominos pretiis s* mutare jubentur
Exiguis, tritóque trahunt t* epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam verſare u* Nepotis.
x* Ergo ut miremur te, non tua; primùm aliquid da,
Quod poſſim titulis incidere, præter honores,
Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.
Hæc y* fatis ad juvenem, quem nobis fama ſuperbum
Tradit, & inflatum, plerúmque Nerone propinquo;

Rarus enim fetmè ſenſus z* communis in illa
Fortuna. Sed te a* cenſeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, ſic ut nihil ipſe futuræ
Laudis agas; miſerum eſt aliorum b* incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis;
Stratus humi c* palmes d* viduas deſideret ulmos,
Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguæ ſi quando citabere teſtis,
Incertæque rei: e* Phalaris licèt imperet, ut ſis
Falſus, & udmoto dictet perjuria tauro;
Summum crede nefas f* animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere g* cauſas.
Dignus morte, perit, cœnet licèt oſtrea centum
h* Gaurana, & i* Coſmi toto mergatur ahcno.
k* Expectata diu tandem provincia cùm te
Rectorem aceipiet, pone iræ frena, modûmque,
Pone & avaritiæ; miſerere inopum ſociorum:
l* Oſſa vides Regum vacuis exhauſta medullis.
Reſpice, quid moneant leges, quid Curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quam m* fulmine juſto
Et Capito, & Numitor ruerint, damnante Senatu,
Piratæ Cilicum, Sed quid damnatio confert,
Cùm n* Panſa eripiat, quidquid tibi o* Nattus reliquit?
Præconem, p* Chærippe, tuis circumſpice pannis;
Jamque tace: q* furor eſt poſt omnia perdere naulum.
r* Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum, ſociis florentibus, & modò victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat acervus
Nummorum, s* Spartana chlamys, t* conchylia *Coa*,
Et eum u* Parrhaſii tabulis, ſignisque, x* Myronis,
Phidiacum vivebat ebur, nec non y* Polycleti
Multus ubique labor; raræ ſinè z* Mentore menſæ.
a* Inde Dolabella eſt, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres: referebant navibus altis
Occulta ſpelia, & plures de pace b* triumphos.
Nunc ſociis juga pauca boum, grex parvus equarum,
Et pater armenti capto eripietur agello;
Ipſi deinde Lares; ſi quod ſpectabile ſignum,
Si quis in ædicula Deus unicus; c* hæc etenim ſunt

Pro ſummis, nam ſunt hæc maxima. Deſpicias tu
Forſitan imbelles d* Rhodios, unctámque Corinthum:
Horrida vitanda eſt Hiſpania, Gallicus axis,
Illyricúmque latus; parce & e* meſſoribus illis,
Qui ſaturant Urbem, Circo, ſcenæque vacantem,
Quanta autem f* índe feres tam diræ prædia culpæ,
Cùm tenues nuper Marius diſcinxerit Afros;
Curandum in primis, ne magna iniuria fiat
Fortibus, & miſeris; tollas licèt omne, quod uſquam eſt
Auri, atque argenti, ſcutum, gladiúmque relinques,
Et jacula, & galleam; ſpoliatis arma ſuperſunt.
Quod modo propoſui, non eſt g* ſententia; verùm
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi ſancta cohors comitum; ſi nemo h* tribunal
Vendit i* Acerſecomes, ſi nullum in k* conjuge crimen,
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licèt à l* Pico numeres genus; atque ſi te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipſúmque Promethea ponas:
De quocunque voles proavum tibi ſumito libro.
m* Quòd ſi præcipitem rapit ambitus, atque libido;
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine; ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures;
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas, n* claráque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.
Quò o* mihi te? ſolitum falſas ſignare p* tabellas,
In templis, quæ fecit avus, ſtatuámque parentis
Ante triumphalem? q* quò? ſi nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres, atque oſſa, volucri
Carpento rapitur pinguis r* Damaſippus, & ipſe,
Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine s* Conſul:
Nocte quidem; ſed Luna videt, ſed ſydera teſtes.
Intendunt oculos. t* Finitum tempus honoris
Cùm fuerit, clarâ Damaſippus luce flagellum
Sumet, & occurſum nuſquam trepidabit amici

Jum u* ſenis; ac virgâ prior x* innuet, atque y* manipl
Solvet. & infundet jumentis hordea laſſis.
Interea dum z* lanatas, torvúmque juvencum,
More Numæ cædit Jovis ante altaria, jurat
Hipponam, & facies olida ad præſepia pictas.
Sed cùm pervigiles placet a* inſtaurare popinas;
Obvius aſſiduo b* Syrophœnix udus amomo
Currit. c* Idumeæ Syrophœnix incola portæ;
Hoſpitis d* affectu dominum, regémque ſalutat;
Et cum venali Cyane ſuccincta lagena.
e* Defenſor culpæ dicet mihi: Fecimus & nos
Hæc juvenes. f* Eſto; desiſti nempe, nec ultra
Foviſti errorem. Breve ſit. quod turpiter audes;
Quædam cum prima reſecentur crimina barba.
Indulge veniam pueris; Damaſippus ad illos
Thermarum calices, inſcriptáque g. linea vadit
Maturus h* bello Armeniæ, Syriæque, tuendis
Amnibus, & Rheno, atque Iſtro; præſtare Neronem
Securum valet hæc ætas. i* Mitte oſtia, Cæſar,
Mitte; ſed in magna legatum quære popina.
Invenies aliquo cum percuſſore jacentem,
Permiſtum nautis, aut furibus, aut fugitivis.
Inter carnifices, & fabros fandapilarum,
Et reſupinati ceſſantia tympana Galli;
Æqua ubi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam. nec menſa remotior ulli.
Quid facies talem ſortitus *k, Pontice, ſervum?
Nempe in Lucanos, aut Thuſca ergaſtula mittas.
At vos l* Trojugenæ vobis ignoſcitis, & quæ
Turpia m* cerdoni, n* Voleſos, Brutósque decebunt.
Quid, ſi nunquam adeò ſœdis, adeóque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora ſuperſint?
Conſumptis opibus vocem, o* Damaſippe, locâſti
Sipario, clamoſum ageres ut p* Phaſina Catulli.
Laureolum q* velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, dignus verâ cruce. r* Nec tamen ipſi
Ignoſcas populo; populi frons durior hujus,
Qui ſedet, & ſpectat triſcurria Patriciorum,

r* Plan

s* Planipedes audit Fabios, ridere poteſt qui
t* Mamercorum alapas. u* Quanti ſua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant x* Celſi prætoris vendere ludis.
y* Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone:
Quid ſatius? Mortem ſic quisquam exhorruit, ut ſit
Zelotypus Thymeles, ſtupidi collega Corinthi?
z* Res haud mira tamen, citharœdo Principe, minus
Nobilis. Hæc ultra, quid erit niſi ludus? a* Et illud
Dedecus Urbis habet: nec Mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce ſupina,
(Damnat enim tales habitus, & damnat, & odit)
Nec galea frontem abſcondit: movet ecce tridentem;
Poſtquam libratâ pendentia retia dextrâ
Nequidquam effudit, inudum ad ſpectacula vultum
Erigit, & totâ fugit agnoſcendus arenâ.
b* Cedamus tunicæ, de faucibus aurea cùm ſe
Porrigit, & longo jactetur ſpira galero.
Ergo c* ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere, cum Graccho juſſus pugnare Secutor.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus ſupplicio non debuit una parari
d* Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.
Par e* Agamemnonidæ crimen; ſed cauſa facit rem
Diſſimilem: quippe ille, Deis auctoribus f* ultor
Patris erat cæſi media inter pocula: ſed nec
Electræ g* jugulo ſe polluit, aut h* aut Spartani
Sanguine conjugii: i* nullis aconita propinguis
Miſcuit: k* in ſcena nunquam cantavit Oreſtes,
Troica non ſcripſit. Quid enim l* Virginius armis
Debuit ulciſci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid m* Nero tam ſæva, crudáque tyrannide fecit?
Hæc opera, atque hæ ſunt generoſi Principis artes,
Gaudentis fœdo n* peregrina ad pulpita ſaltu
Proſtitui, Grajæque o* apium meruiſſe coronæ.
Majorum p* effigies habeant inſignia vocis:
Ante pedes Domiti, longum tu pone q* Thyeſtæ

Syrma, vel Antigones, ſeu perſonam Menalippes?
Et de r* marmoreo citharam ſuſpende coloſſo.
Quis Catilina, tuis natalibus, atque Cathegi
Inveniet quicquam ſublimius? arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus, templiſque parâſtis,
Ut s* Braccatorum pueri, Senonúmque minores;
t* Auſi, quod liceat tunicâ punire moleſtâ;
Sed vigilat u* Conſul, vexilláque veſtra coërcet.
Hic novus Arpinas, ignobilis, & modò Romæ
Municipalis Eques, galeatum ponit ubique
Præſidium attonitis, & in omni x* gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis, & tituli, quantum non y* Leucade, quantum
Theſſaliæ z* campis Octavius abſtulit, udo
Cædibus aſſiduis gladio; ſed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
a* Arpinas alius Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere b* mercedes, alienò laſſus aratrò:
Nodoſam poſt hæc frangebat vertice c* vitem,
Si lentus pigrâ muniret caſtra dolabrâ.
Hic tamen, & Cimbros, & ſumma pericula rerum,
Excipit, & ſolus trepidantem protegit Urbem.
Atque adeò, poſtquam ad Cimbros, ſtragémque volabant
Qui nunquam attigerant d* majora cadavera, corvi,
Nobilis ornatur laurò collega e* ſecunda.
Plebejæ f* Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro toris legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni pube Latina,
Sufficiunt Diis infernis, terræque parenti;
Pluris enim Decii, quàm qui ſervantur ab illis.
g* Ancillâ natus trabeam, & diadema Quirini,
Et faſces meruit, Regum h* ultimus ille bonorum.
Prodita i* laxabant portarum clauſtra Tyrannis
Exulibus juvenes ipſius Conſulis, & quos
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
Quod miraretur cum k* Coclite Mutius, & quæ
Imperii l* fines Tiberinum virgo natavit!
m* Occulta ad Patres produxit crimina ſervus

n* Maronis lugendus: at illos verbera juſtis
Afficiunt pœnis, & legum prima ſecuris.
Malo pater tibi ſit o* Therſites, dummodo tu ſis
p* Æacidæ ſimilis, q* Vulcaniáque arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.
Et tamen, r* ut longè repetas, lóngéque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis s* aſylo:
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere t* nolo.

a* *Longo ſanguine.* Antiqua majorum ſerie. b* *Pictos.* Majorum imagines in atriis locari ſolitas. c* *Stantes.* Statuas Scipionis Æmiliani. d* *Dimidios.* Præ vetuſtate. e* *Humeris.* Temporis diuturnitate humeris truncatos. f* *Tabula.* Quid n ampla tabula deſcriptam, virga monſtrante oſtentas ſeriem majorum tuorum inde à Valerio Corvino. g* *Lepidis.* coram ſtatuis Æmilii Lepidi ſanctiſſimi Viri. h* *Ante Numantinos.* Si ante Scipionis ſtatuam totam noctem aleis ludas, & primò manè cubitum concedas? i* *Allobrogicis.* Titulis, quos Fabius maximus obtinuit. k* *Ara.* Herculis, cujus ſacra Fabiæ familiæ erant hæreditaria. l* *Euganea.* Euganei circa Patavium erant: ibi molliſſimæ ovium lanæ. Pro effœminato ſumitur. m* *Squalentes.* Præ vetuſtate deformatæ. n* *Emptorque.* Si flagitioſus, & veneficus meretur, ut ipſius imago confringatur. o* *Paulus, &c.* Notæ integritatis Viri. p* *Hos.* Mores illorum plus æſtima quàm ſtatuas. q* *Præcedant.* Mores integri magis te commendent, quàm faſces Conſulares. r* *Prima.* Si vis à me nobilis æſtimari. s* *Sanctus.* Si juſtus, ſanctúsque fueris, agnoſco te ut vel Getulicum, vel alio claro ſanguine natum. t* *Oſiri.* Invento Deo ſuo Oſiri exclamârunt Ægyptii *Invenimus, invenimus.* u* *Quis enim.* Nobilem dicat, &c. x* *Nanum.* Uti joci causâ Nanum Atlantem, vel Gigantem nominamus. y* *Europen.* Proceram, & formoſam, & Jove dignam. z* *Canibus pigris.* Joci causâ canes ſcabioſos, debiles, tardos, Tygres, &c. vocamus. a* *Ergo.* Cave, ne tu hoc ironico ſenſu Marcellus, &c. habearis. b* *His ego.* Cui autem hoc dico? tibi Rubelli Plance. c* *Tumes.* Superbus es, quia à Druſis ortus, & à Julia matre natus. d* *Non quæ.* Non de pleheja aliqua, quæ ſub dio, mercede conducta telam texit. e* *Vos humiles.* Verba ſunt Rubellii. f* *Cecropides.* E prima Juliorum familia, uti Cecropis nepotes Athenis pro nobiliſſimis habebantur. g* *Vivas.* Ironicè Poëta reſpondet. h* *Togata.* De infima plebe invenies juris peritiſſimos. i* *Euphratem.* Alius de plebe

plebe ima bello eſt egregius. k* *Herma.* Statuæ, queis nihil caput. l* *Teucrorum.* Dic Rubelli, qui Julium à Trojanis ductum, ſtemma jactas. m* *Volucrem.* Celerem. n* *Palma.* facilè, & ſæpè alios equos curſu vincit. o* *Victoria.* Et cui pulus in Circo victoriam gratulatur effusè. p* *Nobilis.* No hic equus habetur, è quocunque agro, vel paſcuo veniat. *Primus.* Qui antecurrendo primus pulverem excitat. r* *venale.* Contrà equi generoſiſſimâ equâ Corytho à Poëtis cele tâ, & laudatiſſimo equo Hirpino nati, nihili æſtimantur, vili tio venales ſunt, ſi rarò in curſu vicerint. s* *Mutare.* Levi venduntur. t* *Epirhedia.* Vehicula. u* *Nepotis.* Nomen mulionis. x* *Ergo.* Ipſe fac aliquid, ut te, non majores tuos dare poſſimus. y* *Fatis hæc.* Hæc Rubelli obiter ſint dicta. *Communis.* Rarum eſt ſapere in magnis opibus, quales Ru lius habui. a* *Conſeri.* Nobilem æſtimari tantùm à tuis, ſi nihil ipſe agas. b* *Incumbere.* Inniti, ùt domus columnis citur. c* *Palmes.* Ut palmes, ſeu vitis, ab ulmo, cui nititur, parata humi jacet. d* *Viduas.* A vite ſeparatas. e* *Phal* Etſi tyrannus ignitum bovem minetur, nï pejeres. f* *Anim* Vitam. g* *Cauſas.* Virtutem, honeſtatem. h. *Gaurana.* L na, nam penes hunc lacum optimorum oſtreorum feracem mons Gaurus. i* *Coſmi.* Famoſus Romæ unguentarius. Lic vas unguentis optimis plenum mergatur. k* *Expectata.* Cum Provin iam veneris. l* *Oſſa.* Reges à Prætoribus ità exhau ut pene oſſibus hæreant. m* *Fulmine.* Sententia, ac pœna, Capito, & Numitor ob Ciliciam Provinciam turpiſſimè ſpolia affecti. n* *Panſa.* Succeſſor. o* *Natta.* Præceſſor: uterque pax. p* *Charippe.* Fictum nomen cujusdam Socii. Vende pannos, tuam ſupellectilem, ut ex redacta inde pecunia à Pr ti injuriis te defendas. q* *Furor eſt.* Tace, nec ad eum ſandum Romam naviga. Namque, & naulum perdes, nec quam recuperabis. r* *Non idem.* Provinciales recens victi ità ſentiebant rapacitatem Prætorum, cum multis ablatis, adhuc ſupereſſent. s* *Spartana.* Purpura Tænariis muricibus &c. t* *Conchylia.* Delicata veſtimenta conchyliis in Co baptis tincta. u* *Parhaſii.* Picturæ pretioſiſſimæ. x* *Myro* Celeberrimi ſtatuarii ſigna. y* *Polycleti.* Item ſummi ſculpto & Phydiæ ebuineæ ſtatuæ. z* *Mentore.* Sive Mentoris ſtatu opera. a* *Inde Dolabella.* Hic quod Aſiam, Antonius quod A jam, Verres quod Siciliam deprædatus eſſet, damnati ſunt. b* *umphos.* Plura ſpolia ab amicis, quàm magni Duces à victi ſtibus. c* *Hæc enim.* Etſi vilia, tamen toties ſpoliatis m erant. d* *Rhodios.* Forſan ô Præter contemnis Rhodios ut vos; Corinthios, ut unguentis fluentes, & ideò rapacitati

pportuniores; ſed cave ſpolies Hiſpanos, Gallos, Illyros. e* *Meſſoribus.* Affros intelligit, unde frumenti plurimum Romam dvehebatur, ludis Circenſibus, & ſcenicis intentam. f* *Quanta.* Quid rapies Affris nuper à Mario Procons Tam acuratè ſpolia-is, & veluti diſcinctis? g* *Sententia.* Inanis ſententiola. ſed tam era, quàm Sybillarum oracula. h* *Tribunal.* Corruptus pecu-iâ ſententiam iniquam extorquet. i* *Acerſecomes.* Vox Græca, quæ intonſum ſignificat. Hìc veèò aulicum, & amicum aliquem, præfecto charum. k* *In Conjugio.* Conjuges ſæpè Præfectis ipſis apaciores, quæ velut Harpyiæ avaritia ſua omnia, & mariti fa-iam inquinabant. l* *A Pico.* Fuit is Saturni filius, Fauni pa-er, primus Aborigioum Italorum. Senſus: Si præfectura Provin-iali tam innocenter fungeris, permitto tibi, ut te cuilibet vel ntiquiſſimæ familiæ inſeras, vel Gigantum, ac Promethei nepo-em vendites. m* *Quod ſi.* Contra ſi avarus, libidinoſus, in ſo-ios crudelis. n* *Nobilitas.* Ipſa tui nominis claritudo flagitia ua magìs illuſtrabit. o* *Quò mihi te?* Quid mihi te nobilem ctas, qui ſoles, &c. p* *Tabellas.* Qui in ipſis Templis per tuos majores conditis falſa teſtamenta, aliaque inſtrumenta ſcribis. q* *Quo?* Quid? tu nobilis? Si noctu ad adulteria committenda do-mo prodeas, cucullo Santonico caput tectus, nempe capitis tegu-mento è rudi panno, quem Santones in Gallia conficiebant. r* *Damaſipus.* Nobilis quiſpiam auriga artem exercens, quales mul-ti tempore Neronis fuerant. s* *Conſul.* Licèt Conſul ſit, rotas ſui currûs, ne nimiùm procurrant, adhibito ſufflamine retinet. ufflamen eſt illud retinaculum, quod per radios rotarum immiſ-um currum ſiſtit. t* *Finitum.* Conſulatu finito apertè aurigam get. u* *Senis.* Nihil verecundans ad occurſum gravis Senatoris. x* *Innuet.* Flagellum quatiet. y* *Manipios.* fænum apponet. z* *Lanatas.* Dum ove, & tanto ſignificat more à Numa inſtitu o, ipſe per Hipponam equorum, & mulionum Deam jurabit, ſéque ad ejus imagines vertet. a* *Inſtaurare.* Cùm Damaſipus intermiſſa urigatione repetit popinas. b* *Syrophœnix.* Unguentarius qui-am è Syria, unde odores, & unguenta. c* *Iduma.* Cujus do-inus prope portam Judæorum ſic dictam, quod eâ Titus trium-phans ingreſſus ſit. d* *Hoſpitis.* Humaniter, & blandè ſalutat. Cyane verò tabernaria, vini amphoram affert. e* *Defenſor.* Qui Damaſippum defendere volet. f* *Eſto.* Reſpondet Poëta, ità qui-dam, ſed tu errorem cum ætate emendâſti, non item Damaſipus jam Conſul ad popinas, quibus ſolebant apponi vela lintea, in quibus inſcribebantur res in taberna venales. h* *Maturus.* Ea ætate, ut aptus ſit ad tractanda bella in Armenia, &c. i* *Mitte.* Si tibi ô Cæſar opus eſt Legato, quem ex Oſtienſi portu aliò mit-tas, in popina quærendus erit, jacens inter ſordidiſſimos homi-

nes.

nes. k* *Sortitus.* Si talem ſervum haberes, eum in duriſſima er gaſtula compiegeres. l* *Trojugenæ.* Nobiles Romani. m* *Cer doni.* Sutori veteramentario. n* *Voleſos.* Valerios, & Brutos nobiliſſimum quemque. o* *Damaſippe.* Hiſtrionem agere inſti tuis poſt ſcenæ ſiparium. p* *Phaſma.* Nomen erat Comœdia à Catulo quodam compoſitæ. q* *Laureolum.* Perſonam cujuſdam ſervi, ſic dicti, qui in Comœdia cruci affigebatur. r* *Nequ men.* Senſus eſt: arguendi quidem hi degeneres nobiles, ſed po pulus magis, qui talia dedecora laudet, & plauſu probet facta No bilium adeò ſcurilia. s* *Planipedes* Fabiorum è gente quemp am ſinè cothurno actorem. t* *Mamercorum.* Mamercum in ſc ſervulum agentem, & colaphis acceptum. u* *Quanti.* Invehi tur in nobiles, qui mercede propoſita gladiatores agunt, & vitam veluti vendunt, à nullo tyranno coacti. x* *Celſi.* Is dum Præto y* *Fingo.* Dubium, quæ ars turpior, ſcenica? ae gladiatoria Videtur tamen minus turpe gladiatorem agere, etſi cum mortis pe riculo, quàm agere Hiſtrionem, qualis eſt Corinthus: & agere pe ſonam Latini Mimi, zelotypiâ uxoris ſuæ Thymecles laborare ſe fingat. z* *Res baud.* Sub Nerone, qui ipſe aurigam, Cythæ dum, gladiatorem agebat, hoc mirum non erat, at nunc ſub Tro jano ludus ſit denique. a* *Et illud.* Eſt & aliud urbis dedecus, gente quempiam Mirmillonem agere, cum clypeo, falce, tridente ſeu fuſcina, & reti, idque aperte, nudóque vultu, ut agnoſci poſſit b* *Cedamus.* Verba ſunt Mirmillonis: cedamus, effugere ſinamus nobilem retiarium, ut ex pretioſiore ejus tunica, & ornatiore g lero colligo. c* *Ignominiam.* Quia exploſus fuit à populo, quod retiarium effundere ſiviſſet, quem interficere debebat. d* *Simil* Supplicium parricidarum. d* *Agamemnonide.* Oreſtis, Agame mnonis, & Clytemneſtræ filii. f* *Ultor.* Ægyſtum adulterum, & matrem occidit, ad ulciſcendam patris mortem. g* *Electra.* So rorris ſuæ, ut Nero Britannici fratris. h* *Spartani.* Nec Hermio nem uxorem, Menelai filiam, ut Nero uxores Octaviam, Anto niam, Popæam occidit. i* *Nullis.* ut Nero, Britannico, & Domi tiæ amitæ. k* *In ſcena.* Ut Nero, qui res Trojanas ſeripſiſſe credi volebat. l* *Virginius.* Hi tres Neronem conſpiratione facta ſu ſtulêre. m* *Quid Nero.* Quid enim toto Principatûs ſui tempo re? Hæc ſunt opera egregii Principis? Cytharædus erat, ſaltator, &c. n* *Peregrina.* Neapoli, & in Græcia in ſcena ſaltavit. o* *Apio.* Præmium erat ejus, qui cythara vinceret apud Græcos. p* *Majorum.* O Nero! duces alii triumphorum ſuorum inſignia ma jorum ſtatuis affigunt, tu apium, vocis nempe, & cantûs præmium ſtatuis Domitii, Neronis patris, & avi tui affiges. q* *Thyeſtæ* Veſtem longam, cùm in ſcena Thyeſtem ageret, vel Antigonem, vel Menalipen. r* *Marmoreo.* Cytharam ab Judicibus ad ſe delatam ad

ad ingentem, quam erexerat, Auguſti ſtatuam deferri juſſit Nero. s* *Braccatorum.* Quaſi eſſetis filii, aut Nepotes Gallorum, non Romanorum. t* *Auſi.* Incendiarii, ac alii facinoroſi tunicâ induebantur è ſtupa, canabe, ſevo, ſulphure, bitumine illiata, & ità cremabantur. u* *Conſul.* Cicero. x* *Gentes.* Populos intra, & extra Italiam omnes excitat. y* *Leucade.* Inſula eſt non procul Actio, ubi debellavit Auguſtus. z. *Theſſaliæ.* Ad Philippos, ubi Brutus, & Caſſius cæſi. a* *Arpinas,* C. Marius. b* *Poſcere.* Pauper erat agricola, dein gregarius miles. c* *Vitem.* Bacilum è vite gerebant Centuriones, quò milites caſtigarent. In Marii capite tum gregarii militis fracta fuit vitis, ſi in muniendis caſtris pigrior eſſet. d* *Majora.* Cimbri proceris ferè corporibus erant. e* *Secundâ.* Catulus etſi nobilis, ſecundò tantùm locò poſt Martium triumphavit de Cimbris. f* *Deciorum.* Decii pater, & filius, qui ſe pro patria devovêre, plebeii erant, g* *Ancilla nata.* Servius Tullius matre captiva natus. h* *Ultimus.* Secutus eſt enim Tarquinius ſuperbus. i* *Prodita.* Senſus eſt: Filii ipſius Bruti, quos pro dubia adhuc libertate maximè pugnare opportuiſſet, per proditionem, volebant exulibus Tranquiniis portas Romæ aperire. k* *Coclites.* Horatio, qui vim hoſtium ſolus in ponte ſuſtinuit. l* *Imperii fines.* Clælia, quæ Tyberim, quò tum ab hoſte diſterminabeetur, tranavit. m* *Occulta.* Brutorum conſpirationem ſervus detexit. n* *Matronis.* Quæ Bruti mortem toto anno fleverunt. o* *Therſites.* Omnium Græcorum turpiſſimus, & ignaviſſimus. p* *Æacidæ.* Achili omnium fortiſſimo. q* *Vulcania.* Et arma tractes ùt Achilles ſua à Vulcaeo fabricata. r* *Ut longè.* Ut antiquiſſimo genere ſis. s* *Aſylo.* Quod Romulus omnibus ſceleratis aperuit. t* *Nolo.* Latro, ſicarius, homicida.

SATYRA X.

Hominum Vota.

OMnibus in terris, quæ ſunt (a) à Gadibus uſque
Auroram, & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona, atque illis multùm (b) diverſa; remotâ
Erroris nebulâ: quid enim (c) ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam (d) dextro pede concipis, ut te
Conatûs non pœniteat, votíque peracti?
(e) Evertêre domos totas optantibus ipſis
Dii faciles. Nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ; (f) torrens dicendi copia multis,

Et

Et ſua mortifera eſt facundia: (g) viribus ille
Confiſus periit, admirandiſque lacertis.
Sed plures nimiâ congeſta pecunia curâ
Strangulat (h), & cuncta exuperans patrimonia (i) cen-
ſus,
Quantò delphinis balæna Britannica major.
Temporibus (k) diris igitur, juſſúque Neronis,
Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clauſit, & egregias Lateranorum obſidet ædes
Tota cohors. (l) Rarus venit in cœnacula miles.
Pauca licèt portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus, gladium, contúmque timebis,
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.
(m) Prima ferè vota, & cunctis notiſſima templis,
Divitiæ ut creſcant, & opes, ut maxima toto
Noſtra ſit arca foro; ſed nulla aconita bibuntur
(n) Fictilibus; tunc illa time, cùm pocula ſumes
Gemmata, & lato (o) Setinum ardebit in auro.
(p) Jámne igitur laudas, quod de ſapientibus alter
Ridebat, quoties à limine moverat unum,
Protulerátque pedem; flebat contrarius alter?
Sed (q) facilis cuivis rigidi cenſura cachinni;
Mirandum eſt, unde ille oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus, (r) quanquam non eſſent urbibus illis
Prætexta, & trabeæ, faſces, lectica, tribunal.
Quid, ſi vidiſſet Prætorem (s) curribus altis
Extantem in medio ſublimem in pulvere Circi,
In tunica Jovis, & pictæ (t) Sarrana ferentem
En humeris aulæa togæ, (u) magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non ſufficit ulla?
Quippe (x) tenet ſudans hanc publicus, & (y) ſibi Con-
ſul
Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.
(z) Da nunc & volucrem, ſceptro, quæ ſurgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, (a) & niveos ad fræna Quirites,
Defoſſa in loculis quos (b) ſportula fecit amicos.

(c) Tunc

[c] Tunc quoque materiam risûs invenit ad omnes
Occursus hominum; cujus prudentia monstrat
Summos posse viros, & magna exempla daturos,
[d] Vervecum in patria, crassóque sub aëre nasci.
Ridebat curas, nec non, & gaudia vulgi.
Ergo supervacua hæc, aut pernitiosa petuntur
Propter quæ fas est genua [e] incerare Deorum.

Quosdam præcipitat subjecta potentia magnæ
Invidiæ; mergit longa, atque insignis honorum
[f] Pagina: [g] descendunt statuæ, restémque sequuntur.
[h] Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, immeritis franguntur crura (i) caballis:
Jam strident ignes, jam follibus: atque caminis
Ardet [k] adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus; deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.
[l] Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum,
[m] Cretatúmque bovem; Sejanus ducitur [n] unco
Spectandus; gaudent omnes. [o] Quæ labra? quis illi
Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis amavi
Hunc hominem; sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis, quo teste probavit?
Nil horum; ventosa, & grandis epistola venit
[p] A Capreis. Bene habet, nil plus interrogo; sed quid
[q] Turba Remi? Sequitur fortunam, ùt semper, & odit
Damnatos. Idem populus, si [r] Nurtia Thusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum. Jam pridem, [s] ex quo suffragia nulli
Vendimus, effugit curas. Nam (t) qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantúm res anxius optat,
Panem, & Circenses. (u) Perituros audio multos,
Nil dubium; magna est (v) fornacula: (x) pallidulus mi
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram;
(y) Quàm timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,
Ut malè defensus! curramus præcipites, &
Dum jacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.
(a) Sed videant servi, ne quis neget, & pavidum in jus

Rbet.

Cervice aſtrictâ dominum trahat. Hi ſermones
Tunc de Sejano, ſecreta hæc murmura vulgi.
Viſne ſalutari, ſicut Sejanus? habere
Tantumdem? atque [b] illi ſellas donareCurules,
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis, auguſtâ Caprearum in rupeſedentis
Cum grege [c] Chaldæo? [d] Vis certé pila, cohortes,
Egregios Equites, & caſtra domeſtica: quid nî
Hæc cupias? & qui nolunt occidere quemquam,
Poſſe volunt, [d] Sed quæ præclara, & proſpera tanti,
Ut rebus lætis par ſit menſura malorum
Hujus, qui [f] trahitur, prætextam ſummere mavis,
An [g] Fidenarum, Gabiorúmque eſſe poteſtas,
Et de [h] menſura jus dicere? vaſa minora
Frangere [i] pannoſus vacuis Ædilis Ulubris?
Ergo, quid optandum foret, ignorâſſe fateris
Sejanum; nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes numeroſa parabat
Excelſæ turris [k] tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.
Quid Craſſos, quid Pompejos evertit, [l] & illum,
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnáque numinibus vota exaudita [m] malignis.
Ad (n) generum Cereris ſinè cæde, & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.

Eloquium, ac famam Demoſthenis, aut Giceronis,
Incipit optare, & totis (o) Quinquatribus optat
Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe (p) Minervam:
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula (q) capſæ,
Eloquio ſed uterque perit orator; (r) utrumque
Largus, & exundas letho dedit ingenii fons:
Ingenio manus eſt, & cervix cæſa; nec unquam
Sanguine cauſidici maduerunt Roſtra (s) puſilli.
O fortunatam natam me Conſule Romam!
Antoni (t) gladios potuit contemnere, & ſi ſic
Omnia dixiſſet: ridenda poëmata malo,
Quam te conſpicuæ divina (u) Philippica famæ;
Volveris à prima quæ proxima. Sævus & illum

Exitus

Exitus eripuit, quem (v) mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem (x) fræna theatri,
Diis (y) ille adverſis genitus, fatóque ſiniſtro,
Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladióſque parante
Incude, & luteo Vulcano, ad Rhetora miſit.
(a) Bellorum exuviæ, truncis affixa (b) trophæis
Lorica, & fracta de caſſide bucula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Apluſtre, & ſummo triſtis, (c) captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur: ad hæc ſe
Romanus, Grajúſque, ac Barbarus (d) Induperator
Erexit; cauſas diſcrimnis, atque labotis
(e) Inde habuit. Tantò major famæ ſitis eſt, quam
Virtutis! quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas? Patriam tamen (f) obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, titulíque cupido
Hæſuri (g) ſaxis cinerum cuſtodibus; ad quæ
Diſcutienda valent ſterilis mala robora (h) ficûs:
Quandoquidem data ſunt ipſis quoque fata ſepulchris.
Expende i) Hannibalem; quot libras in duce ſummo
Invenies? hic eſt, quem non capit Africa, Mauro
Perfuſa Oceano, Nilóque admota tepenti.
Rurſus ad Æthiopum populos, aliósque elephantos,
Additur imperiis Hiſpania; Pyrenæum
Tranſilit; oppoſuit natura Alpémque, nivémque;
Diducit ſcopulos, & montem rumpit aceto;
Jam tenet Italiam, tamen pergere tendit;
Actum, inquit nihil eſt, niſi pœno milite (k) portas
Frangimus, & mediâ vexillum pono (l) Suburrâ.
(m) O qualis facies, & quali digna tabella,
Cúm Getula ducem portaret bellua luſcum!
Exitus ergo quis eſt? ô gloria! (n) vincitur idem
Nempe, & in exilium præceps fugit; atque ibi magnus,
Mirandúſque cliens ſedet ad prætoria (o) Regis,
Donec Bithyno libeat vigilare Tyranno.
(p) Finem animæ, quæ res humanas miſcuit olim
Non gladii, non ſaxa dabunt, non tela, ſed ille
Cannarum vindex, ac tanti ſanguinis ultor

Annulus. I demens, & ſævas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, & (q) declamatio fias.
Unus (r) Pellæo juveni non ſufficit orbis;
Æſtuat infelix auguſto limite mundi,
Ut (s) Gyaræ clauſus ſcopulis, parváque Seripho:
Cúm tamen (t) à figulis minutam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. *Mors ſola fatetur*
Quantula ſint hominum cerpuſcula. Creditur olim
Velificatus (u) Athos & quidquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria; conſtratum claſibus iiſdem,
Suppoſitúmque rotis ſolidum mare: credimus altos
Defeciſſe amnes, epotáque flumina Medo.
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.
Ille tamen qualis rediit (x) Salamine relicta?
(y) In Corum, atque Eurum ſolitus ſævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere paſſos?
Ipſum compedibus qui vinxerat (z) Ennoſigæum?
(a) Mitius id fanè, quòd non & ſtigmate dignum
Credidit: huic quiſquam vellet ſervire (b) Deorum?
Sed qualis rediit? nempe una nave cruentis
Fluctibus, ac tardâ per denſa cadavera prorâ;
Has toties optata exegit gloria pœnas.
(c) Da ſpatium vitæ, multos da Jupiter annos;
Hoc recto vultu, ſolúm hoc & (d) pallidus optat.
Sed quam continuis, & quantis longa ſenectus
Plena malis? deformem, tetrum ante omnia vultum,
Diſſimilémque ſui, deformem pro cute pellem,
Pendentéſque genas, & tales aſpice rugas,
Quales, imbriferos ubi pandit (e) Tabracha ſaltus,
In vetula ſcalpit jam mater ſimia bucca.
Plurima ſunt (f) juvenum diſcrimina: pulchrior ille
Hoc, atque ille alio; multùm hic robuſtior illo;
Una ſenum facies; cum voce trementia labra,
Et jam læve caput, madidique infantia naſi.
Frangendus miſero gingivâ panis inermi;
Uſque adeò gravis uxori, gnatíſque, ſibique,
Ut (g) captatori moveat faſtidia oſſo.
Quid (h) refert, magni ſedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat, atque tubarum

Cor

Concentus? clamore opus eſt, ut ſentiat auris,
Quem dicat veniſſe puer, quod nuntiet horas.
Præterea minimus gelido jam corpore ſanguis
Febre cale: ſola: circumſilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras,
Quot (k) Themiſon ægros autumno occiderit uno,
Percurram citiùs; quod villas poſſideat nunc,
Quo (l) tondente gravis juveni mihi barba ſonabat.
(m) ille humero, hic lumbis, hic coxâ debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luſcis invidet: hujus
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis;
Ipſe ad conſpectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiat tantùm, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni
Membrorum damno major (n) dementia, quæ nec
Nomina ſervorum, nec vultum agnoſcit amici.
(o) Ut vigeant ſenſus animi; ducenda tamen ſunt
Funera gnatorum; rogus aſpitiendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæque ſororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus ut renovata
Semper clade domûs, multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & nigra veſte ſeneſcant.
(p) Rex Pylius, magno ſi quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit (q) a cornice ſecundæ;
Felix nimirum, qui tot per ſæcula mortem
Diſtulit atque ſuos jam dextrâ computat annos,
Quique novum toties (r) muſtum bibit; oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipſe queratur
Fatorum, & nimio de ſtamine, cùm videt acris
Antilochi (s) barbam ardentem; cùm quærit ab omni,
Quiſquis adeſt, ſocio, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiſerit ævo.
Hæc eadem Peleus, raptum cum luget Achillem;
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Trojâ (v) Priamus veniſſet ad umbras
Aſſaraci, magnis ſolemnibus, (z) Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lachrimas, ut primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſâque Polyxena pallâ,
Si foret extinctus diverſo tempore, quo jam

Cœpe

Cœperat (a) audaces Paris ædificare carinas.
(b) Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam, ferróque cadentem.
Tunc (c) miles tremulus positâ tulit arma tiarâ,
Et ruit ante aram summi Jovis, ùt vetulus bos,
Qui domini cultris tenue, & miserabile collum
Præbet, ab ingrato jam fastiditus aratro.
Exitus (d) ille utcumque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.
Festino ad (e) nostros, & Regem transeo (f) ponti,
Et (g) Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitiæ.
Exilium, (h) & carcer, Minturnarúmque paludes,
Et mendicatus victâ Chartagine panis,
Hinc causas habuêre. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma (i) beatius unquam?
Si circum ducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompa, animam exhalâsset opimam,
Cùm de Teutonico vellet descendere curru?
(k) Provida Pompejo dederat Campania febres
(l) Optandas; sed multæ urbes, & publica vota
Vicerunt: igitur fortuna ipsius, & Urbis
Servatum victo caput abstulit. Hoc (m) cruciatu
Lentulus, hác pœna caruit; ceciditque Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, majore puellis
(n) Murmure, cùm Veneris fanum videt auxia mater
Usque ad (o) delicias votorum. (p) Cur tamen, inquit,
Corripias? pulchrâ gaudet Latona Dianâ.
(q) Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit; cuperet (r) Rutilæ Virginia (s) gibbum
Accipere, atque suum Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregii miseros, trepidósque parentes
Semper habet; rara est adeò concordia formæ,
Atque pudicitiæ! (t) sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas.
Præterea castum ingenium, vultúmque modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benigna
Larga manu (quid enim puero conferre potest (u) plus.

Custo-

Cuſto de, & curâ natura potentior omni;)
(x) Sed caſto quid forma nocet? (y) Quid profuit olim
Hyppolyto grave propoſitum; quid (z) Bellerophonti;
Erubuit nempe hæc, ceu faſtidita repulſo;
Nec Stenobæa minus, quam Craſſa excanduit, & ſe
(a) Concuſsère ambæ. Mulier ſævissima tunc eſt,
Cùm ſtimulos odio pudor admovet. (b) Elige quidnam
Suadendum eſſe putes, cui nubere Cæſaris uxor
Deſtinat; Optimus hic: & formoſissimus idem
Gentis Patriciæ, rapitur miſer extinquendus
Meſſallinæ oculis; dudum (c) ſedet illa parato
Flammeolo; Tyriùſque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies (d) centena dabuntur
Antiquo; veniet cum (e) ſignatoribus auſpex.
Hæc tu ſecreta, & paucis commiſſa putabas;
Non niſi (f) legitimè vult nubere (g) Quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum eſt h) ante lucernas;
Si ſcelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota urbi, & populo contingat Principis aures.
Dedecus ille domûs ſciet [i] ultimus: interea tu
Obſequere imperio, ſi tanti eſt vita dierum
Paucorum: (k) quidquid levius, meliúſque putaris,
Præbenda eſt Gladio pulchra hæc, & candida cervix.
Nil ergo optabunt homines? Si conſilium vis,
Permittes ipſis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebúſque ſit utile noſtris.
Nam pro jucundis, aptiſſima quæque dabunt Dii:
Carior eſt illis homo, quam ſibi. Nos animorum
Impulſu & cæcâ, magnâque cupidine ducti
Conjugium petimus, partúmque uxoris; at illis
Notum, qui pueri, qualiſque futura ſit uxor.
Ut tamen & poſcas aliquid, voveáſque ſacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci;
Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano;
Fortem poſce animum! & mortis terrore carentem;
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcunque labores;
Neſciat iraſci, cupiat nihil; & potiores
Herculis ærumnas credat, ſævóſque labores

Et venere, & cænis, & plumis Sardanapali.
Monſtro, quod ipſe tibi poſſis dare; ſemita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ,
Nullum (l) numen abeſt, ſi ſit prudentia; ſed nos,
Te facimus, fortuna, Deam; Cœlóque locamus.

a) *A Gadibus.* Nihil ultra tum Romanis cognitum erat b) *Diverſa.* Veris bonis oppoſita c) *Ratione.* Rationis ductu, & impulſu. d) *Dextro*, Tam felici omine, & conatu, e) *Everſère.* Dii indulgentes ſtultè peten ibus. f) *Torrens.* Quibuſdam ſuâ eloquentiâ nocet. g) *Viribus.* Ut Milo, qui quercum diducere volens, captus, & à feris diſcerptus eſt h) *Strangulat.* Exitio eſt. i) *Cenſus.* Reliquorum opes nà excedens, uti Balæna in Mari Britannico frequens, Delphinum, k) *Temporibus.* Neronis, cum nimiæ opes quibus is inhiabat, Senecæ, Caſſio Longino, & Plautio Laterno exitium creavêre. Cohorte immiſſa interfecti omnes. l) *Rarus.* Percuſſores in pauperum domos non mituntur. m) *Prima.* Prima diteſcendi cupiditas. n) *Fictilibus.* Pauperibus venenum non miſcetur. o) *Setinum.* Præſtantis notæ vinum. p) *Jamne.* Nonne jam meritò laudas Democritum, & Heraclitum, quorum alter ridendo, plorando alter ſtultâ hominum ſtudia damnabant. q) *Facilis.* Facile eſt cum Democrito ſemper ridere vitia. q) *Quamquam.* In urbe Abderâ, ubi natus Democritus, non erat idem luxus, & faſtus ac Romæ? non prætextæ, faſces, aliæque pompæ ridendæ. r] *In curribus.* Deſcribit Prætorem Ludos Circenſes moderantem, & triumphali veſte in curru ſublimem. s) *Sarranæ.* Purpureæ, Tyriæ. Tyrus olim Sacra. t) *Magnæque.* Tanti pendebis, cui ferendo vix caput ſufficiat. n) *Quipp.* Servus enim publicus coronam hanc ſuſtentabat à tergo triumphantis non ſinè multo labore, & ſudore. x) *Sibi.* Ne ſe efferat Conſul. y) *Da manu.* Aliud triumphantis inſigne, aquila eburnea ſceptri vertici impoſita. z) *Officia.* Amicos honoris causâ triumphantem comitantes. a) *Niveos.* Albis in veſtibus circa currum erant. b) *Sportula.* Quos ſæpè ſportula amicos fecit, in crumena triumphantis defoſſa. c) *Tunc quoque.* Democritus ridendi cauſas habuit. d) *Vervecum.* Democritus Abderæ natus eſt, urbe Thraciæ, ubi homines barbari, ac ſtupidi inſtar vervecum. e) *Incerare.* Candelis ad ſimulacra accenſis Deos conciliare. f] *Pagina.* Eorum honoribus, & titulis plurimis conſcripta. g] *Deſcenduut.* Damnatorum graviore crimine Nobilium ſtatuæ funæ injecto deturbabantur. h] *Ipſas deinde.* Frangebantur rotæ currûs triumphalis. i] *Caballis.* Ex ære fuſtis, currum triumphalem trahentibus. k] *Adoratum* Statua Seiani ærea, & ex illa conflantur res viliſſimæ. Fuit Seianus prima apud Tibe-

Tiberium gratia: poſt ignominioſè necatus. l) *Poſſe.* Verba ſunt populi Seiano inſultantis. m) *Cretatum.* Ito aliquis, & immolet in capitolio candidum bovem: nam. n) *Unco.* Unco in Gemonias ſcalas, ubi ſcelerati ſuplicio afficiebantur, trahitur. o) *Quæ labra.* Quam deformis, truculentus. p) *A Capreis* Uti in voluptatibus defoſſis erat Tiberius, venit ad Senatum epiſtola. q) *Turba Remi.* Romana fex. r) *Si Nurtia Thuſco.* Dea nurtia Volſinii in Hetruriæ oppido, Seiani patria præcipuè colebatur, ſi hæc ſenem Tiberium in ſuis latebris oppreſſiſſet. s) *Ex quo.* Adempta libertate, Comitiis ſublatis. t) *Qui.* Populus Romanus u) *Perituru.* Alter populi dialogiſmus inducitur: Audio inquit, multos Seiani causâ perituros. v) *Magna.* Ira Imperatoris admodum accenſa. x) *Pallidulus.* Brutidius ex amicis Seiani ad Martis fanum mihi obvius, pallidus videbatur. y) *Quam timeo.* Ne Tiberius malè ſe à Romanis defenſum exiſtimans, in omnes promiſcuè ſæviat, ùt furioſus Ajax in pecudes. a) *Sed videant.* Dum Seiani cadaver calcabimus, præſentes ſint noſtri Servi, ut teſtari poſſint, nec negare id à nobis factum. b) *Illi.* Cuipiam dare Magiſterium. c) *Chaldæo.*, Ariolis, & Mathematicis delectabatur Tiberius. d) *Vis pila.* Cupis certè dignitatem militarem, ut ille caſtra prætoriana in media urbe habebat. e) *Sed quæ.* Senſus eſt: quæ dignitas tanti, & tam optabilis eſt, ſi quantum boni, tantum etiam periculi habeat F. *Trahitur.* Qui unco rapitur ad Gemonias prætextam purpurâ togam. g) *Fidenarum.* Quam exigui oppiduli Magiſtratûs eſſe. h) *De menſura.* Ædilium erat, inquirere an juſte menſuræ, ac pondera eſſent venditoribus. l) *Frangere.* Senſus eſt: an non malles ædilis panno us, pauper, & Ulubris in miſerimo, ac prope deſerto Latii oppidulo eſſe, & ſi quæ vaſa minora juſtò eſſent, pro poteſtate confringere: k] *Tabulata.* Semper altiùs aſcendere volebat. l) *Et illum.* Julium Cæſarem, qui in Senatu interfectus eſt. m) *Malignis.* Non propitiis. n) *Generum.* Pauci tyranni fuì, plerique violenta morte moriuntur. o) *Quinquadribus.* Feſtis Minervæ ſolitis p) *Aſſe.* Tyro Rhetor, qui præceptori aſſem, exiguum Minervæ pendit. q) *Capſa.* Quæ libros pueri continet, quam ſervus cuſtodit, ne qui eos furetur. r) *Uterque.* Cicero ab Antonio interfectus eſt: Demoſthenes ad necem quæſitus ipſe veneno ſe ſuſtulit. s) *Puſilli.* Mediocris, vel mali. t) *Antonii.* Si tam malus Orator, quam inelegans, & parum concinnus Poëta fuiſſet Cicero, nihil erat, quod Antonium metueret. u) *Philippica.* Nulla Ciceronis Orationum plus ingenii, virium, nervorumque habet, iterum iterúmque relegenda. v) *Mirabantur* Demoſthenes. x) *frana.* Dominantem in concione, & quo vellet, omnes impellentem. y) *Diis ille.* Demoſthenes infenſos habuit,

buit cum eum pater gladiorum faber ad Indum Rhetoricum misit. a) *Bellorum.* Alii in laude, ac gloria militari summam felicitatis, & votorum ponunt. b) Trophais. Trophæa erant arbores decisis ramis truncatæ, quibus hostilia arma & spolia affigebantur. c) *Captivus:* E saxo, in summo arcus triumphalis. e) *Induperatores.* Imperatores. Optarunt, ut hæc consequerentur. e) *Ille habuit.* Hæc gloriæ cupiditas in causa fuit, ut tot pericula, & labores adiret. f) *Obruis.* Hæc ambitio, & gloriæ cupiditas multis civitatibus exitio fuit. g) *Saxis.* Saxeis monumentis. h) *Fi-cus.* Seu caprificus, arbuscula inter saxa crescit, & ea sensim dis-icit, ac superba hæc monumenta destruit. i) *Hannibalem.* Qui Africa mari, & Nillo circumfusa non contentus Hispaniam, & Alpibus superatis Italiam, & Romam petebat. k) *Porta.* Romæ. l) *Suburra.* Vicus est urbis celeberimus. m) *O qualis.* Quam lepidum spectaculum erat Hannibal luscus, elephanto insidens. n) *Vincitur.* A Scipione. o) *Regis.* Antiochi primum Syriæ, deinde Prusiæ Bithyniæ Regis. p) *Finem animæ.* Mortem turbatori huic orbis nihil adferet: quam annulus, in cujus gemma venenum abditum habebat, quò se peremit. q) *Declamatio.* Ut sis argumentum puerilium in schola declamationum. r) *Pellæo.* Alexandro M. Pellæ nato. s) *Gyar.* Gyarus, & Seriphus exiguæ sunt Ægei Insulæ. t) *A Figulis.* Babylonem muris è latere, ac cœlo structis, ubi mortuus Alexander. u) *Velificatus.* Narratur de Xerxe, quòd montem Atho altissimum navibus pervium fecerit: & mare, seu Helespontum ità contabularit, ut hoc ponte equitatum ex Europa in Asiam trajecerit, & flumina ebiberit: quod Sostrates Græcus, & ebrius Poëta tradit. x] *Salamine* Ubi à Themistocle navali prælio victus. y) *In eorum* Ventos flagellis cæcidit quod nec Æolus ventorum rex fecit. z) *Ennosygæum.* Quin ipsum mare, seu neptunum *terras quatientem* vinculis constringit a) *Mitius.* Ironicè. Mirum quod mari non item stigma inussit. b) *Deorum.* Tam stulto Regi quis Deorum faveret? c) *Da spatium.* Alius quispiam à Diis longam vitam petit. d) *Pallidus.* Auxius. e) *Tabracha.* Sylva est in Affrica, simiarum plena. i) *Juvenum* Juvenes inter se formâ, & viribus dissimiles sunt, senum omnium eadem facies, & incommoda. g) *Captatori.* Ut nauseam moveat vel iis, qui ejus hæreditati anxiè inhiant. h) *Quid refert.* Parùm interest, an talis senex longè, vel propè à theatro seceat, cùm nihil audiat. i] *Clamore.* Servo clamendum est, cùm seni indicat, quota hora sit, quis ad eum visendum venerit. k) *Themisen.* Medicus imperitus. l) *Tonsore.* Crispinus e tonsore Cæsaris libertus prædives. m) *Ille.* Senex, quem describit. n) *Demen tia.* Non corpus tantum ægrum, sed animus delirus. o] *Ut vigeant.* Ut

ſi animi ſenſus vigeat. p] *Rex Pytius.* Neſtor Pyli urbis Rex. q] *A Cornice.* Cornix dicitur vivere novem ætates; Neſtor tres vixit. r] *Muſtum.* Tot autumnis quod vixerit. s] *Fatorum.* Ipſe quæritur de ſua longævitate t] *Antiochi.* Filii jam adulti, à Memnone occiſi, in rogo cremati. n] *Pelæus.* Pater Achillis! quem Paris in templo Apollinis interfecit. x] *Alius.* Laertes Ulyſſis pater, tot annos errantis, & veluti natantis. y] *Priamus.* Niſi Priamus tam diu vixiſſet exciſam Trojam, ad avum ſuum Aſſaracum in pace ad inferos deſcendiſſet. z] *Hectore.* Filio, & filiabus funus comitantibus. a] *Audaces.* Quibus Helenam raperet. b] *Longa.* Longa vita. c] *Miles.* Priamus antequam ad aras caderet: arma corripuit. d] *Exitus.* Mors Priami etſi mirabilis, mors tamen hominis fuit, ſed uxor ejus Hecuba vetula in canem verſa eſt. c] *Ad noſtros.* Ad Romana exempla. f] *Ponti.* Mithridatem. g] *Cræſum* Quem monuit Solon: neminem ante finem felicem dici poſſe. h] *Exilium.* Marii. i] *Beatius.* Quanto felicior fuiſſet Marius, ſi poſt Cymbro Teutonicum triumphum animam efflâſſet, nec vitam in illas calamitates produxiſſet. k] *Provida.* Providentiâ Dei factum, quòd Pompejus paulò antè civile bellum in Campania febribus laboraret. l] *Optandos.* Si ex his mortuus fuiſſet, gloriâ plenus obiiſſet. At quia convaluit, victoriam ad Pharſalum, caput in Ægypto turpiter perdidit. m] *Cruciatu.* Lentulo, & ſociis in carcere ſtrangulatis: nec Catilinæ caput reciſum eſt. n] *Murmure.* Majore ſtudiô, & contentione. o] *Delicias.* Modum in votis non tenet: petit filiæ Apollineam formam: p] *Cur tamen* At: objiciet aliquis, cur hæc vota reprehendis, cum ipſa Latona ſibi ob Dianæ filiæ pulchritudinem gratulatur. q] *Sed vetat.* Lucretiæ exemplum monet, quam periculoſa forma ſit. r] Rutilæ. Deformis, & gibboſa quædam puella. s] *Virginia.* A patre confoſa. t] *Sanctos.* Etſi puer domi ſevere educetur, ùt veteres illæ Sabinæ. u] *Plus.* Quàm nativum pudorem. & modeſtiam. x] *Sed caſto.* Objectio eſt: quid forma nocet ei, qui caſtus eſſe decreverit; y] *Quid profuit.* Reſpondet objectioni exemplo Hyppoliti, quem noverca Phœdra è Creta oriunda privigni forma capta perdidit. z] *Bellerophonti.* Idem à Stænobæa noverca expertus. a] *Concuſſere.* Se ad ultionem præ pudore excitarunt. b] *Elige.* Probat recente exemplo formam obeſſe, vel caſtiſſimis. C. filio impudica Meſſalina Claudii imp. uxor vivo marito palàm nupſerat. Id quod, ei pernitiem attulit. c] *Sedet.* Expectat novum Maritum flammeolo veſte nuptiali: paratus eſt purpureus lectus. d] *Centena.* Antiquo more dotem Viro dabat uxor, Centies centena faciunt circiter 58000. florenos noſtræ monetæ. e]

Signa-

Signatoribus. Teſtibus, auſpex Sacerdos auſpitia capturus. f] *Legitimè.* Impudens fœmina, adultera Ironicè. g] *Quid placet.* Verba Meſſalinæ ad Silium. h] *Ante Lucernas.* Antequam veſperingruat, cum luccrnæ accendi ſolent. i] *Ultimus.* Adeò ſtolidus erat Claudius. h] *Quidquid.* Utrumlibet eligat: moriendum erit tibi. l] *Numen abeſt.* O fortuna nihil divinum, nullam poteſtatem habes, ſi virtutem, & prudentiam loquimur.

M. ACTII PLAUTI CAPTEIVEI COMŒDIA.

ARGUMENTUM.

Ægio Senex Ætolus civis, duos habebat filios, Philopolemum majorem natu, ac minorem Pægnium. Minorem hunc Pægnium quadrimulum Stalagnus fugitivus servus suripuerat, atque in Aulide Polyplusio Theodoromedi, magnæ nobilitatis, & opulentiæ viro vendiderat. Hic Theodoromedes empto puerulo nomen commutari, ac Pægnii locò Tyndarum vocitari jubet, eúmque filio suo Philocrati ejusdem ætatis puerulo pro servulo adjungit.

Orto viginti post annis, Aulidenses inter & Ætolos bello eùm, ùt solet, pars utraque multos captivos egisset, Philopolemus major Ægionis filius in Aulidensium manus venit, Menarcho cuidam Medico divenditus. Vicissim Aulidensium captivorum plures, atque hos inter Philocratem cum servo Tyndaro coemit Ægio; ut esset, quicum captivum suum filium Philopolemum, permutaret.

Duo hi captivi, à quibus Fabulæ nomen, conveniunt inter se ut Tyndarus servus, se pro Philocrate hero, hìc verò pro Tyndaro servo venditaret. Mentitum hunc Tyndarum (verum Philocratem) Ægio Senex ad redimendum ejus operâ, Philopolemum filium in Aulidem mittit; verùm fraude compertâ verum Tyndarum (quem Pægnium suum filium esse ignorabat) in Latomias detrudit, miserrimêque habet.

Redit ubinde ex Aulide Philocrates cum liberato Philopolemo, simùlque Stalagnum servum addacit, cujus confessione Tyndarus, surreptus olim Ægionis filius agnoscitur.

DRA-

DRAMATIS PERSONÆ.

Ægio *Senex*
Philocrates } *Capteivei.*
Tyndarus }
Ergaſilus. *Paraſitus.*
Ariſtophontes.
Philopolemus.
Stalagnus *Servus*
Ægionis *Puer.*
Lorarius.
Grex.

ACTUS I. SCENA I.

Ergaſilus Paraſitus.

Conqueritur Paraſitus, ſe ab Ægione commercandis captivis intento jam parciùs, rariúſque adhiberi.

JUventus nomen indidit Muſcæ mihi,
Quod invocatus ſoleo eſſe in convivio,
Verùm hercle nos paraſitos, mures dicerent planiùs,
Nam quaſi mures ſemper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatæ ſunt; quom rus homines eunt,
Simul prolatæ ſunt res noſtris dentibus.
Quaſi quom caletur, cohleæ in oculto latent;
Suo ſibi ſucco vivunt, roſi non cadit:
Item paraſiti rebus prolatis latent,
In oeculto miſeri victitant ſucco ſuo.
Dum ruri rurant homines, quos liguriant,
Prolatis rebus paraſiti venatici
Sumus: quando rure redierunt, moloſtici,
Odioſicíque, & multum incommodiſtici.
Et hic quidem hercle, niſi qui colaphos perpeti
Poteſt, paraſitus, frangíque aulas in caput,
Vel extra portam ire trigeminam ad ſaccului licet,
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculu' ſt.
Nam poſt, quàm meus rex eſt potitus hoſtium,
Ità nunc belligerant Aetoli cum Aulidis.
Nam Ætolia hæc eſt. Illic eſt captus in Anlide
Philopolemus hujus Ægionis filius
Senis, qui hic habitat, quæ ædes lamentariæ

Mihi

Mihi ſunt: quas quotieſcunque conſpicio, fleo.
Nunc hic occepit quæſtum hunc filii gratia,
Inhoneſtum, & maximè alienum ingenio ſuo:
Homines captivos commercatur, ſi queat
Aliquem invenire, ſuum quicum muret filium.
Nunc ad eum pergam. Sed aperitur oſtium,
Unde ſaturitate ſæpè ego exii ebrius.

ACTUS I. SCENA II.

Ægio *Senex* Lorarius. Ergaſilus.

Recenſet captivos ſuos Ægio, cui plurimùm aſſentatur Paraſitus.

Æ. ADvorte animum, ſis tu, iſtos capteivos duos,
Heri quos emi de præda de quæſtoribus,
His indito catenas ſingularias:
Iſtas majores, quibus ſunt invecti demito:
Sinito ambulare, ſi foris, ſi intus volent:
Sed uti aſſerventur magnâ diligentiâ.
Liber capteivus, avis ferè conſimilis eſt:
Semel fugiendi ſi data ſt occaſio,
Satis eſt, nunquam poſt illa poſſis prendere.
L. Omnes profectò liberi lubentius
Sumus, quam ſervimus. Æ. Non vidêre ità tu quidem.
L. Si non eſt quod dem, me ne vis dem ipſe in pedes;
Æ. Si dederis, erit exemplô mihi, quod dem tibi.
L. Avis me verè conſimilem faciam, ut prædicas.
Æ. Ut dicis, ſi faxis, te in caveam dabo.
Sed ſatis verborum eſt: cura que juſſi, atque abi.
E. Quod ego quidem nimìs quam cupio ut impetret.
Nam nî illum recipit, nihil eſt quò me recipiam.
Nulla eſt juventutis ſpes, ſe ſe omneis amant.
Ille demum antiquis eſt adoleſcens moribus,
Quoi nunquam voltum tranquilavi gratiis:
Condignè eſt pater ejus moratus moribus.
Æ. Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos:
Viſam ne noctu hac quidpiam turbaverint:

Inde

Inde me continuò recipiam rurſum domum.
E. Ægre 'ſt mihi, hunc facere quæſtum carcerarium
Propter ſui gnati miſeriam, miſerum ſenem.
Sed ſi ullo pacto ille huc conciliari poteſt,
Vel carnuficinam hunc facere, poſſum perpeti.
Æ. Quis hic loquitur? P. ego, qui tuo mœrore maceror,
Maceſco, conſeneſco, & tabeſco miſer.
Oſſa, atque pellis ſum miſer a macritudine:
Neque unquam quicquam me juvat, quod edo domi:
Foris aliquantillum etiam quod guſto, id beat.
Æ. Ergaſile ſalve. E. di te bene ament Ægio.
Æ. ne fle. E. Egóne illum non fleam? egóne non defleam
Talem Adoleſcentem? Æ. ſemper ſenſi filio
Meo te eſſe amicum, & illum, intellexi tibi.
E. Tum denique omnes noſtra intelligimus bona,
Quom quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.
Ego pòſt, quam gnatus tuus potitus eſt hoſtium.
Expertus quanti fuerit, nunc deſidero.
Æ. Alienus quom ejus incomodum tam ægrè feras,
Quid me patrem par facere 'ſt quoi 'ſt unicus?
E. Alienus ego? alienus ille? ah Ægio
Nunquam iſthuc dixis, neque animum induxis tuum:
Tibi ille unicu'ſt, mihi unico magis unicu' etiam.
Æ. Laudo, malum quom amici, tuum ducis malum.
Nunc habe bonum animum. E. Eheu. Æ. huic illud dolet,
Quia nunc remiſſus eſt edendi exercitus.
E. nullúmne interea nactus, qui poſſet tibi
Remiſſum quem dixti, reparare exercitum?
Æ. Quid credis? fugiant omnes hanc provinciam,
Poſteaquam captus eſt Philopolemus, tuus.
E Non pol mirandu'ſt fugitare hanc provinciam,
Multis, & multigeneribus opu'ſt tibi
Militibus, primo dum opu'ſt tibi piſtorienſibus.
Eorum ſunt aliquot genera Piſtorienſium.
Opus Paniceis, opus placentinis quoque,
Opus Turdetanis, opu'ſt Ficedulenſibus.
Jam maritumi omnes milites opus ſunt tibi.
Æ. Ut ſæpe ſumma ingenia in oculto latent?
Hic qualis imperator? nunc privatus eſt.

habe

Æ. Habe modò bonum animum. Nam illum confido domum
In his diebus me reconciliâſſere.
Nam eccum hic capteivum adoleſcentem habeo alium,
Prognarum genere ſummo, & ſummis divitiis,
Hoc illum me mutare confido fore.
E. Ità Di, Deæque faxint. Æ. Sed num quò foras
Vocatus ad cœnam? E. nuſquam pol quod ſciam.
Sed quid tu id queris? Æ. quia mihi eſt natalis dies,
Propterea te vocari ad cœnam volo.
E. Facete dictum. Æ. Sed ſi pauxillum potes
Contentus eſſe. E. Næ perpauxillum modò.
Nam iſthoc me aſſiduo victu delecto domi.
Æ. Age ſis, roga emptum. E. Niſi qui meliorem afferet,
Quæ mihi atque amicis placeat conditio magis.
Quaſi fundum vendam, meis me addicam legibus.
Æ. Pro fundum vendis? tu quidem haut fundum mihi?
Æ. Sed ſi venturus, tempori. E. Hem vel jam ocium eſt.
Æ. I modò, venare leporem, nunc hyem tenes.
Nam meus ſcrupuloſam victus commeat viam.
E. Nunquam iſthoc vinces me Ægio, ne poſtules,
Cum calceatis dentibus veniam tamen.
Æ. Aſper meus victus ſanè'ſt. E. Senteisne eſitas?
Æ. Terreſtris cœna'ſt. E. Sus terreſtris beſtia'ſt.
Æ. Multis oleribus. E. Curato ægrotos domi.
Nunquid vis? Æ. Venias tempori. E. Memorem mones.
Æ. Ibo intrò, atque intus ſubducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam ſiet:
Ad fratrem, quò ire dixeram, mox iero.

ACTUS II. SCENA I.

Lorarius Philocrates. Tyndarus *Capteivei.*

Exoratus carceris Cuſtos Lorarius concedit, ut ſeorſim à cæteris, duo captivi inter ſe colloqui poſſint. Hi conveniunt, ut nomina, ac perſonas inter ſe commutent.

L. SI Dii immortales id voluerunt, vos hanc ærumnam exequi.

Decet id pati æquo animo. Si id facietis, levior labos erit.
Domi fuiſtis, credo, liberi:
Nunc ſervitus ſi evenit, ei vos morigerari mos bonu'ſt,
Eámque herili imperio, ingeniis voſtris levem reddere.
Indigna digna habenda ſunt, herus quæ facit. P. Oho-
hohoh.
L. Ejulatione haud opus eſt, oculis multa miſera additis.
In re mala, animo bono ſi utare, adjuvat.
C. At nos pudet, quia cum catenis ſumus. L. At pigeat
poſtea
Noſtrum herum, ſi vos eximat vinculis,
Aut ſolutos ſinat, quos argento emerit.
C. Quid à nobis metuit? ſcimus
Noſtrum officium quod eſt, ſi ſolutos ſinat.
L. At fugam fingitis: ſentio quam rem agitis.
G. Nos fugiamus? quò fugiamus? L. In patriam.
C. Apage, haud nos deceat fugitivos imitari.
L. Immo ædepol ſi erit occaſio haud dehortor.
C. Unum exorare vos, ſinite nos.
L. Quidnam id eſt? C. Ut ſinè hiſce arbitris
Atque vobis, nobis detis loquendi locum.
L. Fiat. Abſcedite hinc: nos concedamus huc.
Sed brevem orationem incipeſſe. P. Hem iſtuc certum erat
Concede huc. L. Abite ab iſtis. T. Obnoxii
Vobis ſumus ob hanc rem, quom quæ volumus
Copia'ſt, atque ea facitis nos compotes.
P. Secede huc nunc jam, ſi videtur procul:
Ne arbitri dicta noſtra arbitrari queant,
Neve permanet palam hæc noſtra fallacia.
Nam doli non doli ſunt, nî aſtu colas:
Sed malum maximum, ſi id palam provenit.
Nam ſi herus mihi es tu, atque ego me tuum
Eſſe ſervom aſſimulo, tamen viſu opus,
Cauto eſt opus, ut ſobriè, ſinéque arbitris accuratè hoc
agatur, doctè,
Et diligenter: tanta incepta res,
Haud ſomnicolosè hoc agendu'ſt. T. Ero ut me voles.
P. Spero, nam nunc vides pro tuo charo capite
Charum offerre meum caput vilitati. T. Scio. P. Sat

P. Sat ſcire tum memento, quando id, quod voles, habebis
Nam ferè maxima pars morem hunc homines habent: quod ſibi volunt,
Dum id imperrant, boni ſunt, ſed id ubi jam penes ſeſe habent.
Ex bonis peſſimi, & fraudulentiſſimi
Sunt. Nunc ut te volo mihi eſſe, autumo:
T. Quod tibi ſuadeam, ſuadeam meo patri.
P. Pol ego ſi te audeam, meum patrem
Nominem: nam ſecundum patrem tu es pater proximus.
T. Audio. P. Et propterea ſæpiùs te, ùt memineris, moneo.
Non ego herus tibi; ſed ſervos ſum. Nunc obſecro te hoc unum;
Quoniam nobis Di immortales animum oſtenderunt ſuum,
Ut qui herum me tibi fuiſſe, atque eſſe nunc conſervom velint.
Quod antehac pro jure imperitabam meo, te oro nunc per precem.
Per fortunam inceratm, & per mei te erga bonitatem patris,
Perque conſervitium commune, quod hoſtica evenit manu,
Ne me ſecus honore honeſtes, quàm ego te quom ſervibas mihi.
Atque qui fueris, & qui nunc ſis, meminiſſe ut memineris.
T. Scio quidem me te eſſe nunc, & te eſſe me. P. Hem Iſthuc ſi potes
Memoriter meminiſſe, ineſt ſpes nobis in hac aſtutia.

ACTUS II. SCENA II.

Ægio. Philocrates. Tyndarus.

Senex ut Philopolemum filium ab Aulidenſibus captum redimeret, falſum Tyndarum, verùm Philocratem in Aulidem emittit, verùm contrà Tyndarum in carcere retinet.

Æ. JAm ego revortar intrò, ſi ex his quæ volo, exquiſivero.

Ubi ſunt iſti, quos ante ædeis juſſi huc produci foras
P. Pol tibi ne quæſtioni eſſemus cautum intelligo,
Ità vinclis, cuſtodiísque circummuniti ſumus.
Æ. Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, quin etiam cavet:
Etiam quom caviſſe ratus eſt, ſæpè is cautor captus eſt.
An verò non juſta cauſa'ſt, ut vos ſervem ſedulò,
Quos tam grandi ſim mercatus præſenti pecunia?
P. Neque Pol tibi nos, quia ſervos, æquom ſtultitiæ vortere.
Neque te nobis, ſi abeamus hinc, ſi fuat occaſio.
Æ. Ut vos hic, itidem illic apud vos meus ſervatur filius.
P. Captus eſt? Æ. Ita. P. Non igitur nos ignavi ſumus.
Æ. Secede huc. Nam ſunt, quæ ex te ſolo ſcitari volo,
Quarum rerum te falſiloquom mihi eſſe nolo. P. non ero.
Quod ſciam, ſi quid neſcivi, id neſcium tradam tibi.
T. Nunc ſenex eſt in tonſtrina, nunc jam cultros attinet.
Næ id quidem involucre injicere voluit, veſtem ut ne inquinet.
Sed utrum ſtrictim ne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem
Neſcio, verùm ſi frugi'ſt uſque admutilabit propè.
Æ. Quid tu ſervóſne eſſe, an libes mavelis? memora mihi.
P. Proximum quod ſit bono, quódque à malo longiſſimè.
Id volo: quanquam non multum fuit moleſta ſervitus,
Nec mihi ſocus erat, quàm ſi eſſem familiaris filius.
T. Euge Pol Thalem talento non emam Mileſium:
Nam ad ſapientiam hujus, minùs nugator fuit.
Ut facete orationem ad ſervitutem contulit.
Æ. Quo de genere natu'ſt illic Philocrates? P. Polyplusio.
Quod genus unu'ſt pollens, atque honoratiſſimum.
Æ. Quid, ipſius hic, quo honore eſt illic? P. ſummo, atque ab ſummis viris.
Æ. Tum igitur ei, quom in aliis tanta gratia'ſt, ut prædicas,
Quid divitiæ? ſúntne optumæ? P. unde excoquat ſevum ſenex
Æ. Quid pater? vivítne? P. vivom quom inde abiimus, liquimus.
Nunc vivat néene, id orcum ſcire oportet ſcilicet.
T. Salva res eſt: philoſophatur quoque jam non mendax modo'ſt.

Æ. Quod

Æ. Quod erat ei nomen? P. Thesaurochrysonicochrysides.
Æ. Videlicet & propter divitias inditum id nomen quasi est.
P. Imò ædepol propter avaritiam ipsius, atque audaciam
Nam illi Theodoromedus fuit germano nomine.
Æ. Quid tu ais? tenáxne pater est ejus? P. Imò ædepol pertinax.
Quid etiam, ut magìs noscas, Genio ubi quando sacrificat,
Ad rem divinam quibus est opus, Samiis vasis utitur.
Ne ipse Genius surripiat, proinde aliis ut credat, vide.
Æ. Sequere me hâc igitur, eadem ego ex hoc, quæ volo, exquisivero.
Philocrates hic fecit hominem frugi, ùt facere opportuit.
Nam ego ex hoc quo genere natus sis, scio, hic fassu's mihi.
Hæc tu eadem si confiteri vis, ex tua re feceris;
Quæ tamen sciro scire me ex hoc. T. Fecit officium hic suum,
Quom tibi est confessus verum, quem volui sedulò meam.
Nobilitatem occultare, & genus, & divitias meas.
Ægio. Nunc quando patriam, & libertatem perdidi,
Non ego isthunc me potiùs, quàm te metuere æquom censeo.
Vis hostilis cum isthoc fecit meas opes æquabiles.
Memini quom dicto haud audebat, facto nunc lædat licet.
Sed viden? fortuna humana fingit, aráque, ut lubet.
Me, qui liber fueram, servom fecit, è summo infimum?
Qui imperare insueram, nunc alterius imperio obsequor.
Equidem, si perinde, ut ipse fui imperator familiæ.
Habeam dominum, haud verear, ne injustè, aut graviter mihi imperet.
Ægio hoc te monitum, nisi fortè ipse non vis, volueram.
Æ. Loquere audacter. T. Tam ego fui antè liber, quàm gnatus tuus.
Tam mihi, quàm illi libertatem hostilis eripuit manus.
Tam ille apud nos servit, quàm ego nunc hìc apud te servio:
Est profectò Deus, qui quæ nos gerimus, audítque, & videt
Is, utì tu me hìc habueris, perinde illum illic curaverit.
Bene merenti bene profuerit, malè merenti par erit.
Quàm tu filium tuum, tam pater me meus desiderat.

Æ. Memini ego iſthoc ; ſed faterin' eadem , quæ hic faſſus eſt mihi ?
T. Ego patri meo eſſe fateor ſummas divitias domi ,
Méque ſummo genere gnatum. Sed te obteſtor Ægio ,
Ne tuum animum avariorem faxint divitiæ meæ :
Ne patri , tametſi unicus ſum deeere videatur magìs
Me ſaturum ſervire apud te ſumptu , & veſtitu tuo.
Quam illic , ubi minimè honeſt'ſt mendicantem vivere.
Æ. Ego virtute Deûm , & majorum noſtrûm dives ſum ſatìs.
Non ego omninò lucrum omne eſſe utile homini exiſtumo.
Scio ego , multos jam lucrum lutulentos homines reddidit.
Eſt etiam ubi profectò damnum ptæſtet facere , quàm lucrum.
Oli ego aurum , multa multis ſæpè ſuaſit perperam.
Nunc animum huc advorte , ut ea quæ ſentio , pariter ſcias.
Filius meus illic apud vos ſervit captus in Aulide :
Eum ſi reddes , mihi præterea unum nuñum ne duis :
Et te , & hunc amittam : hinc alio pacto abire non potes.
T. Optumum , atque æquiſſimum oras , optumúsque hominum es homo :
Sed is privatam illic ſervitutem ſervit , an publicam ?
Æ. Privatam Medici Mænarchi. T. Pol hic quidem hujus eſt cliens.
Tam hoc quidem tibi in proclivi , quàm imber eſt quando pluit.
Æ. Fac is homo redimatur. T. Faciam : ſed te id oro Ægio.
Æ. Quid vis , dum ab re ne quid ores , faciam. T. Auſculta , tum ſcies.
Ego me amitti , donicum huc rediêrit , non poſtulo :
Verum quæſo te , ut æſtumatum hunc mi des , quem mittam ad patrem ,
Ut is homo redimatur illic : Æ. Imò alium potiùs miſero.
Hinc , ubi erunt inducìæ , illuc , tuum qui conveniant patrem:
Qui tua , quæ tu juſſeris mandata , ità ut velis , perferat.
T. At nihil eſt ignotum ad illum mittere , operam luſeris.
Hunc mitte : hic omne transactum redet , ſi illuc veneris.
Nec quemquam fideliorem , neque quoi plùs credat , potes Mit-

Mittere ad eum, nec qui magìs ſit ſervos ex ſententia,
Neque adeò quoi tuum concredat filium hodie audacius
Ne vereare meo periculo, hujus ego experiar fidem,
Fretus ingenio ejus, quod me eſſe ſcit erga ſe benevolum.
Æ. Mittam equidem iſtum æſtumatum tua fide ſi vis. T. Volo.
Quàm citiſſimè potes, tam hoc cedere ad factum volo.
Æ. Num quæ cauſſa'ſt, quin ſi ille huc non redeat, viginti minas.
Mihi des pro illo? T. Optimè imò. Æ. Solvite iſtum nunc jam,
Atque utrumque. T. Dî tibi omnes omnia optata ferant,
Quom me tanto honore honeſtas, quómque ex vinclis eximis.
Hoc quidem haud moleſtu'ſt, quòd collus collaria caret,
Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravid'ſt bonis.
Nunc tu illum, ſi illò es miſſurus, dice: demonſtra, præcipe
Quæ ad patrem vis nunciari. Vin'vocem huc ad te? T. voca.

ACTUS II. SCENA III.

Ægio. Philocrates. Tyndarus.

Abiturum ſimulatum Tyndarum multis mandatis onerat ſimulatus Philocrates.

Æ. QUæ res bene vortat mihi, meóque filio,
Vobísque, volt te novos herus operam dare
Tuo veteri domino, quod velit, fideliter.
Nam ego te æſtumatum huic dedi viginti minis.
Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem,
Meum ut illic redimat filium: mutatio
Inter me, atque illum, ut noſtris fiat filiis.
P. Utroque vorſum rectu'ſt ingenium meum
Ad te, atque ad illum: pro tota me uti licet:
Vel ego huc, vel illuc vortar, quò imperabitis.
Æ. Tute tibi ea tuopte ingenio prodis plurimum,
Quom ſervitutem ità fers, ùt ferri decet.

Sequere, en tibi hominem. T. Gratiam habeo tibi,
Quom copiam iſtam mihi, & poteſtatem facis,
Ut ego ad parentes hunc remittam nuntium:
Qui me quid rerum hic agitem, & quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ità convenit inter me, atque huc Tyndare,
Ut te æſtumatum in Aulidem mittam ad patrem:
Ac ſi non reditas huc, viginti minas
Dem pro te. R. Rectè conveniſſe cenſeo.
Nam pater expectat aut me, aut aliquem nuntium,
Qui hinc ad ſe veniat. T. Ergo animum advortas volo,
Quæ nuntiare hinc te volo in patriam ad patrem.
P. Ut adhuc locorum feci, faciam ſedulò,
Ut potiſſimum in rem quod rectè conducat tuam,
Id petam, id perſequárque corde, & animo, atque viribus.
T. Facis ità, ùt te facere oportet. Nunc animum advortas volo.
Omnium primùm ſalutem dicito matri, & patri,
Et cognatis, & quem alium benevolentem videris:
Me hìc valere: & ſervitutem ſervire huic homini optumo,
Qui me honeſtiorem honore ſemper fecit, & facit.
P. Iſthuc non præcipias, facilè memoria memini. T. Tamen
(Nam quidem, niſi quòd cuſtodem habeo, liberum me eſſe arbitror)
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc convenerit
De hujus filio, P. Quæ memini mora mera eſt monerier.
T. Ut eum redimat, & remittat huc noſtrum amborum vicem,
P. Meminero. Æ. At quàm primùm: iſthuc in rem utrique eſt maxumè.
P. Non tuum tu magis vidêre, quàm ille ſuum gnatum cupit.
Æ. Meus mihi, SUUS QUOIQUE, EST charus. P. Num quid aliud vis patri
Nuntiari? T. Me hìc valere, & tu te audacter dicito
Tyndare inter nos fuiſſe ingenio haud diſcordabili,
Neque te commeruiſſe culpam, neque me adverſatum tibi,
Benéque hero geſſiſſe morem. In tantis ærumnis tamen
Neque me unquam deſeruiſſe te, neque factis, neque fide
Rebus in dubiis egenis. Hoc pater quando ſciet

Tyn-

Tyndare, ut fueris animatus erga ſuum gnatum, atque ſe,
Nunquam erit tam avarus, quin te gratis emittat manu:
Et mea opera, ſi hinc redibo, faciam, ut faciat faciliùs.
Nam tua opera, & comitate, & virtute, & ſapientia
Feciſti, ut redire liceat ad parentes denuò,
Quom apud hunc confeſſus es, & genus, & divitias meas,
Quo pacto emiſti è vinculis tuum herum tuâ ſapientiâ.
P. Feci ego iſta, ùt commemoras: & te meminiſſe id gratu'ſt mihi,
Meritò tibi ea evenerunt à me. Nam nunc Philocratès,
Si ego item memorem. Quæ me erga multa feciſti benè,
Nox diem adimat. Nam ſervus meus ſi eſſes, nihilo ſecius
Mihi obſequioſus ſemper fuiſti. Æ. Di voſtram fidem,
Hominum ingenium liberale. Ut lachrumas excutiunt mihi.
Videas corde amare inter ſe. Quantis laudibus ſuum herum
Servos collaudavit? P. Pol iſthìc me haud centeſumam
Patrem laudat, quam ipſe meritus eſt, ut laudetur laudibus.
Æ. Ergo quom optume feciſti, nunc adeſt occaſio
Benefacta cumulare: ut erga hunc rem gerat fideliter.
P. Magis non factum poſſum velle, quàm opera experiar perſequi.
Id ut ſcias, Jovem ſupremum teſtem do Ægio,
Me infidelem non futurum Philocrati. Æ. Probus es homo.
P. Nec me ſecus unquam ei facturum quicquam, quàm me-met mihi.
T. Iſthæc dicta te experiri, & opera, & factis volo.
Et quod minùs dixi, quàm volui, de te animum advortas volo.
Atque horum verborum cauſſa mihi cave iratus ſuas.
Sed te quæſo cogitato. Hinc te mea fide mitti domum
Æſtumatum, & meam eſſe fidem hìc pro te poſitam pignori:
Ne tu me ignores, quom extemplò meo è conſpectu abſceſſeris,
Quom me ſervom in ſervitute pro te hic reliqueris:
Túque te pro libero eſſe ducas, pignus deſeras:
Ac neque des operam pro me, ut hujus reducem facias filium.

Scito te minis viginti æſtumatum mittiter.
Fac fidelis ſis fideli, cave fidem fluxam geras.
Nam pater ſcio faciet, quæ illum facere oportet omnia.
Serva tibi perpetuum amicum me, atque hunc inventum inveni.
Hæc per dexteram tuam, te dextera retinens manu
Obſecro, infidelior mihi ne fuas, quàm ego ſum tibi.
Tu hoc age: mihi herus nunc es, tu patronus; tu pater;
Tibi commendo ſpes, opésque meas. P. Mandaviſti ſatis.
Satin habes, mandata quæ ſunt, facta ſi refero? T. Satis.
P. Et tua huc ornatus reveniam ex ſententia?
Nunquid aliud? T. Ut quamprimùm poſſis, redeas. P. Res monet.
Æ. Sequere me, viaticum ut dem à trapezita tibi:
Eadem opera à prætore ſumas ſyngraphum. T. Quom ſyngraphum?
Æ. Quem hic ferat ſecum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.
Tu intro abi. T. Bene ambulato. P. Bene vale. Æ. ædepol rem meam
Conſtabilivi, quom illos emi de præda à quæſtoribus:
Expedivi ex ſervitute filium, ſi Dis placet.
At etiam dubitavi, hos homines emerem, an non emerem, diu.
Servate iſtum (ſultis) intus ſervi, ne quoquam pedem
Efferat ſinè cuſtode. At ego mox apparebo domi,
Ad fratrem modò capteivos alios inviſo meos.
Eadem percontabor, ecquis hunc adoleſcentem noverit.
Sequere, te ut amittam; ei rei primum prævorti volo.

ACTUS III. SCENA I.

Ergaſilus Paraſitus.

Graphicè lamentatur Paraſitus, rara jam prandia præberi.

Miſer homo eſt, QUI IPSE SIBI, quod edat, quærit, & id ægrè invenit.

Sed

Sed ille est miserior, qui ægrè quærit, & nihil invenit.
Ille miserrumus est, qui quom esse cupit, quod edat, non habet.
Nam hercle huic diei, si liceat, oculos effodiam lubens:
Ità malignitate oneravit omnes mortales mihi.
Neque jejuniosiorem, neque magìs effractum fame
Vidi, nec quoi minùs procedat, quidquid facere occeperit;
Ità venter, guttúrque resident esuriales ferias.
Licèt parasiticæ arti maximam malam crucem:
Ità juventus jam ridiculos, inopésque ab sese segregat.
Nihil morantur jam Lacones imi subselli viros
Plagipatidas, quibus sunt verba sinè penu, & pecunia;
Eos requirunt, qui libenter, quom ederint, reddant domi.
Ipsi obsonant, quæ parasitorum antè erat provincia.
Ipsi, de foro, tam aperto capite ad leones eunt;
Quàm in tribu aperto capite sontes condemnant reos;
Neque ridiculos jam teruncii faciunt: sese OMNES AMANT.
Nam ut dudum hinc abii, accessi ad adolescentes in foro,
Salvete, inquam. Quò imus unà, inquam, ad prandium? atque illi tacent.
Quis ait hoc? aut quis profitetur? inquam, quasi muti silent.
Neque me rident. Ubi cœnamus? inquam, atque illi abnuunt.
Qui solebam menstruales epulas antè adipiscier.
Nemo ridet; scivi exemplò rem de compacto geri:
Nec canem quidem irritatam voluit quisquam imitarier,
Saltem si non arrìderent, dentes ut restringerent.
Abeo ab illis, postquam video me sic ludificarier,
Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios; una res.
Omnes compacto rem agunt, quasi in Velabro olearii.
Nunc redeo inde, quom me ibi videò ludificarier.
Item alii parasiti frustra obambalant in foro.
Nunc Barbarica lege certu'st jus meum omne persequi.
Qui concilium injere, quo nos victu, vita prohibeant;
His diem dicam: irrogabo mulctam, ut mihi cœnas decem
Meo arbitratu dent, quom cara annona sit, sic egero.

Nunc

Nunc ibo ad portum hinc: eſt illic mihi una ſpes cœnatica;
Si ea decollabit, redibo huc ad ſenem ad cœnam aſperam.

ACTUS III. SCENA II.

Ægio.

Senex ſibi de re, ùt putabat, bene geſta gratulatur.

QUid eſt ſuavius, quàm bene rem gerere bono publico,
Sicut ego feci heri, quom emi hoſce homines? ubi quiſque vident,
Eunt obviam, gratulantúrque eam rem, ità me miſerum
Reſtitando, retinendóque laſſum reddiderunt; vix jam miſer
Ex gratulando eminebam. Tandem abii ad prætorem ibi
Vix requievi. Rogo Syngraphum: datur mihi illico:
Do Tyndaro: Ille abiit demum. Inde illico prævortor domum.
Poſtquam id actu'ſt, eo protinus ad fratrem, mei ubi ſunt alii
Capteivei. Rogo Philocratem ex Aulide ecquis omnium
Noverit, hic exclamat, eum ſibi eſſe ſodalem: dico eum
Eſſe apud me. Hic extemplò orat, obſecrátque, eum ſibi
Ut liceat videre. Juſſi illico hunc exolevi, nunc ſequere me,
Ut quod me oraviſti, impetres, eum hominem ut convenias.

ACTUS III. SCENA III.

Tyndarus.

Captivorum fraudem Ariſtophontes Aulidenſis, qui utrumque probè nôrat, detexerat. Id quod miſerè deplorat Tyndarus.

NUnc illud eſt, quod me fuiſſe, quam eſſe nemo malvelim.
Nunc ſpes, opes, auxiliáque à me ſegregant, ſpernúntque me.

Hic

Hic ille eſt dies, quom nulla vitæ ſalus ſuperabilis eſt mecum,
Neque exilium exitio eſt, neque adeò ſpes, quæ mihi hunc aſpellat:
Nec mendaciis ſubdolis mihi usquam mantellum eſt meis:
Nec ſycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam eſt:
Neque precatio perfidiis meis, nec malefactis fuga eſt.
Nec confidentiæ uſquam hoſpit'ſt, nec divorticulum dolis.
Opertáque fuêre, aperta ſunt: patent præſtigiæ.
Omnis res palam eſt: neque ullum pol de hac re negotium eſt,
Quin malè occidam, opetámque peſtem, heri vicem mei.
Perdidítque me Ariſtophontes hic, qui venit modò intrò: Is me novit:
Is ſodalis Philocrati, & cognatus eſt. Neque jam ſervare ſalus,
Si volt, me poteſt: nec copia eſt, niſi ſi aliquam corde mahinor
Aſtutiam; quam, malum? quid machiner? quid comminiſcar miſer?
Maxumas nugas, ineptiásque haud dubiu'ſt me cœpiſſe: horreo.

ACTUS III. SCENA IV.

Ægio. Tyndatus. Ariſtophontes.

Tyndarus, quò Ariſtophonti indici fidem adimeret, eum pro rabioſo deſcribit: per quem nihilominùs tandem fraus tota detegitur.

Æ. QUò illum nunc hominem foràs proripuiſſe ſe dicam ex ædibus?
T. Nunc enimverò occidi. Eunt ad te hoſtes Tyndare, quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto ſita eſt. Quid rebus confidam meis?
Utinam te Di priùs perderent, quam perîſti è patria tua
Ariſtophontes, qui ex parata, imparatam rem omnem facis.
Occiſa eſt hæc res, niſi reperio atrocem mihi aliquam Aſtu-

Aſtutiam. Æ. Sequere, hem tibi hominem: adi, atque alloquere.
T. Quis eſt homo me hominum miſerior? A. Quid iſthuc eſt,
Quòd meos te dicam ſic fugitare oculos Tyndare?
Próque ignoto me aſpernari, quaſi me nunquam noveris?
Equidem tam ſum ſervos quàm tu, etſi ego domi liber fui:
Tu uſque à puero ſervitutem ſerviviſti in Aulide.
Æ. Ædepol minimè miror, is, ſi te fugiat, aut oculos tuos,
Aut ſi te odit, qui iſtum appelles Tyndarum pro Philocrate.
T. Ægio, hic homo rabioſus eſt in Aulide:
Ne tu quòd fabuletur, in aureis immittas tuas.
Nam iſthic haſtis inſectatus eſt domi matrem, & patrem;
Et illic iſti, qui inſputatur morbus interdum venit.
Proin' tu ab iſthoc procul recedas. Æ. Ultro iſtum à me.
A. Ain' verbero.
Me rabioſum, atque inſectatum haſtis meum memoras Patrem?
Et eum morbum mihi eſſe, ut qui me opus ſit inſputarier?
Æ. Ne verere, multos iſthic morbus homines macerat,
Quibus inſputare ſaluti fuit, atque iis profuit.
A. Quid tu autem etiam huic credis? Æ. Quid ego credam huic? A. Inſanum eſſe me?
T. Vidén' hunc quàm inimico voltu intuetur? concedi optumum'ſt
Ægio: ſic (quod tibi dixi) gliſcit rabies, cave tibi.
Æ. Credidi eſſe inſanum extemplò, ubi te appellavit Tyndarum.
T. Quia ſuum ipſe interdum ignorat nomen, neque ſcit, qui ſiet.
Æ. At te etiam ſuum ſodalem eſſe ajebat. T. Audivi,
Dì magni!
Et quidem Alcmæon, atque Oreſtes. & Lycurgus poſteà
Una opera mihi ſunt ſodales, qua iſte. A. At etiam furcifer
Malè loqui mihi audes? non ego te novi? Æ. Pol planom
id quidem eſt,
Non noviſſe, qui iſtum appellas Tyndarum pro Philocrate.
Quem vides, eum ignoras? illum nominas, quem non vides?

A. Imò

A. Imò iſte eum ſeſe ait, qui non eſt: & qui verò eſt negat.
T. Tu repertus enim Philocratem qui ſuperes veriverbio?
A. Pol ego ùt rem video, tu inventus vera vanitudine,
Qui convincas. Sed quæſo hercle agedum, aſpice ad me.
T. Hem. A. Dic modò.
Te negas Tyndarum eſſe? T. Nego inquam. Æ. Tu te Philocratem eſſe ais?
T. Ego inquam. A. Túne huic credis? Æ. Quàm tibi plùs quidem, aut mihi:
Nam ille quidem, quem tu memoras eſſe; hodie hinc abiit Aulidem
Ad patrem hujus. A. Quem patrem, ſi ſervos eſt? T Et tu quidem
Servos, & liber fuiſti: & ego me confido fore,
Si hujus huc reconciliaſſo in libertatem filium.
A. Quid ais furcifer? tum te gnatum eſſe huic memoras liberum?
T. Non equidem me liberum, ſed Philocratem eſſe aio.
A. Quid eſt?
Ut ſceleſtus, Ægio, nunc is te ludos facit? nam is eſt
Servos ipſe, neque præter eum quiſquam ei ſervos fuit.
T. Quia tute ipſe eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi'ſt,
Omnes invenire ſimiles tibi vis, non mirum facis:
Eſt miſerorum, ut malevolentes ſint, atque invideant bonis.
A. Vide ſis Ægio, ne quid tu huic temere inſiſtas credere:
Atque ut perſpicio, profectò jam aliquid pugnæ edidit.
Filium tuum quòd redimere ſe ait, id neutiquam mihi placet.
T. Scio te id nolle fieri: officiam tamen ego id, ſi Dî adjuvant:
Illum reſtituam huic: hic autem, in Aulidem me meo patri:
Propterea ad patrem hinc amiſi Tyndarum. A. Quin tute is es:
Neque præter te in Aulide ullus ſervos iſthoc nomine'ſt.
T. Pergin' ſervom me exprobrare eſſe, id quod vi hoſtili obtigit?

A. Sed

A. Sed enim jam nequeo contineri. T. Heus tu, quid agis, quid fugis?
Jam illihic nos insectabit lapidibus, nisi illmhunc jubes
Comprehendi. A. Crucior. T. Ardent oculi, fune opus Ægio:
Vidén' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem. A. At pol te, si hic sapiat senex.
Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat.
T. Jam deliramenta loquitur, larvæ stimulant virum.
Æ. Hercle, quid si hunc comprehendi jusserim? T. Sapias magis.
A. Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiæ
Cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinat suis.
T. Audín lapidem quæritare? A. Solus te solum volo
Ægio. Æ. Isthinc loquere, si quid vis, procul tamen audiam.
T. Namque ædepol si adites propius, os densabit tibi
Mordicitus. A. Neque pol me insanum Ægio esse credis,
Neque fuisse unquam, neque esse morbum, quem isthic autumat.
Verum si quid metuis à me, jube vinciri, volo,
Dum isthic itidem vinciatur. T. Imò enimvero Ægio
Isthic, qui volt vinciatur. A. Tace modò, ego Philocrates
Falsè, faciam, ut verus hodie reperiare Tyndarus.
Longius quid mihi abnutas? T. Tibi ego abnuo? quid agat, si absis?
Æ. Quid ais? quid si adeam hunc insanum? T. nugas ludificabitur,
Garriet, quòd neque pes unquam, neque caput compareat:
Armenta absunt: Ajacem, hunc quom vides, ipsum vides.
Æ. Nihili facio, tamen adibo. T. Nunc omnino occidi:
Nunc ego inter sacrum, saxúmque sto: nec quid faciam scio.
Æ. Do tibi operam Aristophontes, si quid est, quod me velis.
A. Ex me audibis vera, quæ nunc falsa opinare, Ægio,
Sed hoc primum expurgare tibi volo, me insaniam
Neque tenere, neque mi esse ullum morbum, quòd servio.
At ità me Rex Deûm, atque hominum faxit patrius compotem,

Ut iſthic Philocrates non magìs eſt, quàm aut ego, aut tu
Æ. Ehò dic mihi,
Quis illic ìgitur eſt? A. Quem dixi à principio tibi:
Hoc ſi ſecus reperies, nullam cauſam dico, quin mihi
Et parentum, & libertatis apud te deliquio ſiet.
Æ. Quid tu ais? T. Me tuum eſſe ſervum, & te meum herum. Æ. Haud iſtud rogo.
Fuiſtn' liber? T. Fui. A. Pol non fuit, nugas agit.
T. Qui tu ſcis? an fortaſſe fuiſti meæ matri obſtetrix.
Quî id tam audacter dicere audes? A. Puerum te vidi puer.
T. At ego te video major majorem. Hem rurſum tibi.
Rem meam non cures, ſi rectè facias: num ego curo tuam?
Æ. Fuítne huic pater Theſaurochryſonicochryſides?
A. Non fuit: neque ego iſthuc nomen unquam audivi ante hunc diem;
Philocrati Theodoromedes fuit pater. T. Pereo probè.
Quin quieſcis dierectum cor meum, ac ſuſpende te;
Tu ſuſſultas, ego miſer vix aſto præ formidine.
Æ. Satin' iſthuc mihi exquiſitu'ſt, fuiſſe hunc ſervom in Aulide,
Neque eſſe hunc Philocratem? A. Tam ſatìs, quàm nunquam invenies ſecus.
Sed ubi is nunc eſt? Æ. Ubi ego minime, atque ipſus ſe volt maxume.
Tum igitur ego ærumnatus, deartuatus ſum miſer
Sceleſti hujus technis, qui me ut libitu'ſt, ductarit dolis.
Sed videſis. A. Quin exploratum dico, & proviſum hoc tibi.
Æ. Certón'? A. Quin nihil unquam invenies magìs hoc certo certius.
Philocrates jam in Aulide amicus fuit mihi à puero puer.
Æ. Sed qua facie eſt tuus ſodalis Philocrates? A. Dicam tibi:
Macilento ore, naſo acuto, corpore albo, & oculis nigris,
Subrufus aliquantum, criſpus, cincinatus. Æ. Convenit.
T. Ut quidem hercle in medium ego hodie peſſume proceſſerim,
Væ illis virgis miſeris, quæ hodie in tergo morientur meo.
Æ. Verba mihi data eſſe video. T. Quid ceſſatis compedes
Currere ad me, meáque amplecti curra, ut vos cuſtodiam?

Æ. Satín' me illi hodie ſceleſti capti ceperunt dolo?
Illic ſervom ſe aſſimulabat, hic ſeſe autem liberum.
Nucleum amiſi, reliquit pignori putamina.
Ita mihi ſtolido ſuis os ſublivêre offuciis.
Hic quidem me nunquam irridebit. Colaphe, Gordalio, Corax.
Ite iſthuc, efferte lora. C. Num lignatum mittimur.

ACTUS III. SCENA V.

Ægio. Tyndarus. Ariſtoph.

Acerrimè increpitum Tyndarum in Latomiâ abduci jubet Ægio, turpiter adeò illuſum ſe dolens.

Æ. INjicite huic actûtum manicas maſtigiæ.
T. Quid eſt negotii? quid ego deliqui? Æ. Rogas?
Sator, ſartóque ſcelerum, & meſſor maxume?
T. Non occatorem dicere audebas priùs?
Nam ſemper occant priùs, quàm ſarriunt ruſtici.
Æ. At ut confidenter mihi contrà aſtitit?
T. Decet innocentem ſervom, atque innoxium,
Confidentem eſſe, ſuum apud herum potiſſimum.
Æ. Adſtringite iſti (ſultis) vehementer manus.
T. Tuus ſum: tu has quidem vel præcidi jube.
Sed quid negotii, quamobrem ſuccenſes mihi?
Æ. Quia me, meámque rem, quod in te uno fuit,
Tuis ſceleſtis falſidicis fallaciis
Delaceraviſti, deartuaviſtíque opes;
Confeciſti omnes res, atque rationes meas,
Ità mihi emiſiſti Philocratem fallaciis.
Illum eſſe ſervum credidi, te liberum;
Ità vosmet ajebatis, itaque nomina
Inter vos permutâſtis. T. Fateor omnia
Facta eſſe ità, ùt dicis, & fallaciis
Abûſſe eum abs te mea opera, atque aſtutia:
An obſero hercle te, id nunc ſuccenſes mihi?
Æ. At cum cruciatu maximo id factu'ſt tuo.
T. Dum ne ob malefacta peream, parvi æſtimo
Si ego hìc peribo, & ille, ùt dixit, non redit:

Æ

At erit mihi hoc factum mortuo memorabile.
Meum herum captum ex ſervitute, atque hoſtibus
Reducem feciſſe liberum, in patriam, ad patrem;
Meúmque potiùs me caput periculo
Præoptaviſſe, quàm is periret, ponere.
Æ. Facito ergo, ut Acherunti clueas gloria.
T. Qui per virtutem peritat, non pol interit.
Æ. Quando ego te exemplis peſſumis excruciavero,
Atque ob ſutelas tuas te morti miſero,
Vel te interiiſſe, vel periiſſe prædicent;
Dum pereas, nihil interdico, dicant vivere.
T. Pol ſi iſthuc faxis, haud ſinè pœna feceris,
Si ille huc redibit, & ſicut confido affore.
A. Proh Dii immortales! nunc ego teneo, nunc ſcio,
Quid ſit hoc negoci. Meus ſodalis Philocrates
In libertate eſt ad patrem in patria: bene eſt,
Nec quiſquam eſt mihi, nunc æquè meliùs quoi velim.
Sed hoc mihi ægre eſt, me huic dediſſe operam malam;
Qui nunc propter me, meáque verba vinctus eſt.
Æ. Vetuín' te quicquam mihi hodie falſum proloqui?
T. Vetuiſti. Æ. Cur es auſus mentiri mihi?
T. Quia vera obeſſent illi, quoi operam dabam;
Nunc falſa proſunt. Æ. At tibi oberunt. T. Optimu'ſt:
At herum ſervavi, quem ſervatum gaudeo,
Quoi me cuſtodem addiderat herus major meus.
Sed maléne id factum arbitrare? Æ. Peſſumè.
T. At ego ajo rectè, qui abs te ſeorſim ſentio.
Nam cogitato, ſi quis hoc gnato tuo
Tuus ſervos faxit, qualem haberes gratiam?
Emitterésne, necne eum ſervom manu?
Eſſétne apud te is ſervos acceptiſſimus? reſponde.
Æ. Opinor. T. Cur ergo iratus mihi es?
Æ. Quia illi fuiſti, quàm mihi fidelior.
T. Quid? tu una nocte poſtulaviſti, & die,
Recens captum hominem, & nuperum, & novitium
Te perdocere, ut meliùs conſulerem tibi,
Quàm illi, quicum unà puero ætatem exegeram?
Æ. Ergo ab eo petito iſtam gratiam. Ducite
Ubi ponderoſas craſſas capiat compedes;

Inde ibis porrò in latomias lapidarias;
Ibi quom alii octonos lapides effodiunt,
Niſi quotidianum ſeſquiopus confeceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi.
A. Per Deos, atque homines te ego obteſtor Ægio.
Ne tu iſthunc hominem perduis. Æ. Curabitur.
Nam noctu nervo vinctus cuſtodibitur,
Interdiu ſub terra lapides eximet.
Diu hunc cruciabo, non uno abſolvam die.
A. Certúmne eſt tibi iſthuc? Æ. Non moriri certiùs.
Abducite iſtum actutum ad Hippolytum fabrum:
Jubete huic craſſas compedes impingier:
Inde extra portam ad meum libertum Cordalium
In lapicidinas facite deductus ſiet:
Atque hunc ita me velle dicite curarier,
Ne quid deteriùs huic ſit, quàm quoi peſſume'ſt.
T. Cur ego te invito me eſſe ſalvom poſtulem?
Periclum vitæ meæ tuo ſtat periculo
Poſt mortem: in morte nihil eſt, quod metuam mali.
Etſi pervivo uſque ad ſummam ætatem, tamen
Breve ſpatium eſt perferundi, quæ minitas mihi.
Vale, atque ſalve, etſi alitor ut dicam, meres.
Tu Ariſtrophontes, de me ut meruiſti, ità vale:
Nam mihi propter te hoc obtigit. Æ. Abducite.
T. At unum hoc te quæſo, ſi huc rediret Philocrates,
Ut mihi ejus facias conveniundi copiam.
Æ. Periſtis, niſi hunc jam è conſpectu abducitis.
T. Vis hæc quidem hercle'ſt, & trahi, & trudi ſimul.
Æ. Illic eſt abductus rectà in phylacam, ùt dignus eſt:
Ego illis capteiveis aliis documentum dabo,
Ne tale quiſquam facinus incipere audeat.
Quod absque hoc eſſet, & qui mihi fecit palàm,
Uſque offerre natum, ſuis me ductarent dolis.
Nunc certu'ſt nulli poſt hæc quicquam credere:
Satìs ſum ſemel deceptus. Speravi miſer
Ex ſervitute me exemiſſe filium:
Ea ſpes elapſa'ſt, perdidi unum filium
Puerum quadrimum, quem mihi ſervos ſurripuit;
Neque eum ſervom unquam reperi, nec filium. Ma-

Major potitus hoſtium eſt. Quod hoc eſt ſcelus?
Quaſi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hàc, reducam te ubi fuiſti: neminis
Miſereri certu'ſt, quia mei miſeret nemo.
A. Exauſpicavi ex vinculis: nunc intelligo
Redauſpicandum eſſe in catenas denuo.

ACTUS IV. SCENA I.

Ergaſilus *Paraſitus.* Ægio *Senex.*

Ergaſilus conſpectum à ſe in portu Philopolemum cum Stalagno olim fugitivo ſervo Ægioni nunciat; atque è nuncio tam fauſto opipara ſibi prandia ominatur.

E. JUpiter ſupreme ſervas me, meásque auges opes,
Maxumas opimitates, atque opiparas offers mihi,
Lucrum, ludum, jocum, feſtivitatem, ferias,
Pompam, penu', potationes, ſaturitatem, gaudium.
Nec quoiquam homini ſupplicare nunc certu'ſt mihi:
Nam prodeſſe amico poſſum, vel inimicum perdere;
Ità hic me amœnitate amœna amœnus onerat dies.
Sinè ſacris hæreditatem ſum adeptus offertiſſimam.
Nunc curſum ad ſenem capeſſam hunc Ægionem, quoi boni
Tantum offero, quantum ipſe à Dis optat, atque etiam
ampliùs.
Nunc certa res, eodem pacto, ut comici ſervi ſolent.
Conjiciam in collum pallium, primò ex me hanc rem ut
audiat:
Speróque me ob hunc nuncium æternum adepturum cibum.
Æ. Quanto in pectore hanc rem meo magìs voluto, tanto
mihi
Ægritudo auctior eſt in animo, ad illum modum ſublitum
os eſſe
Hodie mihi: neq; id perſpicere quivi. Quod quom ſcibitur,
Per urbem irridebor: quom extemplò ad forum advenero,
Omnes de me loquentur, hic ille eſt ſenex ductus,
Quoi verba data ſunt; ſed Ergaſilus éſtne hic, quem video
procul?

Collectô quidem eſt palliô: quidnam acturus eſt?
E. Move abs te moram, atque Ergaſile age hanc rem:
Eminor, interminórque, ne quis mihi obſtiterit obviam,
Niſi quis ſat diu vixiſſe ſeſe homo arbitrabitur;
Nam qui obſtiterit, ore ſiſtet. Æ. Hic homo pugillatum
incipit.
E. Facere certu'ſt. proinde ut omnes itinera inſiſtant ſua,
Neu quis in hac platea negotii conferat quicquam ſui.
Nam meus eſt balliſta pugnus, cubitus catapulta'ſt mihi.
Humerus acies: tum genu ut quenque icero, ad terram dabo.
Dentilegos omneis mortales faciam, quenque offendero.
Æ. Quæ illhæc eminatio'ſt? nam nequeo mirari ſatis.
E. Faciam hujus diei, locíque, meíque ſemper meminerit,
Qui mihi in curſu obſtiterit; faxo vitæ is obſtiterit ſuæ.
Æ. Quid hic homo tantum incipeſſit facere cum tantis minis?
E. Priùs edico, ne quis propter culpam capiatur ſuam.
Continete vos domi, prohibete à vobis vim meam.
Æ. Mirum ædepol nî hic in ventrem ſumpſit confidentiam.
Væ mifero illi, quoius cibo iſte factu'ſt impenſior.
E. Tum piſtores, ſcrofipaſci, qui alunt furfuri ſues,
Quarum odore præterire nemo piſtrinum poteſt,
Eorum ſi quoiú quam ſcrofam in publico conſpexero,
Ex ipſis dominis, meis pugnis exculcabo furfures.
Æ. Baſilicas edictiones, atque imperioſas habet.
Satur homo'ſt, habet profectò in ventre confidentiam.
E. Tum piſcatores, qui præbent populo piſces fœtidos,
Qui advehuntur quadrupedanti, crucianti cantherio,
Quorum odos ſubbaſilicanos omnes abigit in forum:
Eis ora ego verberabo ſurpiculis piſcariis:
Ut ſciant alieno naſo, quam exhibeant moleſtiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oves,
Qui locant cedundos agnos, & duplam agninam damnum,
Qui petroni nomen indunt verveci ſectario:
Eum ego ſi in via petronem publica conſpexero,
Et petronem, & dominum reddam mortaleis miſerrumos.
Æ. Euge, edictiones ædilicias hic quidem habet,
Mirúmque adeò'ſt, niſi hunc fecerunt ſibi Ætoli Agoranomum.
E. Non ego nunc parafitus ſum, ſed Regum Rex regalior, Tantus

Tantus ventri comeatus meo adest in portu cibus.
Sed ego cesso hunc Ægionem onerare lætitia senem?
Quoi homine hominum adæquè nemo vivit fortunatior.
Æ. Quæ isthæc est lætitia, quam illhic lætus largitur mihi?
E. Heus heus ubi estis? ecquis hoc mihi aperit ostium?
Æ. Hic homo ad cœnam recipit se ad me. E. Aperite hasce ambas foreis
Priùs, quàm pulsando assulatim foribus exitium affero.
Æ. Perlubet hunc hominem colloqui, Ergasile. E. Ergasilum qui vocat?
Æ. Respice. E. Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet, hoc
Me jubes, sed tu quis es? Æ. Respice ad me, Ægio sum.
E. O mihi quantu'st.
Hominum optumorum optume, mihi in tempore advenis.
Æ. Nescio quem ad portum nactus ubi cœnes, eò fastidis?
E. Cedò.
Manum. Æ. Manum? E. Manum inquam cedò tuam actûtum. Æ. Tene.
E. Gaude. Æ. Quid ego gaudeam? E. Quia ego impero, age, gaude modò.
Æ. Pol mœrores mihi antevertunt gaudiis. E. Noli irascier:
Jam ego ex corpore exigam omnes maculas mœrorum tibi,
Gaude audacter. Æ. Gaudeo, etsi nihil sciam, quod gaudeam.
E. Bene facis, jube. Æ. Quid jubeam? E. Ignem ingentem fieri.
Æ. Ignem ingentem? E. Ita dico, magnus ut sit. Æ. Quid velt uri? tuân'
Causa me ædeis incensurum censes? E. Noli irascier:
Juben', an non jubes astitui aulas? patinas elui?
Laridum, atque epulas foveri foculis ferventibus?
Alium pisces præstinatum abire? Æ. Hic vigilans somniat.
E. Alium porcinam, atque agninam, & pullos gallinaceos?
Æ. Scis bene esse, si sit unde. E. Pernam, ophthalmiam:
Horæum, scombrum, & trygonum, & cetum, & mollem caseum?
Æ. Nominandi istorum tibi erit magis, quàm edeundi copia.

Hìc apud me Ergaſile. E. Mean'me cauſa hoc cenſes dicere?
Æ. Nec nihil hodie, nec multò plus tu hic edes, ne fruſtra ſis.
Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas.
E. Quin ità faciam, ut te cupias facere ſumptum, ego vetem.
Æ. Egóne? E. Túte. Æ. Tum tu mi igitur herus es? E. Immo benevolens.
Vin' te faciam fortunatum? Æ. Malim, quàm miſerum quidem.
E. Cedò manum. Æ. Hem manum. E. Dii te omnes adjuvant. Æ. Nihil ſentio.
E. Non enim es in ſenticeto, eò non ſentis. Sed jube
Vaſa tibi pura apparari ad rem divinam cito,
Atque agnum afferri proprium, pinguem. Æ. Cur? E. Ut ſacrufices.
Æ. Quoi Deorum? E. Mihi hercle. Nam ego nunc tibi ſum ſummus Jupiter,
Idem ego ſum ſalus, fortuna, lux, lætitia, gaudium:
Proin tu Deum hunc ſaturitate facias tranquillum tibi.
Æ. Eſurire mihi vidêre. E. Mihi quidem eſurio, non tibi.
Æ. Jupiter te, Dîque perdant. E. Te hercle, mihi grquom'ſt gratias
Agere ob nuncium: tantum ego nunc porto à portu tibi boni.
Æ. Nunc tu mihi places. Abi ſtultus, ſero poſt tempus venis.
E. Igitur ſi olim adveniſſem, magis tu tum iſthuc diceres.
Nunc hanc lætitiam accipe à me, quam fero: nam filium tuum.
Modo in portu Philopolemum vivom, ſalvom, & hoſpitem
Vidi in publica celoce: ibidémque illum adoleſcentulum
Alium unà, & tuum Stalagnum ſervom, qui aufugit domo,
Qui tibi ſurripuit quadrimum puerum filiolum tuum.
Æ. Abi in rem malam, ludis me. E. Ità me amabit ſanc̃ta ſaturitas
Ægio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine,

Ut

Ut vidi. Æ. Meum gnatum? E. Tuum gnatum, & genium meum, (& ſervolum
Æ. Et capteivom illum Auildenſem? E. Per Apollinem! Æ.)
Stalagnum, meum qui gnatum ſurripuit? E. Per pupillam.
Æ. Jamdiu? E. Per Prænestem. Æ. Venit? E. Per Signiam.
Æ. Certón'? E. Per Phruſinonem. Æ. Vide ſis. E. Per Alatrion.
Æ. Quid tu barbaricas urbes juras? E. Quia enim item aſperæ
Sunt, ut tuum victum autumabas eſſe. Æ. Væ ætati tuæ.
E. Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico ſedulò,
Sed Stalagnus quoius erat tunc nationis, quom hic abiit?
Siculus. E. At nunc Siculus non eſt, Boiam eſt, Boius habet.
Liberorum quærundorum cauſſa ei credo uxor data'ſt.
Æ. Dic, bonán'fide tu mihi iſthæc verba dixiſti? E. bona.
Æ. Dî immortales, iterum gnatus videor, ſi vere autumas.
E. An tu dubium habebis, etiam ſanctè cum jurem tibi?
Poſtremo Ægio, ſi parva jurijurando'ſt fides,
Viſe ad portum. Æ. Facere certu'ſt, Tu intus cura quod opu'ſt:
Sume, poſce, prome quid vis, te facio cellarium.
E. Nam hercle niſi maniſſinatus probè ero.
Æ. Æternum tibi dapinato victum, ſi vera autumas.
E. Unde id? Æ. A me, meóque gnato. E. Spondén' tu iſtud? Æ. Spondeo.
E. At ego tuum tibi adveniſſe filium reſpondeo.
Æ. Cura quàm optume potes. E. Bene ambula, & redambula.

ACTUS IV. SCENA II.

Ergaſilus.

Paraſitus magnos in prandium apparatus facit.

ILlic hinc abiit, rem mihi ſumam credidit cibariam.
Dî immortales, ut ego collos detruncabo tergoribus!
Quanta pernis peſtis venſet! quanta labes larido!
Quanta ſumini abſumendo! quanta collo calamitas!
Quanta laniis laſſitudo! quanta porcinariis!
Nam ſi alia memorem, quæ ad ventris victum conducunt, mora'ſt.

Nunc ibo ad præfecturam, & jus dicam larido:
Et quæ pendent indemnatæ, pernis auxilium feram.

ACTUS IV. SCENA III.

Ægionis *Puer.*

Ergaſili impotentiam, ac voracitatem graviter ſectatur.

Dieſpiter te Dique Ergaſile perdant, & ventrem tuum,
Paraſitósq; omneis, & qui poſthac cœnam paraſitis dabit.
Clades, calamitas, quæ intemperies modò in noſtram advenit domum?
Quaſi lupus eſuriens, metui, ne in me faceret impetum.
Nimísque hercle ego illum malè formidabam, ita frendebat dentibus.
Adveniens modò deturbavit totum cum carne carnarium.
Arripuit gladium, prætruncavit tribus tergoribus glandia.
Aulas, calicésque omneis confregit, niſi quæ modialos erant.
Coquum percontabatur, poſsémne ſeriæferveſcere.
Cellas refregit omneis intus, reclusítque armarium.
Aſſervate iſthunc, ſultis, ſervi. Ego ibo ut conveniam ſenem,
Dicam ut ſibi penum aliud ornet, ſiquidem ſeſe uti volet:
Nam in hoc, ut hic quidem adornat, aut jam nihil eſt, aut jam nihil erit.

ACTUS V. SCENA I.

Ægio. Philopolemus. Philocrates.

Ægio ſibi de recepto filio Philopolemo, & reſtituto Philocrate gratulatur; Tyndarum vero latomiis liberat.

Æ. JOvi, Díſque ago gratias meritò magnas, quom te reduem
Tuo patri reddiderunt: quómque ex miſeriis plurimis
Me exemerunt, quæ adhuc te carens (dum hic fui) ſuſtentabam:
Quómque hunc conſpicio in poteſtate noſtra: quómque (lætæ
hæc reperta'ſt fides
Firma nobis. *Philop.* Satis jam dolui ex animo, & cura me)
Et lacrimis maceravi. Satis jam audivi tuas

Æru-

Ærumnas ad portum, quas memoraviſti mihi:
Hoc agamus *Philoc.* Quid nunc? quoniam tecum ſervi fidem.
Tibíque hunc reducem in libertatem feci? Æ. Feciſti ut tibi
Philocrates nunquam referre gratiam poſſim ſatis,
Perinde ut tu promeritus de me, & filio. *Philop.* Imo potes
Pater, & poteris, & ego potero, & Di poteſtatem dabunt,
Ut beneficium benemerenti noſtro merito muneres,
Sicut tu huic potes pater mi facere meritò maximè.
Æ. Quid opus verbis? lingua nulla'ſt qua negem quicquid roges.
Philoc. Poſtulo abs te, ut mihi illum reddas ſervum, quem hìc reliqueram.
Pignus pro me, qui mihi melior, quàm ſibi ſemper fuit:
Pro benefactis ejus uti pretium poſſim reddere.
Æ. Quòd benefeciſti, refertur gratia: id quod poſtulas,
Et id, & aliud quod me orabis impetrabis. Atque
Nolim ſuccenſere, quòd ego iratus ei feci malè.
Philoc. Quid feciſti? Æ. In lapicidinas compeditũ condidi,
Ubi reſcivi mihi data eſſe verba. *Philoc.* Væ miſero mihi,
Propter meum caput labores homini eveniſſe optumo,
Æ. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis:
Gratis à me ut ſit liber, abducito. *Philoc.* Ædepol Ægio
Facis benignè. Sed quæſo hominem ut jubeas arceſſi.
Æ. Licet.
Ubi eſtis vos? ite actûtum, Tyndarum huc accerſite,
Vos ite intrò. Interibi ego ex hac ſtatua verberea volo
Erogitare, meo minore quid ſit factum filio.
Vos lavate interibi. *Philop.* Sequere hàc Philocrates me intrò. *Philoc.* Sequor.

ACTUS V. SCENA II.

Ægio. Stalagnus.

Stalagnus fatetur Tyndarum (aliàs Pægnium) à se quadrimum patri ſurreptum, atq; Theodromedi Poliplusio, Philocratis patri in Aulide divenditum.

Æ. AGe tu, illuc procede bone vir, lepidum mancupium meum. S. Quid

S. Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falſum autumas?
Fui ego lepidus, vel bonus vir nunquam: neque frugi bonæ,
Neque ero unquam: neque ſpem ponas, me bonæ frugi fore,
Æ. Propemodum ubi loci tuæ fortunæ ſint, facilè intelligis.
Si eris verax, rem tuam facies ex mala meliuſculam.
Rectè, & vera loquere, ſed neque tu verè, neque rectè adhuc
Feciſti unquam. S. Quid ego fatear? credin' pudeat quom autumes?
Æ. At ego faciam ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo.
S. Eja, credo ego plagas imperito minitaris mihi.
Tandem iſta aufer: dic quid fers, ut feras hinc quod petis?
Æ. Satìs facundus: ſed fieri dictis compendium volo.
S. Ut vis fiat. Æ. Benemorigerus fuit puer: nunc non decet.
Hoc agamus: jam animadvorte: hæc mihi quæ dicam ediſſere
Si eris verax, tuas res feceris meliuſculas.
S. Nugæ iſtæc ſunt, non me cenſes ſcire, quid dignus fiem?
Æ. At ea ſubterfugere potis es pauca, ſi non omnia.
S. Pauca effugiam ſcio: nam multa evenient, & merito meo,
Quia, & fugi, & tibi ſurripui filium, & eum vendidi.
Æ. Quoi homini? S. Theodromedi in Aulide Polyplusio,
Sex minis. Æ. Proh Dì immortales, is quidem hujus eſt pater
Philocratis. S. Quin melius novi, quàm te, & vidi ſæpiùs.
Æ. Serva Jupiter ſupreme, & me, & meum gnatum.
Philocrates per tuum Genium obſecro exi, te volo.

ACTUS V. SCENA III.

Philocrates. Ægio. Stalagnus.

Philocratis item teſtimonio Tyndarus Ægionis filius eſſe comprobatur.

P. ÆGio adſum, ſi quid me vis impera. Æ. Hic gnatum meum
Tuo patri ait vendidiſſe ſex minis in Aulide,
P. Quamdiu id factu'ſt? S. Hic annus incipit viceſimus.
P. Falſa memorat. S. Aut ego, aut tu. Nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem parvolom puero dedit.
P. Quod erat ei nomen? ſi vera dicis, memorandum mihi.
S. Pægnium vocitatus eſt, poſt vos indidiſtis Tyndaro.
P. Cur ego te novi? S. Quia mos eſt oblivifci hominibus,
Neque

Neque noviſſe, quoius nihili ſit faciunda gratia.
P. Dic mihi, ísne iſthic fuit, quem vendidiſti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus eſt, hujus filius?
Vivítne is homo? S. Argentum accepi, nihil curavi cæterum
Æ. Quid tu ais. P, Quin iſthic ipſu'ſt Tyndarus tuus filius
Ut quidem hic argumenta loquitur: nam is mecum à puero puer
Bene, pudicéque educatus eſt uſque ad adoleſcentiam.
Æ. Et miſer, & fortunatus ſum, ſi vera diciris.
Eò ſum miſer, quia malè illi feci, ſi gnatus meu'ſt,
Eheu qur ego plùs, minúsque feci illi, quàm equom fuit.
Quòd malè feci, crucior, modò ſi infectum feri poſſiet.
Sed eccum incedit huc ornatus audax ſuis virtutibus.

ACTUS V. SCENA IV.

Tyndarus. Ægio. Philocrates. Stalagnus.

Eximitur vinculis Tyndarus, & ab Ægione filius agnoſcitur.

T. VIdi ego multa ſæpè picta, quæ ſub Acheronte fierent
Cruciamenta: verimenimverò nullus adæque'ſt Acherons,
Atque ubi ego fui in lapicidinis. Illic demu'ſt locus,
Ubi labore laſſitudo eſt omnis exigenda ex corpore.
Nam ubi illò adveni, quaſi patriciis pueris aut monedulæ,
Aut anates, aut cothurnices dantur, queis cum luſitent,
Itidem huc mihi advenienti upupa, quæ me delectet data'ſt.
Sed herus eccum ante oſtium, & herus alter eccum ex Aulide
Rediit. Æ. Salve exoptate gnate mi. T. Hem quid gnate mi?
Atat ſcio cur te patrem aſſimules eſſe, & me filium,
Qui mihi item ut parentes, lucis das tuendæ copiam.
P. Salve Tyndare. T. Et tu, quoius cauſſa hanc ærumnam exigo.
P. At nunc liber in divitias faxo venies: nam tibi
Pater hic eſt: hic ſervos, qui te huic quadrimum ſurpuit,
Vendidit patri meo te ſex minis, is te mihi
Parvolum peculiarem parvolo puero dedit
Illic indicium fecit; nam hunc ex Aulide huc reducimus.

T. Quid

T. Quid, filium? P. Intus eccum fratrem germanum tuum.
T. Quid tu ais? adduxtín' illum hujus captivom filium?
P. Quin, inquam, intus hìc eſt. T. Feciſti ædepol, & rectè bene,
P. Nunc tibi pater hic eſt: hic fur tuus, qui parvom hinc te abſtulit.
T. At ego nunc grandis grandem ob furtum ad carnificem dabo.
P. Meritus eſt. T. Ergo ædepol meritam mercedem dabo.
Sed dic oro, pater meus túne es? Æ. Ego ſum gnate mi.
T. Nunc demum in memoriam redeo, quom mecum cogito.
Nunc ædepol demum in memoriam regredior, audiſſe me
Quaſi per nebulam, Ægionem meum patrem vocarier.
Æ. Ego ſum. P. Compedibus quæſo, ut tibi ſit levior filius,
Atque hic gravior ſervos. Æ. Certu'ſt principium id prævortier.
Eamus intrò, ut arceſſatur faber, quî iſtas compedes
Tibi adimam, huic dem. S. Quoi peculi nihil eſt, rectè feceris.

Grex.

SPectatores ad pudicos mores facta hæc fabula'ſt:
Neque in hac ſubitæ cogitationes ſunt, ullâve amatio,
Nec pueri ſuppoſitio, nec argenti circumductio,
Neque ubi amans adoleſceus ſcortum liberet clam ſuum patrem.
Hujuſmodi paucas Poëtæ referunt comœdias,
Ubi boni meliores fiant. Nunc vos, ſi vobis placet,
Et ſi placuimus, neque odio fuimus, ſignum hoc mittite,
Qui pudicitiæ eſſe præmium voltis, plauſum date.